



Carmenii
1636






Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
1318/D





DE MEDENDI METHODO

LIBRI SEX

DANIELIS CARMENII

BONONIENSIS

PHILOSOPHI, ET MEDICI


in patrio Archigymnasio Medicinę practicę professoris ordinarij

ILLVSTRISSIMIS BONONIAE SENATORIBVS

DICATI

Il Coriolano. F.

Bononię Typis Nicolai Thebaldini Superiorum permissu MDCXXXVI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



ILLVSTRISSIMIS BONONIAE SENATORIBVS

DANIEL CARMENIVS F. P.



GREDITVR in lucem sub fœlicissimis vestris auspicijs ILL.MI P.P. C.C. Medendi Methodus, quæ morti ad inferendam iniuriã directa lethali in discrimine versaretur, ni tutissimi vexilli, ac adamantini FELSINEÆ PALLADIS clypei ad vmbram confugeret: Palladis illius, quæ oleæ frondibus redimita tempora tempori, & Parcis non parcit. Nemo vos Patriæ parentes non iurat, quæ Matris studiorum titulo condecorata, (quòd eam virtu-

virtutum aſylum feciſtis,) huic ingenij mei partui fauſtum à Patribus ſuis patrocinium promittit. Eòque magis voti compos fieri ſpero, quò lucubrationes meę ſplendoribus veſtris aſsimilantur: ab illis vitæ ſolamen, ne pereat elicitur: & in veſtræ gloriæ ſinu literariæ reipublicæ forma peritura caderet, niſi in Bononienſium ciuium fœlicitatē reuiuiſceret. Rhenus deuotis vndis ad LIBERTATEM ediſcendam dum fluit, adaucta ſudorum meorum riuulis hæc obſequioſa atramenti flumina intra ſeruitutis margines ad vos decurrere docet. Id non niſi permagnum, tanto docente Flumine, eſſe poterit obſeruantiæ teſtimonium. Quod supereſt Prudentiſsimi Senatores, hæc meritis veſtris licet humiliora, hilari tamen accipite fronte, & ciuem, qui Patriæ inſeruiat, tantummodò natum ad maiora excitate: dum immenſam, hoc eſt meritam felicitatem vobis deprecor.



MEDI-

MEDICINAE STVDIOSO LECTORI.



Mabò beneuole Lector, priusquam hoc opus perlegas, hæc pauca mente reuolue. Ille gloriæ stimulus, atque illud iuuandæ posteritatis desiderium, quo homines alijs nati continuò percelluntur, ad hasce de medendi methodo lucubrationes magno confectas labore in lucem edendas (fateor) me impulit. Nec me perterrefecit maledicentium caterua: communis est enim hæc omnium scriptorum calamitas, quam neque Hippocratis, neque Aristotelis monumenta effugere potuerunt. Dicebat Plutarchus non esse admodum difficile oppugnare orationem aliquam, sed similem facere.

Inutilis tibi fortasse videri poterit susceptus labor, cum, (vt cæteros grauissimos auctores prætermittam, qui de hac re scripserunt, de quorum laude nihil decerpo) Galenus 9. meth. 8. medendi rationem ab Hippocr. inuentam, non tamen omniquaque perfectam, se primum omnium immortali cum sui nominis gloria perfecisse affirmet. Quis tam audax hoc negaret? Ea est etenim Hippocr. & Gal. doctrinæ præstantia, vt non immeritò vtriusque documenta solis lumini comparari posse videantur: adeò vt cæcutiant omnes, ac in medicarum rerum ignorantiæ tenebris versentur, qui horum medicinæ principum doctrinæ lumine priuati medendi methodum ab ijsdem inuentam, & omnibus suis numeris absolutam nec agnoscunt, nec sequuntur. Attamen sicuti fulgentissimum illud perpetui splendoris iubar (etiamsi causa sit, cur cætera conspiciantur) intuentes oculi sustinere non possunt: non dispari ratione nedum illis, qui in medicinæ tyrocinio adhuc versantur, sed etiam ijs, qui non mediocriter in hac nobilissima facultate versati sunt, Hippocratis, & Galeni doctrinæ fulgor sic mentis perstringit aciem, vt vix illum tum conspicere, tum intelligere valeant, & non parum ambiguitatis, & difficultatis, (si vera loqui studiosi velint) sese nancisci in illorum lectione fateri cogantur. En igitur tibi studiose Lector Hippocraticæ, & Galenicæ doctrinæ splendor non amplius in illo eximiæ lu-

cis fonte renidens, sed in hisce meis lucubrationibus reflexis radijs exiguè quidem fulgens, ita tamen vt eum magna cum securitate, & intueri, & intelligere facile possis. Nihil enim magis curæ mihi fuit, quàm vt rerum obscuritatem verborum claritate, ordinisque facilitate compensarem.

Comperies pauca quædam ex alienis laboribus dedita opera ferè ad verbum translata. Iniustum nanque existimo alios propria laude fraudare: temerarium credere se solum sapere, & cæteros, qui de hac materia scripserunt, fuisse ignaros. Quamplurima tamen proprio marte conscripta inuenies: an ad Hippocratis, & Galeni mentem, & cum methodo tradita, secundumque debitum ordinem disposita sint, te iudicem quæro.

Hæc denique typis mandaui, vt in re tam ardua, ac tam necessaria, qualis est tractatio de medendi methodo, de ingenij mei viribus periculum facerem, &, quid de me alij iudicaturi sint, experirer. Quæ si tibi placuisse agnouero, alia quamprimum in lucem proferam: sin minus, hæc etiam in natali suo lethæis aquis immersa, & sepulta maneant. Vale.



Index

Index Capitum Librorum de medendi methodo.

Capita Libri Primi.

Capita Libri II.

Allatam

Capita Libri III.

Duo

Capita Libri IV.

Vtrum

Capita Libri V.

Capita Libri VI.



DANIE-



DANIELIS CARMENII DE MEDENDI METHODO

Liber Primus.

Neceſſitas huius tractationis, & dicendorum ordo. Cap. I.



TRACTATIONEM de medendi methodo iux. Hippocr. & Gal.placita ſcribere aggredior, quam reliqu a fortaſſe omnia,quæ à medico rationali cognoſcẽda ſunt,longiſſimo poſt ſe interuallo relinquere, nemo, vt arbitror, qui Gal.doctrinæ ſit addictus,negare audebit. Hic etenim eſt ille lydius lapis,quo medici eruditi à vulgaribus, & ignaris internoſcuntur. Opus tamen perarduũ,ac laborioſum valde, quando illius difficultas cum neceſſitate contendere videatur. Neſcio enim, an quicquam aliud in hac medica facultate cõſideretur, quod magis neceſſariũ ſit,maioriq; difficultate præditũ,quàm tractatio de medendi methodo.

Cur neceſſaria ſit medẽdi methodi tractatio.

Nam ſi eius neceſſitatem contemplemur, hanc maximam eſſe, ex eo præſertim cognoſcemus:quoniam ſine methodo finem artis, nempe ſanitatem conſequi eſt impoſſibile. Quòd ſi quandoq; temerè quiſpiam curatus fuit, id fortunæ potius, quàm medico methodo vti neſcienti adſcribendum. Sic enim Gal. 1.de ſan.tuen.cap. 10. dicebat. Qui verò ſic affectis (de laſſitudine autem laborantibus loquebatur) ſanguinem nõ miſerint, hi ſi euaſerint, vtiq; fortunæ beneficio id acceptum ferrent,quando ita affectis ſanguinem omnino mittendum eſſe doceat medendi methodus. Si quis igitur ſine methodo ſanitatem adipiſcitur,dum ſcilicet à medico methodum ignoranti curatur,id fortuitò, & per accidens contingit. Leuiores tamen morbos excipio,quos ſola natura ſæpiſſimè vincit ſine vllo artis auxilio, aut fortunæ beneficio. At grauiores methodum, & artem requirunt, quæ remedia opportuna illis afferat, atq; naturæ opituletur. Hinc Gal. de puero epileptico cap. 1.dicebat, qui curatiuam methodum ignorat,non poſſe rectè mederi. *1. Ratio.*

Inſuper etiamſi non curetur homo communis,ſed noſtrum quiſq; vt docuit Gal. 3. meth. cap.7. adeo vt medicina circa particularia verſari videatur: attamen huius vniuerſalis methodi neceſſitatem declarauit idem Gal.9.meth.6. *2. Ratio.*

dum ait, non licere vllius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habueris per vniuersalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris. Cum neq; fieri possit, vt sine multiplici in ægris singulatim exercitatione quod ex vsu sit, facias, nec sine vniuersalium cognitione probè exercitatio procedat, quippe cum in vniuersalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat. Quoniam hæc sunt veluti duo crura, quibus ars medica fulcitur, & incedit, quorum alterum si deficiat, iam claudicet, sit necesse.

3. Ratio. Addite non benè posse propria cognosci, ignoratis communibus. Quare & si in singulis morbis priuata quædam methodus sanandi videatur, commune tamen in omnibus genus vnum est, seu vna quædam vniuersalis via in omnibus particularibus similis Gal. teste 4. meth. 4. qua ignorata neq; possibile est, illam particularem methodum cognoscere. Valde igitur necessaria est tractatio de medendi methodo in genere.

4. Ratio. Deniq; quāta sit necessitas huius tractationis ex eo colligere possumus, quòd Gal. de nulla alia re frequentius agat, quàm de medendi methodo, & de indicationibus; de nulla alia re sæpius veteres, & sui temporis medicos arguat, quā quòd amethodici fuerint, atq; indicationum vim non cognouerint.

Difficultas huius tractationis. Verūtamen huius operis summa vtilitas, seu necessitas summa etiam difficultate compensatur. Nam licet nil frequentius per ora medicorum volitet, ac audiatur, quàm medendi methodi, & indicationum nomen: attamen tantùm abest, vt nonnulli ipsorum nouerint, quid sit medendi methodus, & quid indicatio, nequidem fortasse cognoscant, quid nomina hæc importent. Et Gal. qui 14. libros conscripsit de medendi methodo adeo prolixus fuit, & aliquando adeò obscuras protulit sententias, tum in illis libris, tum alibi, ac præcipuè libro de optima secta ad Thrasybulum, & adeo inconstans quibusdam apparuit, vt qui hoc onus susceperunt, atq; Gal. declarare tentarunt, in ancipiti laborare sæpe visi fuerint. Vnde Argenterius, qui Gal. perpetuum bellum indixit, maximam eum calumniādi occasionē adeptus lib. 2. de officijs medici cap. 1. dixit, Gal. non solū hæc omnia sparsim tradidisse, verùm etiam eò magis difficultatem auxisse, quòd nec principia eius posuerit, aut posita non seruauerit, nec certis capitibus tractationem vniuersam cōplexus fuerit, & perpetuò eadē variè docuerit.

Quapropter in re tam necessaria, atq; cognitu tam difficili, omne studium, operamq; omnem, atq; laborem impēdere decreui, & quæ obscura sunt declarare, confusa distinguere, Gal. ab aliorum calumnijs tueri, eumq; solum veritatem attigisse, demonstrare totis enitar viribus.

Dicēdorum series. Cęterùm ne, dum alios methodum docere tento, amethodicus videar, methodum, & ordinē simul, quem obseruaturus sum, propono. In primis itaq; dicam, quid, & quotuplex sit methodus in vniuersali; & qua ratione procedere debeat, qui se methodicum profitetur. Deinde ad medendi methodum me conferens declarabo, quid sit medendi methodus, & cum methodus, vt dicemus, sit via, quæ nos in agendorum notitiam deducit ex hoc termino per hoc medium, in hunc finem; quodnam sit huius methodi principium, quisue eiusdem finis, aperiam, atq; qua ratione à principio ad finem, per quæ scilicet media progredi debeamus: post hæc sub quanam methodi specie contineatur, & quotuplex sit, di-in vniuesali verba faciam. Exinde ad indicationem me conferens docebo, quid sit, & qua ratione ab experientia, & analogismo, distinguatur. Insuper quot, &

quæ

quæ nam ſint vera, & propriè dicta indicantia declarabo. Quæ cum tria ſint; primo de indicante curatorio, ſecundo de pręſeruatorio, tertio loco de vitali agam, et denique ſymptomata quoque conſiderabo oſtendens, qua ratione indicare nonnunquam poſſint, Gal. tamen, & Hippocr. auctoritatibus ſemper innixus, à quorum doctrina ne latum quidem vnguem diſceſſurum eſſe profiteor. Horum enim alter, nempe Hippocr. præceptorum ſalubrium ſemina prębuit, & methodi primus inuentor, & auctor fuit: Gal. verò, quæ obſcurè, & confusè pro antiqua dicendi breuitate interpretatus eſt, & quæ omiſit Hippocr. declarare distinguere, atq; ſupplere ſtuduit, atq; ſic vltimam manum medendi methodo impoſuit.

Hippocr. primus methodi inuentor.

Quid, & quotuplex ſit methodus. Cap. II.

PAucis explicandum, quid, & quotuplex ſit methodus. Nam tractatio hæc pertinet ad logicos, & medici cognitionem hanc ſupponere debent. Verùm ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ de medendi methodo dicenda ſunt, hæc pauca in vniuerſali de methodo in memoriam reuocare lubet.

Et in primis ſi de methodi nomine ſermo ſit, dico methodum interdum ſumi pro vniuerſa facultate aliqua, vel ſcientia methodo tradita. Sic Ariſtoteles 1. phyſicor. ſtatim ab initio ſcientias methodos vocauit, ſic Dialecticam, Rhetoricam, & medendi artem methodi nomine vocare poſſumus. At ſi magis propriè loqui velimus, methodi nomen potius ſumitur pro inſtrumento, quo vtimur ad explicandam aliquam ſciētiam, vel artem, vel earūdem partes, quàm pro illa facultate. Vnde interim omiſſa illa methodi ſignificatione, quando ſcilicet ſumitur pro vniuerſa aliqua facultate methodo tradita, & quam vniuerſalem methodum vocare poſſumus, loquamur de methodo, quatenus eſt inſtrumētum, quo quis ſcientiæ, vel artis habitu præditus vtitur pro explicandis partibus illius facultatis, aut etiam pro explicanda vniuerſa illa diſciplina, & hac ratione methodus dicitur progreſſus, ſeu via, qua progredimur in ignotorum notitiam.

Methodi nomē quot modis ſumatur.

Quare methodus hoc modo ſumpta ſic definiri poteſt. Methodus eſt via deducens nos in cognoſcibile per ea, quæ nota ſunt: ſiue eſt via, qua à notis in cognitionem latētium peruenimus. Ex quo patet, quæ nam ſit differentia, quæ intercedit inter methodum, & ordinem. Nam methodus eſt proceſſus à notis ad ignota, ordo verò eſt diſpoſitio vnius poſt alterum.

Quid ſit methodus.

Porrò methodus dupliciter vſurpari poteſt, vel preſſius, & propriè pro eo, quod ratiocinationem includit; vel latius ſumitur methodi nomen pro quouis progreſſu ex notitia vnius in notitiam alterius, atq; hoc modo capta quadruplex eſt methodus, nimirum reſolutiua, compoſitiua, definitiua, & diuiſiua. Vnamquamq; breuibus declaro.

Quot modis capiatur methodus.

Reſolutiua methodus ex Gal. lib. artis medicæ in procœmio illa eſt, quæ oritur ex notione finis, quando ſcilicet cognita, & ſuppoſita finis definitione, ea, quæ ad finem conſequendum requiruntur, declarantur. Sic Ariſtoteles in libris poſteriorum vtitur reſolutiua methodo. Nam ex definitione finis demonſtrationis, qui eſt ipſum ſcire, reſoluendo demonſtrationem in ſua principia, docet, qua ratione demonſtratio conſtituatur. Sic Gal. lib. de conſtitutione artis medicæ vtitur reſolutiua methodo. Nam ſuppoſita notione finis artis medicæ, qui eſt ſanitas, ea inquirit, quæ ad finem conſequendum ſunt neceſſa-

Quid ſit reſolutiua methodus.

ria. Ex Alexandro enim reſoluere, eſt vnunquodq; in ſua principia reducere, hoc autem eſt idem, ac regulas, & præcepta tradere, quibus obſeruatis aliquid fiat. Quoniam, quod in contemplatione rationem habet principiorum rem conſtituentium, illud idem in arte rationem regularum, & præceptorum ſuſtinet, quibus obſeruatis fiat id, quod intenditur.

Quid ſit cõpoſitiua method.

At compoſitiua methodus ex oppoſito procedere videtur. Nam conſtat, vt inquit Gal. loco citato ex compoſitione eorum, quæ per reſolutionem fuerunt inuenta. Atq; hac methodo vſus fuit Ariſtoteles in tradenda naturali philoſophia: procedit enim à principijs, & ſimplicibus ad principiata, & cõpoſita. Animaduertendum tamen eſt, nõ poſſe rectè tradi facultatem aliquam methodo compoſitiua, niſi prius per reſolutionem cognouerimus ex quibus partibus conſtituatur ars, ſiue facultas, quam docere volumus. Hinc Gal. loco citato dicebat, primam quidem doctrinam conſtare ex notione finis, quæ per reſolutionem fit, ſecundam verò ex compoſitione eorum, quæ per reſolutionem fuerunt inuenta. Adeo vt neceſſariò præcedat reſolutio ſaltem in mente auctoris, qui facultatem aliquam compoſitiua methodo tradere intendit.

Quid ſit definitiua meth.

Definitiua verò methodus eſt illa, quæ conſtat ex diſſolutione definitionis illius facultatis, ſeu rei, cuius cognitionem quęrimus; & hac methodo vſus fuit Gal. libro artis medicæ: vbi ex diſſolutione definitionis medicinæ tradit per compendium vniuerſam artem medicam.

Quid ſit diuiſiua meth.

Diuiſiua autem methodus eſt illa, qua totum aliquid per differentias oppoſitas diuidimus, vt cum genus in ſpecies, vel totum in partes, vel voces in ſignificata, aut quid ſimile diuidimus. Et hac methodo vtendum eſſe docuit Gal. præcipuè ad rerum tàm naturalium, quàm pręternaturalium eſſentiam, & propriam, ac ſpecificam differentiam inueniendam. Qua de cauſa diuiſiuam methodũ tanti facit, vt infra dicemus, quod 1. ad Glauconem cap. 1. aſſeruerit medicum illum, qui à rebus tum ſecundum naturam, tum præter naturam per diuiſionem inuentis ſufficientes ſumit indicationes, ſolum, quantùm humanis permittitur viribus, medendo non errare.

Methodus propriè ſumpta quotuplex.

Quòd ſi methodum preſſius, & propriè ſumamus pro eo ſcilicet, quod ratiocinationem includit, tunc huiuſcemodi methodus erit vel ſyllogiſmus, vel enthymema, vel inductio, vel denique exemplum. Quæ omnia communi nomine argumentationis denotantur. Et rurſus ſi ſyllogiſmus fuerit, hic eſſe poterit vel demonſtratiuus, vel probabilis, vel ſophiſticus. Interim tamen cum de ſola demonſtratiua methodo ſit ſermo cæteras argumentationis differentias prętermittentes dicamus talem methodum eſſe viam cum ratione, hoc eſt cum cauſa, deducentẽ nos in cognoſcibile: cũ methodo igitur aliqud agere, eſt cum ratione in cognoſcibile traduci: ratio cauſa eſt, at cauſa eſt mediũ, quo demonſtratio fit, qui methodo igitur nunc dicta progreditur, demonſtratione vtitur.

Quid ſit demõſtratiua meth.

Quotuplex ſit demõſtratiua meth.

Cum autem demoſtratio duplex ſit, vel potiſſima, quæ à cauſis ad effectus, à principijs ad principiata procedit, vel dicatur demonſtratio quia, quæ ab effectibus ad cauſas tendit: hinc duo erunt principia, ſecundum quæ methodicè procedimus, alterum, quod à notis nobis, & à principiatis, alterum, quod à natura notis, & principijs exorditur, vt à carceribus ad metam, vel à meta ad carceres. Demonſtratiua methodo à prioribus, & natura notis procedente vtendum eſſe præcipuè docuit Gal. in lib. methodi, & 1. ad Glauconem cap. 1. Ibi enim ab inuenta per diuiſionem rerum natura, atq; eſſentia, indicationes ſumẽdas eſſe præcepit, vt in agendorum notitiam peruenire poſſimus. Et propterea

rea 7. meth. cap. 5. dicebat in methodo demonstratiua exercendos esse medicos, & pri. de symptomatum caus. cap. 5. asserit, demonstrare aliquid volentes debere à rei substantia exordiri. At demonstratiuam methodum à posteriori, & à notis nobis seruauit præsertim in libris de crisibus, & de locis affectis, vbi ꝑ signa, & ꝑ effectus docuit, qua ratione morbi, & partes affectæ sint cognoscẽdę.

Cum itaq; à principijs, vel à principiatis incipiant, qui methodicè aliquid tractare aggrediuntur, qua ratione sequantur, & procedant, dicendum est. Cũ ratione, hoc est cum causa methodum procedere dixi, ergo demõstratiuè, quare & scientificè, ex proprijs igitur procedendum est, oportebit itaq; terminos omnes per se, & secundum quod ipsum inter se iungi, vt 1. posteriorum docuit Aristoteles. Hinc qui methodicè procedũt, sermones suos nõ nisi ex proprijs, & ex his, quæ sunt per se instituere debent.

Quomodo in demonstrat. meth. ꝓced. sit.

Et quoniam methodus est via, quę ex hoc termino, per hoc medium, in hunc finem nos deducit: finis verus, & maximè proprius methodi scientificæ est, quando de cognoscibili nullum propter quid amplius quærendum restat, hoc est satisfactum fuit oĩbus quæstionibus, quæ subiecto insunt per se, & secũdum quod ipsum. Si talis igitur est methodus, ergo & methodicus, qui hac ratione procedit, siue modò in scientijs, siue in artibus methodum hanc obseruauerit. Nam artes scientiarum processum æmulantur.

Quis sit finis meth. scientificæ.

Verùm sicuti differunt artes à scientijs, ita etiam diuersi sunt fines methodorum vtrarunq; licet enim in ambabus procedendum sit à notis ad ignota, & per propria principia; finis tamẽ methodi scient ficę, vt dictum fuit, est scientia, & cognitio; nam in hac sciens quiescit; scientiæ etenim per se tantùm desiderãtur. At finis alicuius artis est opus: quare artifex etiam si cognoscat, & contempletur theoremata quædam vniuersalia, licetque demonstrationes constituat, non tamen hic est illius finis, cum non sit sola cognitione contentus, sed hanc eandem dirigat ad finem proprium consequendum, nempe ad opus.

Finis meth. in arte.

Cæterum hæc satis de methodo in vniuersali sint dicta; si quis autem plura cupit, logicos adeat, & nos ad methodum medicam facultatem respicientem nostrum conuertamus sermonem, & contemplemur, quid sit, & quotuplex.

Quid sit medendi methodus. Cap. III.

Asclepiades, vt refert Cornelius Celsus lib. 3. cap. 4. dicebat, officium medici esse, vt tutò, vt celeriter, vt iucundè curet. Id etiam affirmare videtur Gal. 14. meth. c. 13. cum dicat in omnium morborum ablatione id perpetuò agere debere medicum, vt ex rationibus, quibus finem suum consequatur, optimam semper earum deligat: optimæ verò rationes agendorum triplici-ter iudicantur, tum ex temporis curandi breuitate, tum ex curando citra dolorem, tum maximè ex tutò curando. Verùm quoniam ferè periculosa esse nimium & festinatio, & voluptas solet, vt inquit Celsus; propterea Gal. dixit tũ maximè ex tutò curando, quasi id sibi voluerit, officium quidem medici esse curare celeriter, & iucundè quantùm fieri potest, ità tamen vt tutò curet: siquidem hoc præcipuè est, quod à medico expeti debet. Et rursus, vt tutò curet medicus, tria propria sunt, quibus intentus sit, oportet ex Gal. mente loco citato. Vnum, primumq; vt omnino absolutionem operis consequatur. Alterum, vt vbi hoc consequi non licet, saltem cubantem non lædat. Tertium, vt vitium non facilè reuertatur. Quæ præstare nulla ratione poterit medicus sine metho-

Quale sit medici officium.

Quæ agend. vt tutò curemus.

di

di medendi,& indicationum cognitione. Quare,primo dicamus,quid sit medendi methodus, quoniam à definitione exordiri debet,qui methodicè procedit. Medendi autem methodum sic definiendam esse existimo.

Quid sit medendi meth.

Methodus medendi est via,qua mediantibus indicationibus notis in agendorum, & rectæ eorundem administratonis cognitionem peruenimus,vt sanitas deperdita in humanum corpus introducatur.

Scio alios aliter desiniuisse methodum dicẽtes, medendi methodum esse artem, qua per indicationem inueniuntur iuuantia, vt deperdita sanitas hominis reparetur. Quæ sanè definitio etiamsi diuersum genus continere videatur, cum in ea loco generis ponatur ars, ego verò dixerim methodum esse viã: vtraque tamen opinio sustineri potest. Nam ipsi sumunt methodum in vniuersali pro vniuersa videlicet medendi arte methodo tradita, ego autem nomine methodi intelligo instrumẽtũ quoddam particulare, seu progressum, seu viam, qua medicus artis habitu præditus vtitur, vt à notis quibusdam principijs deueniat in agendorum cognitionem pro sanitatis recuperatione. Sic Galen.4. meth.4. methodum hanc vocauit viam quandam vniuersalem in omnibus particularibus similem. Sic etiam Aristot.1.phys.tex.2. innatam ex notionibus nobis viam methodum appellauit. Ea igitur maiori breuitate, qua fieri potest,declaremus allatam methodi definitionem.

Declar. definit. meth. medendi.

Constat itaq; definitio hæc ex genere, & differentia. Genus est *via, quà notis in agendorum notitiam peruenimus.* Hoc etenim commune est artibus omnibus methodo aliqua vtentibus, vt ex quibusdam principijs, & theorematibus vniuersalibus cognitis deueniant in cognitionem agendorum, vt finem suum consequi valeant. Quòd si artes omnes hoc pacto procedunt, ergo & medica ars in hoc genere conueniet cum cæteris artibus, vt scilicet vtatur methodo, quæ à notis quibusdam principijs, nempe indicationibus à rei natura desumptis in agendorum notitiam nos deducat. Siquidem agendorum cognitio acquiritur mediantibus indicationibus, tanquam principijs notissimis, quoniam, vt videbimus, in medendi methodo indicationes sunt principia immediata syllogistica, quibus deuenimus in cognitionem agendorum, vt proprium consequamur finem.

Verùm non sat est nouisse simpliciter, quid agendũ sit, exempli gratia, quòd febris refrigerantia expostulet, quòd humores putridi febrem generantes educendi, quòd vires per alimenta conseruandæ sint, & similia; sed præter agendorum notitiam, eorundem etiam recta administratio requiritur. Vnde Gal.1.ad Glauconem cap.1. dicebat medendi methodum perfici qualitate, & quantitate singulorum auxiliorum, necnon & modo vsus eorum, & temporis occasione. Quod etiam ante Gal. docuit Hippoc.6.epid.2.tex.33. dum ait. Transitus aperiri, vt nares, & alia, quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, & vbi, & quando, & quantùm oportet, vt sudores, & alia planè omnia.

Agendorum numerus.

Manifestum igitur est, quodnam sit genus in hac definitione, & quænã sint illa, quæ in medendi methodo agere debeamus, vt finem propositum sanitatem scilicet consequi valeamus, nimirum quid agendum, quale agendum, quantùm agendum, quomodo, vbi, & quando agendum. Quorum alia pertinent ad auxiliorum inuentionem, alia verò ad rectam eorundem administrationem. Quæ tamen omnia mediantibus indicationibus colliguntur, ac cognoscuntur, queq; infra exactè declarabuntur.

Differentia meth. medẽdi ab alijs.

Differentia verò qua medendi methodus a cæteris artibus & methodis differt, continetur illis verbis, *vt sanitas deperdita in humanum corpus introducatur*. Siquidem hic est medicinæ curatricis finis: fine verò artes inuicem distinguuntur. Quinimo per hanc eandem differentiam differt etiam à methodo tuendæ sanitatis, cum huius finis sit, non sanitatem introducere, sed introductam conseruare.

Quis sit verus finis methodi. med.

Et licet Gal. 2. meth. cap. vlt. dicat, finem methodi medendi esse inuenire cuiusq; morbi propria remedia, & 1. meth. cap 5. esse inuenire curationem omniũ morborum, nihilominus hic non est vltimus, & verus finis methodi medendi, sed est ipsa sanitas. Nam inuenire remedia idonea, & opportuna, seu inuenire curationem, est inuenire actionem, & media, quæ nos ad finem verum, & vltimum, qui est sanitas, deducunt, vt aliàs memini me demonstrasse, vel ex ipsa Gal. auctoritate lib. ad Thrasybulum cap. 27. vbi affirmat, dicere curationem, sanationem, omnia pro sanitate facere, & alia huiusmodi esse finem artis, hominis est non potentis distinguere finem ab actione, quę finem præcedit.

In methodo medẽdi duo fines.

Notandum tamen est in methodo medendi duos esse posse fines, quorum alter cognitionem, alter actionem respicit. Siquidem dum vi methodi conclusum fuerit, quid agendum, vt cognita exempli gratia hac conclusione, quòd sit refrigerandum, vel euacuandum, conclusio hæc dici potest finis cognitionis, & methodi, at dicitur principium actionis, nempe curationis, cuius finis est sanitas. Cum etenim medicus non sit sola cognitione contentus, sed eam ad opus ordinet, ac dirigat; hinc factum est, quòd finis methodi medendi, seu cognitionis, & contemplationis (qui tamen impropriè finis appellatur, cum ad vlteriora sit ordinatus) efficiatur principium actionis. Vbi enim desinit contemplatio, ibi incipit actio, quam sequitur opus, atq; hic est verus, & propriè dictus artificis finis. Ad priorem finem respiciens Gal 2. meth. cap. vlt. dicebat, finem methodi medendi esse inuenire cuiusq; morbi propria remedia, & 1. meth. cap. 5. esse inuenire curationem omniũ morborum. Ad vltimum verò, & propriè dictum finem respiciens lib. ad Thrasyb. citato dicebat, finem methodi medendi esse sanitatem.

Altera methodi differentia.

Verùm præter hanc differentiam à fine desumptam, altera etiam in definitione ponitur, qua medendi methodus differt non solùm ab alijs methodis, & artibus, sed etiam à methodo, qua empirici vtuntur. Differentia autem hæc continetur illis verbis *mediantibus indicationibus notis*, quoniam indicationes sunt principia immediata syllogistica in methodo medendi, vt infra docebimus, principia autem debent esse propria illius facultatis; siquidem facultas omnis, vt methodo demõstratiua vtatur, debet procedere ex proprijs, non communibus principijs. Quinimo per hanc differentiam differt etiam ab empiricorum meth. si modo processus, quo ipsi vtuntur, meth. vocari debet. Nam cum ipsi quoq; procedant à quibusdam notis in agendorum notitiam, methodicè procedere videntur: verum quoniam experientia innituntur, & hæc acquiritur per ea, quæ nota sunt secundum sensum: ergo opposito modo procedunt, ac faciant rationales, quando procedant per ea, quæ nota sunt secundum sensum; rationales verò per ea, quæ sunt nota natura; siquidem indicatio est natura nota, vt infra ex Gal. mente demonstrabimus.

Quisnam sit carcer, & principium medendi methodi, & per quæ media progrediatur. Cap. IV.

APparuit ex supradictis finem medendi methodi esse, vt deperdita sanitas in humanum corpus introducatur: necesse igitur est, vt via, quæ ad hunc finem consequendum nos perducit, habeat principium aliquod. Hoc autem est ipsius morbi, aut causæ morbificæ cognitio, siue natura. Verùm impossibile est morbum perfectè cognoscere, cum sit quid præter naturam, nisi prius etiã cognoscamus id, quod est secundam naturam, cum sit natura prius.

Principium medendi methodi.

Nam si sanitas est constitutio secundum naturam actiones perficiens, quæ consistit in mediocri primarum qualitatum tẽperie, & optima partium conformatione, ergo morbus illi oppositus erit dispositio præter naturam primò operationes lędens, & erit vel in intemperie, aut in praua partium conformatione: contraria enim versantur circa idem subiectum, & contrariorum etiam, vt passim dicitur, eadem est disciplina. Quocirca nemo ægrotantem quempiam methodicè curare poterit, nisi prius cognouerit naturalem statum illius, qui afficitur morbo, cuius curationem aggreditur. Vt iure Galen. 1. ad Glauconem cap. 1. dixerit medicum illos, quorum habet notitiã, melius curare, quàm alios ignotos. A rerum itaque tum naturalium, tum præternaturalium essentia, ac definitione exordiri debet, qui medendi methodum profitetur. Quod colligi potest ex Gal. 2. meth. cap. vlt. & 6. meth. cap. 2. vbi ait, propriũ esse medici vtentis methodo sumere indicationes à rerum natura. Et tertio methodi cap. 1. hæc habet, si igitur indicatio, quæ ab ipsa rei natura primum oritur, quid agẽdum sit, inuenit, necesse est, remediorum inueniendorum initium ex morborum ipsorum natura sumi. Hic igitur est carcer, hoc est principium methodi medendi.

Cur à rei natura exordiatur medẽdi methodus.

Quis igitur sit medendi methodi finis, quodue eiusdem principium, ex his ita in vniuersali patet, sed cur id sit principium, & ab illius cognitione incipere debeat medicus, nunc est considerandum, ratioque propter quam id fiat, afferenda.

1. Ratio.

Ratio duplex est, & vtramque declarat Auerroes in suis colliget, quinimò vtranq; etiam attingit Gal. lib. de constitutione artis medicæ, cap. 11. Altera sumitur à medicinæ subiecto, altera autem ab eiusdem fine.

Cum etenim corpus humanũ sit medicinæ subiectũ, in quod vult medicus sanitatem deperditam introducere; & nullus artifex versari possit circa subiectum penitus incognitum, sed illius tantam cognitionem habere debeat, quantùm ars illa pro suo fine obtinendo requirit; ergo operæpretium est, vt medicus humani corporis tantam pręcognitionem, atque notitiam habeat, quantam medica facultas pro sui finis cõsecutione requirit. Quod ex se constat, & manifestissimè etiam docet Aristoteles cap. vlt. primi libri de moribus, vbi asserit philosophum moralem debere habere aliquam animæ cognitionem, atque ad intentionem suam probandam vtitur exemplo à medicina desumpto. Sicuti enim medicus oculum curaturus debet ante omnia eam oculi cognitionẽ habere, quam illius sanatio expostulat, ita moralis philosophus animam sanaturus debet aliquam animæ notitiã prius habere. Necessaria igitur est arti medicæ tam operanti, quàm docenti præcognitio humani corporis, & omniũ eius partium, cum proprijs singularum temperamentis, magnitudine, numero, figura,

situ, officijs, operationibus, & vsibus, & si alia sunt huius census . Quomodo enim vitia, & morbos humani corporis, & eius partium recte cognoscere, & curare poterit medicus, nisi corpus, eiusque partes, sicuti secundum naturam se habent, prius cognouerit, vt nos docuit Gal. lib. de constitutione artis medicæ cap. 11. supra citato.

Verum tamen cum non solum teneatur medicus sanitatẽ conseruare, sed morbum etiam auferre, & sanitatem introducere; ideo præter subiecti cognitionem, necessarium est etiam, vt morborũ numerum, ac differentias omnes cognoscat. At quoniam fieri nequit, vt aut differentias generis vllius, aut species inuenias, ipso, quod diuiditur, genere non plane cognito, oportet prius quid sit morbus cognoscere, vt eius diuisionem rite adeamus; quod nos docuit Gal. 1. meth. cap. 5. per quam deinde diuisionẽ deuenimus in cognitionem essentiæ, ac naturę illius particularis morbi, à quo incipit medendi methodus, & à quo indicationes sumuntur, vt recta eiusdem curatio instituatur. Et quod de morbo dictum fuit, idem etiam de morbifica causa intelligi debet.

Altera vero ratio desumitur ab eiusdem fine, qui est est sanitas: finis autem in arte duplici præcognitione cognosci debet, quemadmodum etiam scientię subiectum dupliciter præcognoscitur, vt docuit Aristoteles 1. libro posteriorum. *2. ratio.* Quapropter cum subiectum in scientia sit præcognoscendum, quod sit, & quid sit, ita finis in arte præcognosci debet, tum quod sit, seu quod fieri possit, tũ quid sit; nisi enim esse posset, frustra quærerentur media, frustra traderentur præcepta pro eius generatione, & consecutione. Neque satis est hæc finis præcognitio, quod esse, & fieri possit, sed etiam quid sit cognoscendum, cum definitio illa sola sit, quæ nos ducere potest ad inuentionem, & cognitionem mediorum, quibus finem consequi valeamus. Quod docuit Aristoteles 7. metaph. tex. 23. dicẽs artium omnium doctrinam fieri à notione finis. Quod fatetur etiam Gal. lib. artis medicæ statim ab initio. Quod deniq; ipsemet Gal. obseruauit lib. de constitutione artis medicæ. At nihil aliud est notio finis, nisi illius definitio. Cum igitur finis artis medicæ, vt sæpius dictum est, sit sanitas, tum conseruanda, si præsens sit, tum recuperanda si absens fuerit, debet medicus ante omnia præcognoscere sanitatem amitti, & recuperari posse: deinde etiam quid sit sanitas, & quid sit morbus, & in quo hæc duo consistant, atq; à quibus causis efficiantur. Hoc etenim ignorato, qua ratione remedia pro recuperanda, vel conseruanda sanitate inueniri poterunt? Hic itaq; est carcer, hoc est principium methodi medendi, nimirum rerum naturalium, & præternaturalium essentia, atq; definitio.

Sed per quænam media ab hoc principio ad finem consequendũ progredi oportet? per notissima, & indemonstrabilia: cuiusmodi sunt indicationes; sicuti enim principia, quibus cõclusiones demonstratiue probamus, debent esse natura nota, & indemonstrabilia, vt docuit Aristot. 1. posteriorum cap. 2. ita ẽt principia quibus in arte vtimur ad agendorum cognitionẽ acquirendã, quibus deinde proprium consequamur finẽ, si methodice procedendum sit, debent esse notissima, & indemonstrabilia, vt docet Gal. 1. meth. cap. 4. Hæc aũt duo sunt, nẽpe vt ea, quę sunt secundũ naturã similibus conseruẽtur, & ea, quæ sunt præter naturã, per contraria auferantur. *Per quę media progrediatur medendi methodus.* Huc etenim omnes indicationes conspirant, & ad hęc duo vniuersalissima principia reducuntur. Quoniã ex Gal. 11. meth. cap. 13. omne, quod est præter naturam, contrarium semper indicat, quod vero secundum naturam se habet, simile. Et pariter 11. meth. cap. 12. asserit omnem medendi methodum confundere, quisquis hanc indicationem neglexerit. Habuimus itaque

hucusq; in vniuersali, quid sit medendi methodus: Quis eiusdem finis, atq; principium, & per quæ media procedendum sit ad hunc finem consequendum.

An contraria contrarijs semper curentur. Cap. V.

DVo esse notissima, & indemonstrabilia principia, quibus tota innititur medendi methodus, dictum fuit in præcedenti. Alterum est, quod, quę sunt præter naturam, contrarijs sint tollenda. Alterum est, quæ secundum naturam se habent, similibus sunt conuersanda. Atq; huiuscemodi principia, quæ propria sunt, & indemonstrabilia, adeo notissimæ veritatis esse debent, vt nil magis falsũ esse credatur, quam eis contraria, aut contrardictoria principia, vt docuit Aristoteles 1. lib. post. cap. 2. Quapropter pro huius veritatis confirmatione superfluum, quinimo absurdum est afferre rationes, & Hippocr. atq; Gal. auctoritates, quæ id probent; siquidem principia in sua facultate non probantur.

Verum enim vero licet notissima sint principia hæc, & res omnino ita sese habeat, nihilonimus cum ad praxim deducuntur, quia res pręter naturam auferri non semper contrarijs, sed quandoq; similibus, & quæ sunt secundum naturam non perpetuo per similia, sed interdum per contraria conseruari videntur. Propterea nõnulli, quomodo id fiat, non recte intelligẽtes in dubiũ reuocarũt, quod notissimũ esse deberet. Quocirca ne vlla amplius remaneat difficultas, paucis declarare operæ precium est, qua ratione principia hæc, cum formaliter verissima sint, & notissima, talia etiam sint materialiter, quando scilicet ad praxim reuocantur, licet talia semper non appareant.

Quæ igitur huius principij (contraria contrarijs curantur) veritatem obscurare videntur, proponuntur, & soluuntur à Gal. 6. epid. 2. tex. 9. sumpta occasione ab Hippocr. verbis in illo textu propositis.

Quod similia interdũ similibus curentur. 1. ratio. Inquit etenim Hippocr. in affectibus quandoq; nos facere simile, vt dum dolor dolorem sedat Quod duobus exemplis declarat Gal. in commento. Primum est, quando ex inustione ferro candente facta, quæ dolorẽ infert, coxendicẽ morbum curamus, quare dolor dolorẽ sedat. Secundum est, quando quis dolet dẽte, si dens extrahatur cessat dolor verũ in dentis extractione magnus efficitur dolor, ergo dolor dolorẽ sedat, quare simile quandoq; curatur simili; nõ sẽper cõtrario.

2. ratio. Secundo vomitus curatur vomitu, & acri clystere mordaces deiectiones sępe curantur, quare simile simili interdum curari contingit. Hæc Gal.

3. ratio. Quibus tertio loco addo febres sæpissime curari euacuãtibus, calefaciẽtibus, & cõcoquẽtibus, quę nulla ratione febri sunt contraria, sed potius similia, cũ sint calida, ergo non semper curatio fit per remedia contraria.

Hipp. sententia à Gal. explicata. Hæc tamen omnia leuissima sunt, & nullius pensi, & apparentiam quandam solum habere videntur. Nam quoad Hippocr. auctoritatem spectat, Gal. vt demonstret nusquam Hipocr. credidisse similia curari similibus adducit alteram eiusdem auctoritatem ex 5. aph. 21. desumpta. Vbi vnico exemplo indicauit Hippocr. cur decepti fuerint nonnulli, qui non semper à cõtrarijs, sed quasdam interdum curationes per similia fieri suspicantur. *Cur quidã decepti fuerint.* Exemplum itaq; quo decipiũtur est, quia quandoq; in neruorum conuulsione sine vlcere iuueni carnoso ęstate media, frigidæ multæ infusio calorem reuocat calor autem hæc soluit: Inquit Hippocr. Quare frigidam affectũ, qualis est neruorum cõuulsio, simili auxilio se curare quispiã putauerit, si frigida ipsũ aqua consperserit; vnde opinantur simile quandoq; simili sanari. At falluntur, quia id nõ ita se habet. Nã retractio caloris est illa, quę iuuat, & cõuulsionẽ sanat; vigoratus etenim per antiperistasim, calor

(alioqui

(alioqui in iuuene carnoso, & æstate media satis validus) à frigidæ aquæ asper sione, humorem pituitosum, & frigidum conuu sionem efficiētē attenuat, digerit, & resoluit, hinc conuulsio sanatur, non quidem ab aqua frigida, sed à calore retracto, & sic contraria contrarijs curantur, non similibus, nisi per accidens; siquidem accidit calorem à frigidæ aquæ aspersione retrahi, & vigorari.

Respondetur. 1. rationi.

Quod si dolor dolorem sedare videtur, vt dicit Hippocr. & vt ostensum fuit duobus exemplis. Respondet Gal. dicens. Qui maiori dolore minorē curare arbitrantur, mirifice falluntur. Neq; enim dolor dolorem curat, sed remedium, quod cum dolore affectum doloris auctorem debet. Quoniam nulli symptomati primario, sed affectui, quem symptoma sequitur, curatio semper debetur. Quapropter absurdum est existimare, coxa adusta dolorem dolore sanauisse; neque enim à dolore, sed ab exustione, cui dolor adiunctus erat, partem illam calefaciēte, & exsiccante humorem illum mucosum, & frigidū, qui doloris causa erat, ægritudo sanata fuit, non itaq; à simili, sed à contrario. Eodem modo & dentem dolore vexatum, si quis euellens hominem dolore liberet, non per dolorem in extrahendo dente excitatum, sed per extractionem, cui dolor adiunctus erat, id assecutus fuit. Quoniam si citra dolorem etiam dentem eximere potuisset, pariter ægrotans à dolore liber euasisset. Extractio igitur est illa, quæ dolorem tollit, non autem dolor; tollit autem, quoniam auferendo dentem, aufert causam comprimentem neruum denti insertum, vnde dolor efficiebatur.

Soluitur. 2 ratio.

Dum vero vomitus vomitum, & clysteres alui fluxum curare videntur. Id præstant remouendo causam vomitus, & fluxus. Accidit enim materiam vomitum efficientem per vomitum educi, & materiam pariter fluxum alui causantem per aluum euacuari mediante clystere. Quare simile videtur curare simile; sed id est per accidens, non autem per se, vt inquit Gal. loco citato. Per se autem vomitus à medico inductus materiam peccantem in ventriculo existentem, & vomitum causantem educit, & ei contrariatur. Siquidem repletionem euacuatio sanat; euacuatio autem, & repletio sunt contraria.

Ad 3. rationem.

Ad id vero de febre dico, ipsam curari euacuantibus, calefacientibus etiam, & concoquentibus, non quia hæc per se refrigerent, & quatenus febri contraria sint, aut similia, sed quia causam febrem efficientem remouent. Nam euacuatio educit humores peccantes, & putridos, & sic eorundem eductio est contraria repletioni. Medicamenta calefacientia attenuantia, & detergentia tollunt obstructiones factas ab humoribus frigidis, crassis, & viscidis quare pariter per contraria curantur. Concoquentia vero præparant humores educendos, si tenuiores fuerint incrassando, si crassiores attenuando, si calidiores refrigerando, si frigidiores calefaciendo, quæ omnia sibi inuicem contrariantur. Ergo semper contraria contrarijs tolluntur, nunquam similibus, nisi, vt dictum fuit per accidens. Adeo vt præceptum illud, contrariorum contraria sunt remedia, nusquam aliquando verum sit, aliquando falsum, imo id perpetuò verum est: quādo fieri nequeat, vt eorum, quæ præter naturam sint, quicquam, per aliam vllam remediorum speciem curetur, vt docet Gal. 11. meth. cap. 12. siue modo fuerint morbi, siue morbi causæ, siue, symptomata.

Quid nomine contrariorum intelligere debeamus.

Verum duo ex Gal. animaduertenda sunt. Alterum habetur 11. meth. nunc citato, & est: propositionem hanc, contraria contrarijs curari, non esse ita intelligendam, vt nomine contrariorum contraria propriedicta capiamus pro vt contra distinguuntur ab alijs oppositionis speciebus, sed per contraria debemus intelligere opposita, quæ quomodocunq; præter naturam affectui, quem curare

studemus, opponuntur? Multa enim reperiuntur, quæ non sunt vere contraria sed alio modo opposita. Vt exempli gratia, obstructionibus aperientia, repletioni euacuatio, fluxioni reuulsio, interceptio, deriuatio, repulsio, defectui additio, redundantiæ, & quantitati ablatio, humoribus impactis discussio, & resolutio, contracto relaxatum, densum raro contrariatur, & alia penè infinita, quæ contraria proprie dicta non sunt. Quare cum dicimus contrariorum contraria esse remedia, id intelligendum est de quacumq; oppositionis specie, etiam lato modo accepta, dummodo aliquod contrarietatis specimen præseferat.

Quot modis remedia contraria dicantur.

Alterum quod noto ex eodem Gal. 11. meth. cap. 2. & 9. est, contrariorum quædam talia esse actu, nonnulla potestate, alia vero ex accidenti. Actu exempli gratia febri contaria est aquæ gelidæ potio. Potestatę vero contraria sunt medicamenta, quæ refrigerandi vim habent, vt Cicoreū, Lactuca, Endiuia, & huiuscemodi. Hæc enim cum sint composita, & elementata, vt dicunt, non sunt actu frigida, sed solum potestate, cum habeant vim, quando ad actum sunt reducta refrigerandi. At contraria, ex accidenti in febris curatione illa dicuntur, quæ per se aliud quidem agunt, sed ex accidenti refrigerant, vt venæ sectio, aut sanguinis extractio alio modo facta, humorum calidorum per medicamenta purgantia eductio, de obstruentia medicamenta, balneum aquæ dulcis calidum. Hęc etenim omnia ex accidenti refrigerant, quare contraria febri ex accidenti dicuntur, licet per se causis febrem efficientibus opponantur.

An similia similibus semper conseruentur? Cap. VI.

MAiorem habet difficultatem alterum principium medicum: an scilicet similia similibus semper conseruari possint, cum adsint auctoritates, & rationes pro vtraq; parte. Quare 1. loco proponam auctoritates, & rationes, quę docere videntur non semper similia similibus conseruari, sed quandoq; contrarijs. Secundo in medium afferam auctoritates, & rationes, quæ oppositum probant. Tertio quædam declaro, vt ex ipsis deinde appareat, quomodo tollenda sit hæc difficultas.

Quod similia conseruentur contrarijs. 1. auctorit.

Et in primis quod similia contrarijs conseruentur, non similibus, docuerunt Hippocr. & Gal. 3 aph. 1. Inquit enim Hippocr. Naturarū hæc quidem ad æstatem hæ vero ad hyemem bene, maleue se habent. Et Gal. in commento id explicans ait. Ad æstatem itaq; frigidæ, & humidæ naturæ optime afficiuntur, ad hyemem vero calidæ, & siccæ: sicuti & male afficiuntur calidæ, & siccæ ad æstatem, frigidæ, & humidæ ad hyemem.

2.

Et clarius in commento aphorismi sequentis id docet Gal. vbi loquens de tēporibus, locis, & victus generibus asserit intemperatas naturas, & ætates melius se habere, dum degunt in locis contrarijs, dum tempora contraria sunt, & dum vtuntur victu contrario. Ætates enim quemadmodum & naturæ, frigidæ, quidem ad calida, calidæ vero ad frigida; senum quidem ad æstatem, iuuenum vero ad hyemem bene se habent. Eadem ratione & ad loca; nam magis sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, in calidis frigidiores; sic vero & ad victus genera. Nam calidiores ad frigidiora, frigidiores vero ad calidiora, sicciores ad humidiora, humidiores autem ad sicciora bene se habent. Et vt simpliciter dixerim contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male: pręter quam si ætas temperata & victui, & regioni, & loco temperato comparetur. Hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Quę vero plus à temperie re-

rie recesserunt ætates, ijs secundum temperaturam contraria loca, & tempora, & victus genera conferunt magis. Quod autem dictum est de ætatibus, id de naturis etiam intelligi debet.

Præterea Gal. 1. epid. 2. tex. 7. Idem affirmat, corporibus scilicet, naturis, & ætatibus intemperatis similes tempestates esse insalubres, at contrarias ijs proficere, sed temperatis corporibus temperatos status prodesse. Simile igitur conseruatur sępe contrarijs, non similibus. 3.

Insuper libro artis medicæ cap. 19. inter signa cerebri calidi, & humidi id enumerat Gal. quod à calefacientibus, atq; humectantibus facile offendatur, lęditur igitur à similibus, quare à contrarijs conseruabitur. Pręter has multę aliæ sunt auctoritates idem ostendentes, quas tamen consultò prętermitto, cum similes sint iam dictis. 4.

Auctoritatibus addo etiam rationem. Quoniam intemperata corpora, vt puta calidiora, si similibus nempe calidioribus conseruarentur, euidentissimum incurrerent periculum, ne à similibus intemperies adaucta egrederetur sanitatis limites, & morbosa euaderet. Vnde tutius est intemperatas naturas conseruare contrarijs, quam similibus. *Ratio idem suadens.*

Ex altera parte non desunt penè infinitę auctoritates Hippocr. & Gal. ostendentes similia similibus conseruanda esse, vna tamen vel altera contenti erimus. Ne quod verissimum supponendum est, & tanquam principium indemonstrabile, probare videamur.

Primo est illud Hippocr. 1 aph. 16. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, & alijs qui tali victu vti consueuerunt. Et Gal. in com. reddens causam, propter quam victus humidus maxime conueniat pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt, ait. Humidioribus vero naturis siue propter ætatem, siue propter consuetudinem non contrarium, sed familiarem victum conuenire asserit Hippocr. Oportet enim conseruare naturam eorum per humida, non quemadmodum morbos demoliri. *Quod similia simillibus conseruanda sint. 1. auctoritas.*

Addite Gal. 3. meth. 3. loquentem de medicamentis carnem gignentibus, & vlcus cauum implētibus docere ea seligenda esse, quę magis, vel minus exsiccēt, pro vt diuersa est natura carnis in hoc vel illo subiecto, in hac vel illa corporis parte. In quibus etenim est humidior minus siccantia esse debent medicamenta, in quibus caro est siccior, magis exsiccantia sint, oportet: ad hoc vt similibus, quātum fieri potest, propria carnis natura conseruetur. Namq; scire licet duas esse primarum indicationum differentias, quod secundum naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea, quę similia sui sint, postulante, quod pręter naturam est, sublationem sui, eòq; contraria requirente: perit enim quicq; à contrario, & in contrarium, at conseruatur simili. 2.

Idem suadet & ratio. Nam temperies, quam à primo semine quisq; contraxit, siue temperata fuerit, siue intemperata dicitur esse secundum illius naturam, cuius est temperies: si quam autem contingat mutationem pati, & vel ad contrarium statum mutari, vel proprium excedere, necessarium est, vt illico in morbum labatur. Mutationem vero patitur à contrarijs sicuti à similibus conseruatur, quę tamen debent esse similia tum secundum qualitatem, tum secundum gradus, aliter si excesserint, non amplius conseruabitur, sed adaucta intemperies illa in morbum incidet. Ergo cuiusq; natura, si conseruari debet, similibus conseruanda, nam à contrarijs destruitur. *Ratio idē probans.*

Difficultatem hanc soluere, & enodare videtur Gal. lib. artis medicæ cap. 85. *Sol. ex Gal.*

adducens

adducens distinctionem quandam conseruationis. Nam conseruatio vel respicit temperatas naturas, & tunc semper efficitur per similia, vel respicit naturas intemperatas, & rursus hæc est duplex: quia vel dicitur propriè conseruatio, vel vocatur correctio. Conseruatio propriè dicta est illa, quæ efficitur per similia, quæq; conseruat corpus in eodem statu, in quo est; vt verbi gratia calidius corpus per calidiora in eodem gradu conseruatur. Nam si vel minus, vel magis calida essent, profectò non amplius in eodem statu illud conseruarent. Correctio vero illa est, quæ corpus intemperatum ad meliorem statum traducit, & id præstat per contraria.

Conseruatio duplex.

Hanc eandem distinctionem habemus 8 meth. cap. 9. cum dicat eo loci Gal. temperamenta ipsa aliàs similia, aliàs postulare contraria. Quæ enim vitio carent, & temperata sunt, similia perpetuo expostulant, quippe quæ seruare expedit. Quæ verò vitium habent, & sunt intemperata aliàs similia, alias contraria requirunt. Et rationem addit, quoniam temperamenta vitiosa, nec ad vnguem naturaliter se habent, aliter non essent vitiosa, nec prorsus sunt præter naturam, quando sint intra sanitatis limites. Quapropter modo similia, modo contraria expostulant: similia quidem si illa conseruare volumus: contraria vero si corrigere eorum in temperiem studemus. Quippe duplex nobis in ijs, qui sani sunt, finis proponitur, nempe vel corpus sanum in pristina eius temperie tueri, vel etiam hanc meliorem reddere.

Cur intemperatę naturę modo similia modo contraria requirant.

Obiectio.

Sed videns Gal. lib. artis medicæ supra citato aliquē posse dicere: quo pacto, dū corrigere naturalē quandā intemperiē, & eam ad meliorem statum traducere tētamus, actionē hanc conseruationē vocare possumus? Nā fortè magis alteratiuā, & curatiuam, & naturalium defectuum correctiuam appellare conueniens erat.

Sol.

Ideo huic obiectioni respondens dicit actionem hanc ad duo posse referri, vel ad vniuersum sanitatis genus, vel ad sanitatem huius, vel illius particularis hominis. Si respiciamus sanitatem huius, vel illius, cum illam ad meliorem statum traducat, potius correctio, quam conseruatio appellanda est; quoniam non conseruat, sed mutat. Et quia pauca admodum sunt temperata corpora, ferè autem omnia intemperata; & rursus temperata corpora, cum sint in continua mutatione, non ex toto integra, illæsaq; durant, ideò semper aliquo correctore indigent. Vnde Gal. hac ratione ductus lib. ad Thrasyb. cap. 19 & 30. hanc facultatem medicam totam correctiuam appellare videtur. At si actionem illam, nempe correctionem ad sanitatem in genere referamus, profectò conseruationis nomen meretur. Nam illa omnia conseruatiua vocamus, quæ sanitatem in genere conseruant, siue modo id efficiant, quoniam ad meliorem statum intemperatas naturas reducant, siue pristinum earundem habitum tueantur.

Alia distinctio pro solutione difficultatis.

Huic Galenicæ distinctioni liceat alterā addere, quæ cum ea coincidere videtur. Quod scilicet aliud est dicere corpora conseruari in eodem statu, aliud est dicere corpora iuuari, & ad meliorem statum traduci, & bene se habere. Conseruantur corpora, siue temperata, siue intemperata in eodem statu per similia secundum gradum, vt docuit Gal. lib. artis medicæ cap. 85 citato quoniam temperata corpora à salubribus causis temperatis conseruantur: intemperata vero ab intemperatis, quæ tantum à causis optime temperatæ naturæ distabunt, quantum & totius corporis intemperatura ab illa euariat. At corpora intemperata iuuantur, & ad meliorem statum traducuntur, & melius se habent non à similibus, sed à contrarijs.

Vtrum igitur melius est, & tutius conseruare naturas intemperatas in eodem

statu

statu per similia, an ad meliorem eas traducere per contraria? Gal. lib. artis medicæ citato, & 5. de san. tuen. cap. 10. & alibi inquit, apud medicos vicissim vtriusque vsum esse necessarium. Nam cum plurimum suppetit otij, corrigere oportet, ac sensim ad meliora transferre. Neq; enim natura patitur eas, quæ subito fiunt alterationes. Homine autem necessarijs occupationibus districtum, in eodem præstat habitu conseruare. Præterea ex eodem Gal. 8. meth. 9. satius est intemperatas naturas ad melius transferre, cum planè valent, non cum ægrotant. Nam tunc morbi sublationi debemus esse intenti, non autem naturalis vitij correctioni.

An tutius sit conseruare intemperata corpora per similia an per contraria.

Et rursus quoniã lapsus potest esse vel in actiuis vel, in passiuis qualitatibus ex Gal. mente 6. de san. tuen. cap. 3. tutius est in eo lapsu, qui est vel in calido, vel frigido temperamento contraria dare. At cum lapsus est in passiuis, satius, vel minus periculosum est, conseruare per similia. Rationem addit, quoniam efficacissimę sunt calidæ, & frigidæ intemperies, & (vt ita dicam) magis, quam quæ ex siccitate, & humiditate consistunt, potentes: quippe quæ facile similibus nutrimentis in morbosam intemperantiam abeant. At si siccius quoduis membrum efficias, nihil manifeste lædes: pari modo nec si humidiori suam humiditatem serues.

Ex quibus omnibus ni fallor iam patet semper similia conseruari similibus, nusquam autem contrarijs, si de conseruatione proprie dicta loquamur, quæ corpora in eodem statu conseruat. Qua ratione Hippocr. 1. aph 16. & Gal. passim in libris methodi, & in libro artis medicæ res secundum naturam similibus conseruandas esse docuerunt. Nam reuera contraria nusquam conseruare possunt propriam cuiusq; naturam, sed eam vel ad meliorem, vel ad peiorem statum mutant: & sic non est conseruatio proprie dicta, sed mutatio quædam. Ad peiorem quidem statum traducunt, quando adeo excedunt, vt contrariã, & præternaturalem intemperiem naturali oppositam introducere videantur, sicuti ratio superius allata probare videbatur.

Resolutio totius difficultatis quod similia similibus cõseruentur.

Quod tamen ea ratione intelligendum est, vt non credamus intemperiem naturalem mutari posse ex toto, & in contrariam labi. Hoc etenim falsum est, & id contingit ob calidum innatum, ob cuius mutationem natiua temperies in oppositum statum sæpissime mutari videtur. Vt alia vice (si Deo placebit) longa oratione me demonstraturum esse spero.

Notandũ.

Ad meliorem vero statum intemperatas naturas traducunt contraria ipsa, si tantum absint à mediocritate, quantum naturalis intemperies à temperata recedit. Vt si per exemplum naturalis intemperies à mediocritate recedat versus calidum per duos gradus, contraria, quæ illam ad meliorem statum transmutent, recedere debent à mediocri temperie versus frigidum ad duos gradus, vel saltem ad vnum, nam hac ratione intemperies illa naturalis traducetur ad meliorẽ statum, ita vt magis accedat ad temperatam naturam. Si vero contraria frigida excedant duos grados frigiditatis, non amplius ad meliorem statum, sed ad peiorẽ priori intemperiei oppositum, & præter naturalem traducere videbuntur, calorem innatum refrigerando, & intemperiem calidam natiuam alterando.

Quapropter cum quæritur, an similia similibus sint conseruanda; respondendum est, nusquam posse conseruari contrarijs, sed semper similibus: quinimo neq; ab omnibus, sed ab ijs tantum, quæ non solum similia sunt secundum qualitatem, sed etiam secundum gradus. Nam etiam si similia fuerint secundum qualitatem, non tamen secundum gradus, non poterunt conseruare in eodem statu, sed

Qualia debeant esse similia, vt conseruare possint.

tu,ſed vel ad meliorem,vel ad deteriorem ſtatum mutabunt. Verbi gratia ſit aliquis prædítus à primo ſemine intemperie calidâ recedente à mediocritate per tres gradus. Intemperies hæc conſeruabitur in eodem ſtatu ſimilibus, ijſq; calidis, quæ pariter à mediocritate deficiant per tres gradus. Quoniam ſi ſolum diſtent per vnum, vel per duos gradus,ad meliorem ſtatum intemperiem illam reducere poterunt, verſus ſcilicet temperatam naturam, quia remiſsum remittit intenſum. At ſi exceſserint tres caliditatis gradus, profectò ad peiorem, & ad inſalubrem ſtatum mutabunt. Similia igitur ſimilibus in eodem ſtatu conſeruantur,& non omnibus,ſed ijs tantum,quæ ſimilia ſunt non ſolum ſecundū qualitatem, ſed etiam ſecundum gradus.

Reliquum tandem eſt,vt paucis ſoluamus auctoritates, & rationem, quæ oppoſitum docere videbantur.

Reſpondetur tribus primis auctoritatib.

Et ad tres primas auctoritates vnica diſtinctione dico in illis locis Hippocr. & Gal.non locutos fuiſse de conſeruatione,ſed de correctione,& de ijs,à quibus intemperatæ naturę iuuantur, & melius ſe habent. Quod colligitur ex eorum loquendi modo. Nam nuſquam dixerunt intemperatas naturas conſeruari contrarijs,ſed bene, vel male ſe habere; optime affici: male affici magis ſanas eſse; tempeſtates ſimiles eſse inſalubres: contraria proficere: Quę omnia, tantum abeſt,vt conſeruationem denotent, vt potius mutationem manifeſtam ſignificent; niſi correctionem hanc improprie conſeruationem appellare velimus,cum conſeruet corpora non in eodem ſtatu, ſed intra ſanitatis limites.

Ad 4.

Ad 4.vero auctoritatem deſumptam ex lib.artis medicæ cap.19.cerebrum ſcilicet calidum, & humidum lædi à calefacientibus, & humectantibus,dico id verum eſse ſi exceſserint,nec ſimilia fuerint ſecundum gradum.

Ad rationem.

Pariter tollitur ratio. Nam intemperata corpora à ſimilibus intemperatis pręcipue in actiuis qualitatibus, ſi vel tantillum exceſserint, lædentur. At ſi non excedant, ſed ſimilia ſint ſecundum gradus,nequaquam male afficientur, verum in proprio,& naturali conſeruabuntur ſtatu.

Sub qua nam methodi ſpecie contineatur medendi methodus. Cap. VII.

QVid ſit medendi methodus,quod eiuſdem principium, & quis finis: inſuper per quęnam media procedat, ex ſupradictis vnicuiq; manifeſtum eſſe poteſt. Operę modo pretium eſt contemplari,qualis ſit, ideſt ſub quanam ſpecie contineatur. Vtrum ſcilicet ſit reſolutiua, vel diuiſiua, vel compoſitiua, aut definitiua,an potius demonſtratiua methodus,& ſi demonſtratiua, vtrum à priori,an verò à poſteriori procedat.

Medendi methodum eſse demõſtrationem potiſsimã.

Exiſtimo ego (dicant alij quicquid velint) medendi methodum eſse demonſtratiuam,& procedere à priori,per principia ſcilicet prima, immediata, & propria. Nam dictum fuit illius principium eſse morbi naturam & definitionem: proceſsus autem à definitione, & rerum natura eſt ex principijs proprijs, & immediatis: quare erit demonſtratiua methodus. Hoc declaro exemplo.

Oſtenditur exẽplo deſumpto à febre.

Sit aliquis,qui laboret febre; medicus, vt cognoſcat,quid agendum ſit, in primis cognoſcere debet, quid ſit febris,quę eſt intemperies calida totius corporis; ex quo tamen non adhuc poterit inferre,& colligere,quid agendum ſit,niſi etiã addiderit alterum principium indemonſtrabile, & notiſſimum, quod eſt, calida intemperies curatur frigidis;quam propoſitionem pręcognoſcit virtute illius dignitatis in hac arte, quod contraria contrarijs curantur. Hęc etenim propoſi-

tio

tio cum sit dignitas,ideo non ingreditur demonstrationem actu,sed tantum potentia. Quod fortasse innuit etiam Galen. 11.meth. cap.12. cum dicat. Hoc itaque quod in dictione tam est breue,nempe contraria contrariorum esse remedia,potestate deprehenditur maximum. Vnde sic argui potest:febris est intẽperies calida,hæc curatur frigidis,ergo febris curanda frigidis. Quo circa hac ratione cognoscimus, quid agendum sit. Manifestum igitur est,hunc processum constare ex proprijs,& indemonstrabilibus,atque natura notis principijs, & ideo esse demonstrationem potissimam,& à priori. Ergo medendi methodus est demonstratiua methodus,quod probandum erat.

Idem obseruari in causa morbifica.

Et quod de morbo dictum fuit,idem etiam de causa morbifica intelligendũ. Nam impossibile est,vt cognoscamus,quid agendum sit pro morbificæ causæ ablatione,nisi eiusdem natura prius nobis nota fuerit, à qua deinde indicationes eliciendæ erunt.

Vt per exemplum in euacuationibus molliendis;nusquam medicus ritè euacuationem instituet,nisi prius cognoscat naturam peccantis humoris, & morbum facientis,vt puta,quod sit vel bilis,vel sanguis. Hinc Hipp. 1.aph.2. dicebat. Sic & vasorum inanitio si talis fiat,qualis fieri debet,idest si sit humoris peccantis,confert,& benè tollerant. Quare sic arguere videmur. Bilis in hoc ægrotante redundat,& morbum facit,sed eius redundantia euacuatione tollitur,ergo bilis educenda. Ecce igitur,quomodo concludimus,quid agendũ ex proprijs,& indemonstrabilibus principijs. Alterum est natura bilis peccantis. Alterum quod repletio tollitur euacuatione. Vtimur itaque methodo demonstratiua à priori.

Idem etiã de rebus naturalib. dicendum.

Idem dicendum quoque de rebus secundum naturam,quæ in morborum curatione sui conseruationem indicant;sicuti sunt vires,temperamentum, partis proportio,& similia. Atque methodus,quæ docet,quid agendum sit pro horum conseruatione,earundem rerum naturalium cognitionem,& definitionem præsupponit,& altero principio innititur, nempe similia similibus esse conseruanda.

Conclusio.

Procedit itaque medendi methodus ex proprijs,& indemonstrabilibus principijs,nimirum ex natura,& definitione rerum tum naturalium, tum præter naturam,hæ sui ablationem per contraria, illæ sui conseruationem per similia requirunt. Quæ omnia per indicationes inueniuntur, tanquam per alterum principium,siue causam,qua per demõstratiuam methodum colligimus,quid agendum sit. Et licet præter indicationes vtatur medicus quandoq. experientia quandoque analogismo, infra quid experientia sit, & quid analogismus dicemus.

Diuisiuam methodum inseruire methodo medendi, & de erroribus, qui in diuisione committuntur. Cap VIII.

Cur methodo diuisiua vtatur medicus.

NAturam morbi illius,seu morbificæ causæ,cuius curationẽ aggredimur, eam esse,à qua initium sumit medendi methodus,seu esse alterum principium,quo vtimur ad condendam demonstrationẽ,vt inde colligamus,quid agendum sit,ex supradictis clarum est. Verum quoniam vt scriptum reliquit Aristoteles,non medemur homini,sed Socrati,& vt dicebat Gal. 3.method.7. non curatur homo communis, sed nostrum quisque: insuper cum variæ sint morborum differentiæ, & species specialissimæ. Atque tot sint medendi ra-

tiones, quot sunt morborum ideæ ex Gal. 2 meth 4. Idcirco vt medicus naturam cuiusq. particularis ægritudinis, cuius curationem moliri intendit, cognoscere valeat, vt inde initium methodi medendi sumat; necessarium est, vt prius sedulò contempletur, qua ratione vniuscuiusque particularis ægritudo innotescere possit, hoc est, sub quanam specie, & differentia contineatur. Nam hac ignorata non poterit condere medendi methodum, & inuenire, quid agendum sit pro curatione illius particularis morbi, quem præ manibus habebit. Id autem assequetur methodo diuisiua, & demonstratiua simul, sed à posteriori: ita vt diuisiua methodus, & demonstratiua ab effectibus, & à posteriori famulētur methodo medendi, quam demonstratiuam, & à priori esse diximus, ad inueniēdam ne dum morbi, sed etiam causæ morbificæ, ac rerum naturalium essentiam, atq; specificam differentiam, sine quorum omnium cognitione non rectè, & methodicè mederi poterit medicus.

Et in primis, quod diuisio medendi methodo inseruiat, manifeste docet Gal. 1. ad Glauconem cap. 1. Quo loci tanti facit diuisionem ipsam, quod dixerit. Qui vero & omnia, quæ sunt secundum naturam, & quæ præter naturam, ad huiuscemodi methodum reducit, atq; ab omnibus his per diuisionem inuentis sufficientes sumit indicationes, hic solus, quantū humanis permittitur viribus, medendo non errabit. Et mentionem faciens errorum, quos multi medici in ægrotantium curatione cōmittere solent, inquit; hanc primam, atq; præcipuam causam esse, diuisionis scilicet prauitatem. Quapropter per diuisionem venanda est natura rerum tum naturalium, tum præternaturalium; & animaduertendum, ne vllus prorsus error in diuisione committatur. Qui, vt docet Gal. loco citato, potest esse triplex.

Quanti fecerit Gal. deuisionē.

Praua diuisio est errorum causa.

Errores in diuisione sunt tres.

1. error.

Primo etenim in diuisione erramus, cum solum in primis, & supremis generibus persistimus, tantū, quæ ab illis sumuntur, indicationibus contenti. Quæ sane indicationes, cum genericæ sint, & vniuersales, Ideo quid agendum sit in vniuersali docent.

Vt exempli gratia, si quis dixerit, adest alicuius partis intemperies, ergo hæc per contraria auferenda. Hoc autem non sufficit, sed particularibus indigemus indicationibus, quæ quid agendum sit in particulari ægritudine, cuius curationē quærimus, doceant, veluti si dixerimus ventriculus laborat intemperie frigida, ergo calefacientibus vtendum. Nam licet a supremo illo genere incipienda sit diuisio, cum ex Gal. lib. de optima secta ad Thrasyb. cap. 30 vniuersi cognitio subministret notitiam particularis valentis indicare vtile. Attamen non sat est nouisse, quæ nam sint illa prima morborum genera, sed diuidendo semper procedere debemus, quousq; peruenerimus ad illam morbi differentiam, quam quærimus, & quam curare volumus. Vnde Gal. 2 meth cap. vlt dicebat, Quisquis condere medendi methodum ad vnguem parat, huic à primis indicationibus est auspicandum, atq; hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transcundum, rursusq; ab his ad proximas, ac ita pergenti non prius desistendum, quam ipsius compos sit finis. Porrò finis propositæ methodi est, inuenire cuiusque morbi remedia. Ergo primum quæ generalis, communisq; morborum omnium indicatio sit inuestigandum est, ab hac deinde ad alias speciatim descendendum: Hæc Gal. Quare patet, quisnam sit primus error, qui in diuisione committitur, quando scilicet stamus in solis supremis generibus, nec descendentes peruenimus vsq; ad illam ægritudinis speciem, cuius curatio quæritur.

Quis sit 2. error.

Secundus vero error est, quando vsq; ad aliquid diuidimus, non tamen vsq; ad finem

ad finem peruenimus:errramus, inquam, quoniam diuisio est diminuta, & deficiens. Nam licet ad minus vniuersalia, & genera subalterna per diuisionem deuenerimus: attamen hoc non sufficit, sed semper eousq; diuidendum, donec ad aliquam infimarum specierum, & quæ amplius in aliam distrahi non possit, peruenerimus Gal. teste 1. meth. 3.

Laboret aliquis exempli gratia morbo, q. sit proprius partiũ instrumentalium. Tunc si medicus à supremo genere exordiens, & diuidens dicat, morbos instrumentalium partium esse, vel penes partium conformationem, aut numerum, aut magnitudinem, aut situm; atq; concludat affectum præsentem esse penes conformationem. Atq; rursus diuidendo procedat dicens conformationem tripliciter vitiari, vel in figura, vel in superficie, vel in canalibus, & concludat vitium esse in canalibus: neq; amplius diuidens stet in hoc genere subalterno: profectò non habebit intentum, & errabit, quoniam vtetur diminuta diuisione. Nam vlterius procedendum est, dicendo vitium in canalibus esse, vel quia canales, & vasa nimis angusta sũt, vel nimis dilatata. Et rursus cũ inuẽtũ fuerit, vitiũ cõsistere in vasorũ angustia, vlterius ẽt diuidẽdo procedere oportet, quia angustiæ quinq; sũt species, nimirũ obstructio, constipatio, cõpressio, coalescẽtia, & subsidẽtia. Ex qua diuisione si deniq; collegerit medicus esse obstructionẽ, tũc tẽporis perfecta statuetur diuisio, & per ipsã iã inuẽta erit natura illius particularis ęgritudinis, cuius curatio quęritur. Atq; natura hæc erit principiũ meth. medendi, à qua indicatio desumpta docebit quid agendum sit. Diuidendum igitur semper per oppositas differentias, quousq; inuenerimus sub quanam specie specialissima contineatur illa particularis ęgritudo, quam curandam suscepimus. Et ob hoc Gal. 1. ad Glauconem citato laudauit Mnesitheũ Atheniensem. Hic etenim à primis, atq; supremis incipiens generibus, putauit secari illa oportere in alia genera, speciesq; & differentias: hęc rursus in alia diuidi: ac denuo ista eodem modo, donec ad talem peruenerimus speciem, postcuius diuisionem in vnum numero, & indiuiduum desineremus.

Notandũ tñ nonnullos aliter errorẽ hunc explicasse, cũ dixerint per exẽplũ: si homo febricitat, febris, vt morbus indicat remouens, vt morbus calidus frigidũ; sed hoc non sufficit, sed oportet descendere ad speciẽ specificam, vt si v. g. febris est morbus calidus vt duo, indicat remedium specificũ, & frigidũ vt duo. *Quomodo error dictus à nõnullis explicetur.*

Verum opinio hæc apud me patitur aliquam difficultatem. Nam indicare remedium frigidum vt duo, non est indicare quid agendum, aut quale agendũ, sed quantum agendum. Quæ duo non per vnius, & eiusdem generis diuisionem inueniri possunt, propterea quod quantum agendum non continetur sub quale agendum, tanquam species, aut differentia sub genere, vt videntur isti voluisse, & vt inferius manifeste demonstrabo, quando scilicet de agendorũ numero sermonem faciam. *Reijcitur eorum opinio.*

Primo itaque quærimus, quomodo innotescere possit per diuisionem morbi natura, vt inde cognoscamus quid agendum sit. Quoniam natura, & essentia morbi per se non indicat auxilij quantitatem; vt febris quatenus est intemperies calida indicat quidem refrigerandum esse, non tamen quantum refrigerandum: sed solum id præstat ratione maioris, aut minoris vehementię, & intentionis, aut remissionis; quæ cognosci nequit, nisi prius naturam, & temperiẽ corporis ægrotantis cognouerimus, vt inde appareat, quantus sit recessus à naturali statu. Siquidem quod plurimum à naturali habitu recessit, id vehementibus eget contrarijs, quod non plurimum leuibus ex Gal. 9. meth. 15.

Per diuisionem itaq; quæ inseruit ad inueniendam affectus naturam nõ possumus venire in cognitionem indicantis quantum agendum: sed inuenta natura particularis ægritudinis, cuius curationem aggredimur, quæ quid agendum sit, exempli gratia, refrigerandum esse docet: tunc per diuisionem alterius generis, rerum scilicet secundum naturam, huius particularis corporis ægrotantis natura atq; tẽperies inuestiganda. Quoniã tunc cognoscemus non solum refrigerandum esse, sed etiam quantum sit refrigerandum. Nam laborantis temperies vnà cum ipso morbo contrarietatis mensuram definit, vt ait Gal. 11. meth ca. 1.

Si itaq; non vnica tantum est diuisio idest vnius generis quæ inseruit ad inueniendum quid agendum sit, aut quale agendum, & quantum agendum; ergo exemplo illo non rectè declaratur error, quem nonnulli committunt in diuisione; quãdo scilicet vsq; ad aliquid diuidunt, nõ tamen vsq; ad finem perueniunt. Nã inuẽta natura, ac specialissima specie particularis morbi, perfecta est diuisio, nec deficiens, nec error in ipsa cõmissus fuit, & tamen non adhuc cognoscimus quantum agendum, vt quod sit refrigerandum vt duo, nisi per diuisionem alterius generis inuenerimus naturam, & temperiem laborantis corporis.

3. Error. Tertius deniq; error est, quando vtimur vitiosis diuisionibus; quæ nam autem sint vitiosæ diuisiones, non docet Gal. 1. ad Glauconem citato. Verum id colligere possumus ex 9. de placitis cap. 6. vbi asserit duplex committi posse peccatum in diuisionibus. Propterea quia alij deficiunt, vtiles differentias prætermittentes, & oriuntur duo primi errores iam declarati; alij vero excedunt in multitudinem non propriam rei, qua de agitur, secantes. Et diuisio hæc vitiosa appellatur, quemadmodum duæ priores erant deficientes, & diminutæ.

Et rursus ex eodem Gal. 1. de diff. feb. 1. dupliciter errare possumus, dum vitiosa vtimur diuisione: sicuti fecerunt nonnulli medici diuidentes febres. Primo quando principalissimas, & proprias differentias omittimus solum accidẽtales accipientes. Secundo quia licet proprias differentias commemorauerimus, eisdem tamen commiscemus etiam accidentales, vtiles ab inutilibus minime secernentes. Hæ itaq; diuisiones sunt illæ, quæ vitiosæ appellantur: quando scilicet non diuidimus superiora genera per differentias proprias, & specierũ constitutiuas, sed per accidentia communia; & differentias inutiles, ritu imperitorũ coquorum, qui, vt inquit Gal. 2. meth. 6. non per membra incidunt, sed conterunt, collidunt, ac dilaniant. In quem sanè errorem quamplurimi incurrere possunt, cum tum Aristoteles, tum Plato referente Gal. 1 meth 3. tantam, tamq; difficilem rem esse censuerint, genera in proprias differentias exactè diuidere.

Si quis itaq; exempli gratia febres diuideret in diurnas, & nocturnas, hyemales, æstiuas, autumnales, rubras, pallidas, liuidas, aut etiam essentialibus differentijs nunc dictas accidentales commisceret, profectò vitiosa vteretur diuisione; cum non procederet diuidendo per differentias essentiales, & proprias, sed per accidentia communia, quæ nihil, vel parum conducunt ad febris, quam quærimus, specificam differentiam cognoscendam.

Aliter explicatur error iste à quibusdam Quidam aliter declarant hunc errorem dicentes, nos tunc vti vitiosa diuisione, quando confundimus indicationes curatiuas, quæ à morbo desumuntur, cum præseruatiuis, quæ à causa petuntur. Et hoc confirmant Galeni auctoritate 9. meth. cap. 14. Vbi asserit, affectum in causas non esse aptum diuidi. Quare ex hac auctoritate inferre videntur, si quis diuiserit affectum in causas confunderis indicationes curatiuas cum præseruatiuis, ipsum vti vitiosa diuisione.

Verumtamen, vt ego existimo, Galeni intentio eo loci non est agere de

vitiosa

vitiosa diuisione, & de erroribus, qui in ea contingere solent; sed, cum loquatur de curatiuis indicationibus, quas à tribus desumi dixit, nimirum à morbo, à temperamento, & ab ambiente nos aere, inquit, quod si præter has aliæ quædam curatiuæ indicationes reperiuntur, omnes ex ijs in partes diductis natæ videbuntur. Quia corporis temperies ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere ortum habet. Ambiens vero ipse eiusmodi est redditus propter tum regionem ipsam, tum anni tempus, tum cœli statum. Affectus autem haud quaquam in causas diduci est aptus, sed in differentias. Nam aut in similaribus consistit partibus, aut instrumentarijs. Hæc Galenus. *Reijcitur hęc opinio.*

Quibus verbis nil aliud sibi voluit, nisi enumerare fontes omnes, à quibus curatiuæ indicationes desumuntur. Quare cum tantummodo loquatur de indicationibus curatiuis dixit, affectum, ad differentiam temperamenti, & aeris, non posse diuidi in causas, sed in differentias. Quoniam, quæ a morbi causis sumuntur, indicationes non sunt curatiuæ, sed præseruatiuæ. Quæ verò sumuntur à causis temperamenti, & aeris, nimirum à natura, ætate, consuetudine, regione, anni tempore, & cœli statu, ad curatiuas reducuntur, vt ex infra dicendis libro scilicet tertio manifestum fiet.

Non itaq; ex hac Gal. auctoritate inferendū, quod diuidere affectū in causas sit vitiosa diuisio, sed solū quod ad rē nō facit eo in loco, cū ibi tantū à Gal. quęratur affectus essentia, nō causa ob dictā rationē. Quinimo tantū abest, vt diuidere affectum in causas, sit vitiosa diuisio, quod sæpe, vt in sequēti capite apparebit, teneamur diuidere affectus in causas ipsas, vt inde vtiles indicationes, quæ, quid agendū sit, doceant, colligere possimus. Concludendum igitur, eam esse vitiosam diuisionē, vt ex Galeni locis supra citatis dictum fuit, quotiescunq; accipiuntur differentię accidētales, & inutiles, quæ rei essentiam non constituunt.

Qua ratione diuisiua methodo vti debeamus. Cap. IX.

SI diuisiua methodus inseruit medendi methodo, & ideo magni facienda est, atq; sedulo cauendum, ne in diuisione vllus prorsus committatur error, vt dictum fuit in antecedenti capite. Propterea cum hucusq; enumerauerimus errata, quæ in diuisione committi solent. Reliquum est, vt pro huius diuisiuæ methodi exacta notitia declaremus modum, quo vti debemus in diuidendis rebus tum naturalibus, tum præter naturam.

Cum igitur quæ diuiduntur, non sint vnius naturæ: hinc diuidendi methodus respicere debet ad id, quod diuiditur, qualis naturæ existat. Si enim simplex fuerit, ea, quæ iuxta substantiæ ipsius rationem sunt, quot sunt, & quæ, ac qualia considerare oportet, atq; ex his diuidere. Si vero compositum, vtrāq; aut singulas partes diuidere necessarium est: totum autem ex modo compositionis. Quæ est Galeni doctrina 3 de difficul. resp. cap. 3. Hoc autem, quod à Galeno dicitur, cum non sit omniquaq; clarum, exemplis manifestare libet, vt res tanti momenti, qualis est diuisio, omni ex parte quomodo recte facienda sit, declaretur. Et cum tria capita à Galeno proponantur, vnumquodq; seorsim explicandum est. *Ad tria capita respicere debet diuidendi methodus.*

Si igitur affectus præter naturalis, cuius essentiam per diuisionem quærimus simplex fuerit, tunc, vt inquit Galenus, considerare oportet, quæ illi in sunt secundum substantiæ rationem, quot sint, quæ, ac qualia. Quoniam hoc pacto habebimus omnes illius differentias ei per se in existentes, & ita per diuisionem *Declaratur 1. caput.*

inueniemus naturam illius simplicis,& particularis affectus, quem curare intendimus.

Laboret exempli gratia aliquis hectica febre, quæ quoniam causam non habet, ideo simplex affectus dicitur. Huius essentia consistit in calore confirmato, & in habitu solidas partes occupante. Vnde, si per diuisionem venandæ sunt illius differentiæ, cum solidæ partes constent tum ex rorida, tum ex carnosa, tunc ex solida earundem substantia, pro vt calor occupauerit hanc vel illam, inferremus tres esse hecticæ febris differentias, vt docuit Gal. 10 meth. 11. atq; hac ratione cognoscemus, quot sint, & quæ huius febris species: & qualis etiam sit harum vnaquæq;. Nam si calor roridam tantum substantiam occupauerit, solum febris hectica existet, nondum etiam tabida, cum vero absumpta hac humiditate, calor vel carnosam, aut etiam solidam partium substantiam depopulabitur, tunc exquisita tabes erit. Et cum inuenerimus omnes illius differētias: per signa deinde, & à posteriori, vt in sequenti capite dicemus, colligere poterimus, quanam hecticæ febris differentia laboret patiens propositus.

Et quod de morbo diximus, idem etiam de morbi causa intelligi debet. Nam si fuerit, puta, syncera bilis, tunc per diuisionem inquirendæ erunt omnes bilis differentię, quot, & quænam sint, & qualis sit vnaquæq; eiusdem differentia, vt inde colligamus esse bilem vel pallidam, vel flauam, vel aliam quampiam bilis speciem.

Idem quoq; obseruandum in rebus naturalibus. Si etenim verbi gratia simplex fuerit corporis temperies, inuestigare oportet, quot, & quæ nam sint eius species; & an naturalis vel adscititia sit, contracta scilicet, vel ob ætatem, vel ob consuetudinem, aut ob ambientem, siue aliam causam.

Explic. 2. At si, quod diuidi debet, compositum sit, eius vtranq; aut singulas partes diuidere oportet eodem prorsus modo quo dictum fuit de simplici affectu. Propterea quod in affectuū complicatione non sat est per diuisionem vnius, vel alterius naturam inuenisse, sed omnes prorsus cognosci debent, quot, & qui nam sint & quales. Verum circa hoc secundum caput à Gal. propositum duo præsertim animaduerto.

Duo notanda.

1. Alterum est interdum vnica diuisione nos deuenire in cognitionem affectus & eiusdem causæ simul, quando scilicet eiusdem affectus specifica differentia desumitur à causa. Per exemplum laboret Socrates febre. Si quis per diuisionem inuenire voluerit, cuius naturæ sit febris hæc, & à qua causa pendeat, à supremo genere exordiens dicet, febrem hanc vel esse diariam, vel putridam, vel hecticam: & cum collegerit eam esse putridam, vlterius progredietur diuidens febres putridas, in continuas, & intermittentes. Atq; rursus si concluserit eā esse de genere intermittentiū: amplius diuidens intermittentes febres in tertianas, quartanas, & quotidianas, determinabit hāc esse tertianā. Post hæc cū tertiana febris intermittens, vel exquisita sit, si pendeat à sola bile, vel spuria si bili alter humor misceatur, colliget tandem, hanc esse tertianā nothā ob admistionem pituitæ cum bile. Quam si definierit dicens, febrem tertianam notham esse totius corporis calidam intemperiem pendentem à minera biliosa, & pituitosa simul mista, putrescente tamen sub forma bilis propter obstructiones iam per diuisionem cognoscet ne dum affectum, sed simul etiam eiusdem causam, & habebit proprium principium huius particularis methodi medendi, atq; per indicationes ab omnibus istis desumptas, quid agendum sit, inferre poterit.

2. Alterū vero, quod noto, est nonnunquam ab affectu per diuisionem inuenio

nos non

nos non posse desumere indicationē, quæ vtilis sit: quando non semper, vt lib. 3. ostendam, ab affectu sumatur vtilis indicatio. Quare eo per diuisionem inuento, debemus deinde eius causas per diuisionem pariter perscrutari, vt ab ijs vtiles sumere possimus indicationes. Exempli gratia si inuenerimus diuisiua methodo quempiam laborare obstructione: hæc, quatenus est obstructio, nil vtile indicat. Nam expostulat quidem deobstruendum esse, at quibus remedijs id præstare oporteat, non docet obstructio, nisi per diuisionem adinuenerimus eiusdem causas. Quoniam si fiat à copia humorum, euacuatio illam sanabit; si vero ab eorundem viscidi tate, crassitie, atq; lentore, medicamenta incidentia, attenuantia, & detergentia erunt ex vsu. Sic igitur procedere debemus methodo diuisiua in affectuum cōplicatione siue fuerint morbi, siue morbi causę, vt omnium natura per diuisionem inueniatur.

Quod obseruandum etiam est in rebus naturalibus. Nam ad perfectè cognoscendam laborantis naturam, multa sunt, quæ per diuisionem inueniri debent, nempe ætatem, temperiem, habitum, potentiam & impotentiam ad resistendum causis morbificis. Propterea quod horum omnium differentijs per diuisionem inuentis, & perpensis, si collegerimus exempli gratia patientem esse in ætate iuuentutis, temperamenti calidi, habitus carnosi, & facile resistere posse causis morbificis: profectò illius natura nobis nota erit.

Deniq; cum tertio loco ait Gal. totum ex modo compositionis diuidi debere: existimo sententiam hanc ita interpretandam esse, vt per totum intelligat res siue naturales: siue præter naturam non simplicis naturæ, sed ex pluribus essentiam suam habentes, ita vt consurgat totum quoddam. Sicuti exempli gratia est essentia febris compositæ, siue ex febribus eiusdem siue diuersæ speciei. Nam cum id pluribus modis contingat: hinc factum est, quod huius totius, nempe febris compositæ differentiæ cognoscantur ex modo compositionis. Quot enim modis contingit, eas simul componi, tot etiam erunt earundem differentię. Nam si febris iungatur cum altera eiusdem naturæ suborientur, vel duæ tertianę, aut tertiana duplex, vel duæ, aut tres quartanæ. Quod si componatur ex febribus diuersæ speciei, orientur omnes hemitritæi species. Ad eundem modum Gal. loco citato ex Hippocr. sententia loquens de differentijs difficilis spirationis, enumerat plures eiusdem differentias, quæ omnes emergunt ex modo compositionis simplicium. Nam cum exempli gratia detur difficilis respiratio parua, magna, densa, & rara: ex istis quattuor combinationes fieri possunt, & sic quattuor enascentur difficilis respirationis compositæ species: nimirum parua rara, parua densa, magna rara, & magna densa. *Declaratur 3. caput.*

Idem de causis morbificis sentiendum. Hinc Auicenna duplicem bilis speciem agnouit ex modo admistionis eiusdem cum humore, vel pituitoso, vel melancholico, hanc differentiam minoris, illam maioris famæ vocauit. Et rursus quia bili miscetur tum pituita tenuis, tum crassa, oriūtur duæ aliæ bilis species: vna, quam pallidam, altera, quam vitellinam bilem dicunt. Ex modo igitur cōpositionis tot bilis differentiæ suboriuntur.

Hoc quoq; obseruatur in rebus naturalibus, vt puta in intemperiebus compositis secundum naturam cuidam inexistentibus. Cum etenim quattuor sint intemperies simplices, ex modo compositionis harum nascuntur totidem compositæ. Quæ sunt, calida & humida: frigida & humida: calida & sicca: & frigida & sicca. Quocirca rectè sensit Gal. dicens totum diuidi ex modo compositionis, vt proposita exempla demonstrant.

Hacte-

Conclusio. Hactenus ex dictis apparuit, quam necessaria sit diuisio ad inueniendam rerum tum naturalium, tum præternaturalium essentiam, quæ deinde futura est principium methodi medendi. Apparuit insuper qua ratione diuidendo semper procedere debeamus per oppositas differentias, easq; essentiales, & specierum constitutiuas, quousq; deuenerimus ad talem speciem, post cuius diuisionem in vnum numero, & indiuiduum desineremus: siue modo id quod diuidi debet, simplex fuerit, siue compositum, siue totum quoddam.

Manifestum præterea est, quot errores in diuisione committi possint, & quam sedulò ab illis cauendum sit. Cum hæc sit prima, & præcipua causa, cur medici in medendo errent. Ex aduerso verò qui recte diuiserint, iam ab omnibus rebus tam naturalibus, quam præter naturam, vt dicebat Gal. per diuisionem inuentis, sufficientes sumere poterunt indicationes, & quantum humanis permittitur viribus medendo non errabunt.

Demonstratiuam methodum à posteriori famulari medendi methodo. Cap. X.

Diuisiuam methodum inseruire medendi methodo ex supradictis adeo clarum esse existimo, vt nullus amplius dubitationi relinquatur locus. Verum non sufficit diuisio, sed necessarium est etiam, vt medicus vtatur demonstratione à posteriori, & à signo simul cum ipsa diuisione, vt possit recte inuenire naturam curandi affectus. Quod exemplis à morbo, a morbi causis, & ab ægrotantis natura petitis manifestè demonstro.

Exemplum à morbo desumptum. Laboret itaq; aliquis febre, vult medicus inquirere, & inuenire naturã huius febris, & sic procedit. Febris hæc non est hectica, neq; diaria, sed putrida, quoniam adsunt signa demonstrantia putridam febrem. Et rursus infert, hanc nõ esse continuam, quia adsunt signa intermittentis, non continuæ. Deinde addit, non esse quotidianam, aut quartanam, quoniam absunt signa quotidianam, aut quartanam febrem demonstrantia. Quare colligit esse tertianam, & exquisitam: siquidem signa, & symptomata, quæ tertianam exquisitam sequuntur, apparent. Patet igitur quomodo per diuisionem, & per demonstrationem à posteriori deuenire possit medicus in cognitionem naturæ, & essentiæ specificę affectus curandi, quæ deinde est principium methodi medendi.

A causa morbi. Et quod de morbo dictum fuit, idem intelligendum etiam de causa morbifica, quam inuenire debemus per diuisionem, & demonstrationem à posteriori, & ab effectu. Cum enim causæ sint natura notæ, ideo cognoscuntur per ea, quę sunt nobis nota, vt docuit Gal. lib. de optima secta ad Thrasyb. cap. 8. dicens, rationales medicos ab occultis vtilia indicari putare. Nam cum à causis indicationes sumantur, causæ vero, vt causæ sunt, euidentes nõ sint, id est non sint notę nobis; iam constat apud eos ab euidentibus indicationes non fieri, sed ista esse præuia, & veluti manu ducere ad eorum, quæ indicare possunt notitiam. Quod exemplis declaremus.

Patiatur aliquis Pleuritidem, quæ est inflammatio membranæ succingentis costas: certum est inflammationem omnẽ cõiter acceptam fieri ab humorum fluxione, ergo præsentis pleuritidis causa erit aliquis humor fluxus in pleuram, qui humor esse potest, vel bilis, vel sanguis, vel pituita, vel melancholia: inferremus non esse sanguinem, melancholicum, aut pituitosum, quoniam signa,

quæ do-

quę dominium horum humorum oſtendunt,non adſunt:ſed cum appareant ſigna,quę ſanguinem bilioſum atteſtantur,ergo per diuiſionem,& per ſigna,quę nobis nota ſunt,colligemus pleuritidem hanc pendere à bilioſo ſanguine.

Rurſus in febre verbi gratia putrida, dum eiuſdem cauſam quęrimus,ſic procedimus dicentes internam cauſam eſſe vel mediatam,vel immediatam:immediata eſt vapor calidus, & acris cordi communicatus:mediata vero eſt minera vaporis,quæ vel animata eſt,vti ſunt vermes,vel inanimata vt humor, & hic vel bilioſus,vel pituitoſus,vel melãcolicus,vel ſanguineus;atq; ſic per diuiſionẽ,& per ſigna nota nobis demõſtrãtia hunc,vel illũ humorẽ prædominari,deueniemus ĩ cognitionẽ cauſę morbificę,quę morbũ,quẽ prę manibus habemus,producit,a qua deinde ĩdicationes pſeruatiuas eliciemus &q.d agẽdũ ſit,cognoſcemus.

Tandem hac eadem methodo diuiſiua, & demonſtratiua ab effectu vtimur ad cognoſcendam laborantis naturam,cuius cognitio valde neceſſaria eſt ad medendi methodum recte inſtituendam,vt infra patebit. Huius rei exemplum habemus apud Gal. 1. ad Glauconem cap. 1. toties citato. Si quis enim (inquit) primum diſtinxerit eam,quæ ſecundum ætates differentiam,deinceps autem eam, quę ſecundum temperaturas,atq; potentias,cęteraq; omnia,quę hominibus inſunt,colores dico,atq; calores,habitudineſq;, pulſuum motiones,exercitia,aſſuetudines,atq; animi mores. His quoq; adiunxerit eam,quæ maris à fæmina, differentiam,& quęcunq; ad regiones,& anni tempora perinde,aliaſq; eius,qui nobis circunfunditur, aeris conſtitutiones recto modo diſtinxerit, hic ad propriam laborantis naturam agnoſcendam proxime accedet. *Ab ęgrotantis natura.*

Quibus verbis Gal. proponit methodum diuiſiuam,& demonſtratiuam ſimul à poſteriori. Diuiſiuam quidem,cum dicat diſtinguendas eſſe differentias ętatum,temperaturarum,ſexuum. Demonſtratiuam verò à poſteriori,cum proponat ſigna,quibus hanc, vel illam differentiam adeſſe cognoſcere valeamus; vt ſunt calores,colores,pulſuum motiones,exercitia,animi mores,aſſuetudines,& huiuſcemodi. Nam per hæc in notitiam vniuſcuiuſq; laborantis proprię naturæ peruenimus. Quæ deinde erit principium methodi medendi,qua per indicationes vitales cognoſcemus,quid agendum ſit, vt ęgrotantis natura aut conſeruari, aut reduci poſſit ad priſtinum ſtatum.

Concludamus igitur medendi methodum eſſe demonſtratiuam,& procedere per ea,quæ ſunt nota natura, propria, & indemonſtrabilia: cui tamen inſeruit,& famulatur diuiſio, & demonſtratio à poſteriori.

Ex quibus obiter noto modum iam declaratum eum eſſe, quo præſertim vti debent eruditi medici in conſultationibus ad inueniendam curandorum affectuum,eorundem cauſarum, & ęgrotantis naturam.

Quotuplex ſit medendi methodus, & primo quid agendum in ſimplici. Cap. XI.

TRria ſunt, à quibus proprie dictæ indicationes deſumuntur, vt ſequenti libro oſtendam, nimirum morbus, morbi cauſa,& uires: quinimo præter hæc interdum ſymptomata dum vrgent,& vitæ periculum minantur,trahũt medicum ad ſui ablationem. Propterea cum ſępiſſime contingat,horum quędam, vel omnia in ægrotante corpore ſimul, diuerſo tamen modo complicari: neq; in qualibet cõplicatione, eadem ratione procedendum ſit. Hinc factum eſt, quod multiplex videatur eſſe medendi methodus.

Nam altera ſimplex eſt, altera verò compoſita. Simplicem methodũ appello *Methodus alia ſim-*

plex alia composita. eam, quando simplex est affectus, ita vt vna tantum simplici indicatione indigeat, vt cognoscamus, quid agendum sit pro sui ablatione.

Composita verò methodus est, quotiescunq; plures simul complicantur affectus præter naturam, siue fuerint morbi, siue morbi causę, siue symptomata, siue etiam vires complicentur, quę nonnunquam considerari debent, quoties scilicet prę sui imbecillitate reclamant, & prohibent id, quod affectus expostulant. Interdum enim contemnuntur, neq; vlla ratione considerantur, quando nimirum validæ, & robustę fuerint, vt colligitur ex Gal. 9. meth 11.

Composita ad 4. capita reducitur. Porrò hanc compositam methodum ad quattuor capita reduco. Primum est: quando cum morbo adhuc manet causa effectrix, siue vna, siue plures fuerint causæ: & methodum hanc compositam voco, quoniam perficitur per plures indicationes, nimirum per curatoriam, quæ morbi remotionem respicit, & per prę seruatoriam, quæ à causa morbifica desumitur. Secundum est, cum plures simul complicantur pręter naturam affectus, vel ijdem secundum speciem, vel inter se diuersi, quicunq; ij fuerint. Tertium, quotiescunq; complicatio non amplius est diuersorum, sed contrariorum affectuum. Quartum tandem caput est: quando vires reclamant, nec permittere videntur, aut possunt, quod præter naturam affectus expostulant, siue modo affectus sit vnicus tantum, siue plures.

Harum complicationum vnamquanque seorsim, sed diligenter considerare oportet. Nil enim fortasse difficilius in hac medica facultate reperitur; & nil medicum magis ancipitem reddere potest, adeo vt valde hæsitet, quid agendum sit, quam diuersorum, aut contrariorum affectuum complicatio, aut qn̄ vires præ sui imbecillitate, ac resolutione prohibent id, quod affectus indicat. Pauca tamen prius ad simplicem methodum spectantia in hoc capite contemplemur.

Quid simplex methodus. Simplex itaq; illa methodus erit, quæ respicit simplicem affectum, nempe solum morbum; atq; in præsenti simplicem morbum non voco, exempli gratia simplicem intemperiem, sed eum simplicem dico, qui simplicem curationem requirit, quæ per solam curatoriam indicationem perficitur: huiuscemodi autem morbus ille est, qui causam, à qua pendeat, non amplius habet, sicuti per exemplum est febris hectica, cum causa, quæ ipsam excitauit, iam desierit.

In hac simplici meth. nullus ordo requiritur in curatione: siquidem vna tantum est indicatio, nempe curatoria, quæ tamen potest esse tum simplex, tum cõposita. Simplex quidem, si quod indicat, simplex sit, composita verò, si compositum. Simplex enim intemperies simplicem indicationem habet, vt puta, calida intemperies simplex simplicem refrigerationem postulat; non simplex verò indicationem suggerit non simplicem. Calida enim, & sicca intemperies indicat refrigerantia, & humectantia. Quæ est Gal. doctrina 9. meth. cap. 12.

Quonam pacto procedere debeamus, quando cum morbo adhuc manet causa effectrix. Cap. XII.

Quando in meth necessarius sit ordo. IN simplici medendi methodo nullus ordo requiritur; at in composita methodo, quoniam plura sunt, quæ sui ablationẽ requirunt, ordo est necessarius. Quare in ea affectuum cõplicatione, in qua cũ morbo adhuc permanet causa effectrix, quando plura sint, quæ auferri debent, ergo opus est aliquem ordinem adesse, si methodicè procedendum est. Nam methodo quippiam inquirere, inuenireq; opponitur ei, quod est fortuitò, temereq; reperire; est autem id cum via quadam, & ordine, vt docuit Gal. 1. meth. cap. 4.

Scien-

Sciendum itaq; est, quid primo loco agendum sit, quid secundo, aut tertio, & sic de singulis, & eò magis si plures adfuerint causæ, siue etiam morbi, qui tamen causarum rationem subeant. Hinc Gal. 4. meth. 4. dicebat, in omnibus morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab hac inchoandam curationem esse. Et si plures sint affectus, qui rationem causæ obtineant, resolutiua methodo est vtendum, & quod vltimo in ipsa inuentum est, id primum omnium in curatione est peragendum.

Ab effectrice causa ineundā esse curationem.

Quod exemplo putridæ, febris clare docuit Gal. 11. meth. cap. 10 dicens. Ergo qui febrem curare volet, necesse est, putredinem inhibeat, ita duæ indicationes se exhibent, altera à febri, altera à putredine. Atq; à febri rursus duę, scilicet, vt portio febris, quæ iam facta est, curetur, quæ verò in generatione est inhibeatur. Aliæq; duæ rursum à putredine erunt indicationes, vt & quod putredinis iam factum est, sanes, & quod in generatione adhuc est, sistas. Porrò, quod in generatione est, id impedita transpiratio facit: est etenim hæc putredinis causa: ita ab hac quoque impedita transpiratione aliæ duæ indicationes nascentur, tum vt, quod retentum est, vacuetur, tum vt, quod retinendum est, prohibeatur: sane prohibebitur ijs præsidijs, quæ obstructioni medentur: cuius rursum ipsius, quod iam factum est, sanandum est, quod futurum est, inhibendum. At curabitur quidem, quod obstructionis iam factum est, per ea, quæ obstructa liberant, inhibebitur, quod futurum est, si affluxum obstruentium succorum cōpescas. Ergo, quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum.

Similiter laboret, quispiam tussi, aut difficili spiratione, eò quod viæ inspirationi, & expirationi inseruientes sint obstructę: atq; obstructio hæc pendeat à materia pituitosa à capite in pulmones delabente, genitaque sit ab intemperie frigida cerebri. In hoc causarum concursu ineunda erit curatio à cerebri intemperie. Nam ipsa est omnium aliorum affectuum radix, & quæ resolutiua methodo vltimo est inuenta.

Qua ratione procedendum sit in eorundem secundum speciem, aut diuersorum affectuum complicatione. Cap. XIII.

ALterum compositæ methodi caput erat, quotiescunq; adest ea affectuum complicatio, in qua interdum ijdem secundum speciem affectus, sæpissime diuersi simul complicantur: siue modo fuerint morbi, siue morbi causæ, siue etiam symptomata: quacunq; ratione id contigerit.

Si itaq; affectus ijdem fuerint secundum speciem, nulla difficultas sese offert circa quid agendum. Habent enim easdem indicationes, neque vnius curatio alterius curationem impedit. Vt si quis per exemplum laboret intemperie frigida ventriculi, & iecinoris simul. Nam vtraque intemperies requirit eadem præsidia, nimirum calida. Solum aliqua diuersitas obseruatur in recta agendorum administratione, tum præsertim in materiæ remediorum, quæ huius, vel alterius visceris proportionem respiciant, electione, tum in vtendi modo ob diuersam naturam partium affectarum, vt suo loco demonstrabitur.

Dum affectus sunt ijdem nulla adest difficultas.

At si affectus inter se diuersi fuerint, difficile est inuenire quid agendum sit. Hinc Gal. 10. meth. cap. 10. dicebat, cum vnus in corpore affectus est, eius curationem inuenire, si non ratione, certè experientia haud difficile est: vbi vero connexi duo, tresue sunt, præsertim qui maxime contraria inter se auxilia requi-

Difficulter cognoscitur quid agendum sit in diuerso-

rum affe- ctum com- plicatione.

rant (quẽadmodũ infra cap. 15. dicemus) fieri nequit, vt experiẽtia, quid agendũ sit, inueniatur, imo nec facile ratione. Siquidem & substantiam cuiusque affectus ad vnguem nouisse oportet, & propriam curationis indicationem à quoq. affectu cepisse: præterea quem primum omnium, aut magis, quem rursum minus, aut secundo, tertioue loco curare conueniat. Hæc Gal.

Cur experientia nõ habet locũ in cõplicatis affectibus.

Quando affectus igitur complicantur inuicem, experientia nullum habet locum. Nam experientia, vt dicemus suo loco, est eius, quod sæpius, & eodem modo visum est, obseruatio, atque memoria, ex Gal. de optima secta ad Trasyb. cap. 11. Quare tantummodo locum habere potest in vnico affectu curando, siue præsentem causam habuerit, siue non habuerit, cum sæpius, & eodem, modo in pluribus ægrotantibus fieri videatur. At affectuum complicatio ferè nunquã eadem obseruatur, aut saltem rarò: quia infinitis penè modis. Simul complicari possunt, vt colligi potest ex Gal. lib de optima secta ad Trasyb. cap. 13. Quocirca in hoc casu nullum vsum habet experientia, sed solummodo ratio, qua mediante, quid agendum sit, difficulter tamen inueniri potest. Quoniam, vt inquit Gal. non solum ad vnguem cognoscere debemus vniuscuiusq. affectus substantiam, & ab vnoquoque propria curationis indicatio sumenda est, sed inuicẽ collatis indicationibus, & cuiusq. indicationis potestate diligenter considerata, quæ ab affectus vehementia, & magnitudine desumitur, considerandum est, quem affectum primum omnium, tanquam eum, qui magis vrget, quem rursus secundo, aut tertio loco curare conueniat; sicuti nunc declarabimus ex eiusdem Gal. sententia.

Methodus in affectibus compli catis seruanda.

Quanam itaq; methodo procedendum sit in diuersorum affectum complicatione docuit Gal. 7. meth. 12. dum ait. Primum in huiusmodi complexu æstimabis, à quo maxime discrimen ęgro impendere videatur. Secundo loco quæ ex his causæ rationem obtineant, & quæ ab ipsis efficiantur. Tertio quæ sanari ante alia possint, & quæ non possint. Vbi enim non leue periculum instat, ad id, quod vrget, dirigi primum curantis consilium debet. Vbi aliud efficiens est, aliud, quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda est. At vbi curari hoc ante illud non licet, ad id, quod ordo dictat, est respiciendum.

Atq; in eo quidem curationis, consilio, quod ab vrgente initium sumit, affectus magnitudo perpendenda est. Ea autem triplex est: alia, quę ex lęsę actionis præstantia spectatur: alia, quæ ex propria affectus essentia: & tertia, quæ ex facultate, quæ lęsum corpus gubernat, ęstimatur.

In eo vero consilio, quod ex causę ratione initur, animaduertendum est, quid nam eorum, quę interse coniuncta sunt, augere, & gignere reliqua possit, quę rursus ab eo vel gignantur, vel incrementa accipiant.

Deniq; in eo consilio, quod ordo pręscribit, quid ante quod, vel quid cum quo vel quid post quod sanari possit. Hęc Gal. Quibus Argenterius multa opponit. Quare prius declarabo Gal verba: deinde, quæ ab Argenterio in oppositum proposita fuerunt, sequenti capite soluam, eumq; Gal. non intellexisse demonstrare conabor.

Tria obseruãda in curatione affectuum diuersorum.

Tria itaq, obseruanda esse docet Gal. in curatione affectuum diuersorum, dũ inuicem complicantur, siue fuerint morbi, siue morbi causę, siue symptomata. Nam primo respicere debemus eorundem vrgentiam, cum scilicet ab ipsis maximum vitę periculum impendet, quod contingit propter affectus magnitudinem: Magni autem dicuntur vel ratione proprię essentię, aut ratione prestantię lęsę actionis, aut ratione virium, dum eas superant. Secundo considerandum,

qui nam

qui nam ipsorum causæ vicem gerant. Tertio ordinem obseruare debemus: quo circa, quinam sanari ante alios possint, & qui non possint, contemplandum.

Ab vrgenti affectu incipiendã esse curationem.

Et quatenus pertinet ad affectuũ vrgentiam, quæ vitam in discrimen adducit, propter eorundem magnitudinem. Quis tam delirus est, vt in affectuum complicatione curam exordiatur ab ijs affectibus, qui non ita periculosi sunt, eo derelicto, à quo maximum imminet vitæ discrimen? Totum enim oppositum obseruandum est. Siquidem ab eo, qui magis vrget, initium curationis sumendum; ne dum alios curare tentamus, interim pereat æger à vehementia affectus oppressus: etiam si hac ratione causarum ordinem peruerti contingeret. Et cum affectus quilibet magnus dicatur tripliciter, vt dictum fuit: certum est; tunc esse maiorem, quando vires superat, quoniam tunc maius vitæ periculum impẽdet. Secundum locum in magnitudine occupat affectus ille, qui magnus dicitur ob læsę actionis præstantiam. Tertio loco ponitur, qui magnus est ratione propriæ essentię.

Affectus, qui est cæterorũ causa, curandus est

Quod si secundo loco contemplemur huiusmodi complicatos affectus, quatenus alter alterius, aut reliquorum causa esse potest: tunc ipsa causa spectanda est, id est affectus ille, qui est aliorum causa considerandus; & ab eo initium curationis sumendum.

Difficultas in Gal. verbis.

At difficultatem facere videntur Gal. verba, cum dicat. Vbi aliud efficiens est, aliud, quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda est. Ex hoc etenim loquendi modo aliquis inferre poterit, ergo ex Gal. sententia aliquando efficiens non erit aliud, & diuersum ab eo, quod efficitur: hoc autem est impossibile: siquidem efficiens semper est diuersum ab eo, quod efficitur, aliter mouens, & mobile esse posent vnum, & idem.

Solutiõ.

Respondendum existimo Gal. nequaquam credidisse interdum effiiẽs posse esse idem cum eo, quod efficitur, (hoc etenim fieri nequit,) sed tantum id sibi voluisse, quod quando efficiens diuersum est ab eo, quod efficitur, idest efficiens diuersum indicat præsidium ab eo, quod indicat in, quod efficitur, ipsa causa est spectanda, hoc est curatio ineunda est ab eo, quod indicatur ab efficiente. Nam etiamsi quod efficitur indicet diuersum præsidium: attamen cum pendeat ab efficiente, ad eius remotionem, remouebitur etiam id, quod fit, & generatur ab eo. Vt clare patet in febribus putridis. Nam causa efficiens nempe putredo, necnõ obstructio diuersa præsidia indicant ab eo, quod a febre effecta indicatur, attamen remotis obstructione, & putredine tollitur etiam febris, & si qua remanserit intemperies post causæ ablationem per contraria remouenda.

In ordine quid agendum.

Deniq; si tertio loco ordinem spectemus, certum est curationem incipiendã esse ab ijs, sine quorum curatione cætera sanari nequeunt: & sic per ordinem procedendum, quousq; facti fuerimus voti compotes.

Exemplum Gal. otã declarans.

Quæ omnia facilius intelligentur, si declarauerimus exemplum à Gal. propositum loco citato. Fingamus (inquit Gal.) cuidam in ventriculum defluere ex cerebro superfluum humorem frigidum: atq; eius occasione intemperiẽ quãdam ventriculo contractam iam esse: fingamus etiam malum succum media omnia spatia tunicarum ventriculi occupasse, adeo vt hic affectus morsus sensũ faciat: atq; ex eo ipso animi defectus, & sudores quidam cum syncope efficiantur. Constat inter omnes hosce affectus maiorem eum esse, & magis vrgere, qui est supra vires; cum illas resoluat. Quare primò ei occurrere debemus, euacuãdo vitiosum succum, qui in ventriculo continetur. Hic etenim ille est, qui vires resoluit, & syncopem inducit. Vbi id mediocriter se habuerit, neq; vires

amplius

amplius labantur,& deficiant , neque plurimum vitiosi succi in ventriculo sit, tunc ad causam accedere debemus:illud pro comperto habentes non posse ad perfectionem vllum affectum sanari manente adhuc ipsa, vnde natus est, causa. Quare primo loco ad id, quod maximum est,& à quo vitæ discrimen imminet, propriam medicamentorum materiem accommodare:deinde pro causarum ordine totum curare debemus. Etenim cum neque copia notabilis excrementorum in ventriculo sit,nec eorum,quæ in capacitate eius, ac in tunicis continetur:quare neque adsit mordicatio, quæ viribus officiat;tunc omnium primum sanandum ipsum cerebrum est,à quo in ventriculum superfluus humor frigidus confluit,quem fluxum nisi compescas cerebrum sanando,nec ventriculo mederi poteris,post hoc sinus ipse ventriculi vacuandus, extergendusque est:deinde ipsæ tunicæ expurgandæ:postremo intemperiei est medendum.

Quo sane exemplo nihil clarius reperiri potest,quod ostendat, qua ratione in diuersorum affectuum simul complicatorum curatione procedendum sit. Ex hoc etenim manifeste patet, curationem incundam esse ab eo,à quo vitæ periculum imminet:deinde ad causas accedendum esse, quæ eo ordine tollendæ sunt, vt ab ea exordiamur, sine cuius ablatione cæteri affectus auferri nequeunt:& sic procedendum,quousq, ex toto omnes curauerimus affectus.

Additur vnum consideratione dignum.

Et interim affectuum vrgentia derelicta,à qua certum est semper inchoandũ esse:si respexerimus causarum ordinem,ac dixerimus: dum affectus diuersi inuicem complicantur,necessarium esse,vel vt omnes pendeant ab vna,eaq. communi causa:vel secundo alter sit cæterorum causa ; vel tertio sibi inuicem sint causæ:(nullus enim alius modus excogitari potest,) profectò maius lumen Gal. doctrinæ addere visi fuerimus. Si vna omnium erit communis causa, ab hac exordienda est curatio. Si alter sit cæterorum causa,primo loco is remouẽdus erit. At si tertio sibi inuicem sint causæ medicamentis compositis,quæ omnes affectus respiciant,curari poterunt. Et fortasse id sibi voluit Gal. quando dixit loco citato. In eo vero consilio, quod ordo præscribit, quid ante quod,vel quid cũ quo, vel quid post quod sanari possit,considerandum. Quid scilicet agendum sit ante quod: si vnus affectus fuerit aliorum causa:nam primo is auferendus est,deinde alij eo,quo geniti fuerunt,ordine. Aut quid post quod: si vna omnium fuerit communis causa:siquidem hac ablata,si qui affectus post eam remanserint, per contraria sanandi. Aut quid cum quo:si sibi inuicem fuerint causæ, cum nil prohibeat,quin eodem tempore omnes curari possint.

Soluuntur ea,quæ ab Argenterio proponuntur aduersus prædicta. Cap. XIV.

Quæ ab Argenterio opponãtur.

GAlenicæ doctrinæ in antecedenti capite declaratæ Argenterius lib. 2. de officijs medici cap. 18. multa opponit. Hæc autem necessario proponere, & soluere debemus:ne addiscentium animum remorentur , & magis appareat dictorum veritas.

1. Primo itaque opponit, quod Gal. hoc curationis ordine omnia contraindicantia tollat,quæ,non secus ac illa,quæ maxime vrgent, ordinem causarum in curatione perturbare possunt.

2. Secundo si id,quod magis vrget, non habet aliquo modo rationem causæ aliorum affectuum,ergo non obtinebit vim peruertendi ordinem aliorum,neq. omniũ primũ locum inter alia sibi arrogare poterit. Nam ab eo,quod magis vr-

get auſpicamur, quia alio pacto reliqua præſtare nequeamus: habebit ergo rationem cauſæ ſine qua non id, quod vrget: quare non debebat Gal. illud ab huiuſmodi cauſa ſeiungere, tanquam ſub ea contineri non poſſet.

Tertio non perpetuò ab eo, quod magis vrget, curationem inchoare nobis licet, ſed nonnunquam ab alio exordiri cogimur, ſine quo illi ſuccurrere non datur. Veluti ſi cui ex vaſe multa ſorde, ſanieque obtecto ſanguis profluat, vnde vires collabantur: admotis remedijs ſanguinem comprimentibus, diuiſum vas occludere nequimus, prius quam ſaniem expurgauerimus, quæ locum affectum tegit.

Quarto non ſemper licet, poſt id, quod magis vrget, efficientem aliorum cauſam ſubmouere: ſed ab alio ſine quo efficiens cauſa auferri nequit, incipere neceſſarium eſt. Quod in febribus putridis apparet: in quibus obſtructionem, & putredinem, quæ illarum effectrices cauſæ ſtatuuntur, ſubmouere nequaquā conceditur, prius quam multitudinem, quæ in venis continetur, aut venæ ſectione, vel purgatione minuerimus.

Veruntamen leuiora ſunt hæc, quam quod ſint idonea ad deſtruendam ſolidam Gal. doctrinam. Vnde ad primum, quando dicit hoc curationis ordine Gal. omnia contraindicantia tollere, dico ſi Gal. verba omnia in illo capite contenta legiſſet, & examinaſſet, intellexiſſetue, nulla ratione id aſſerere auſum fuiſſe. Nam aliud eſt loqui de complicatione affectuum contrariorum, aliud de complicatione affectuum diuerſorum: quando affectus, qui inuicem complicantur, ſunt contrarij, tunc vt in ſequenti capite dicemus contraindicantia, ideſt contrarium indicantia locum habent, & cōſiderari debent: quod non contingit in affectibus diuerſis de quibus loquitur Gal. in præſenti capite, cuius verba sūt hęc: Ordo autem curationis, modò contraria inter ſe remedia, ſicuti in phlegmone, & vlcere, indicat: oſtenſum nanque eſt, quę phlegmonem ſanant, ea maius reddere vlcus: modò alteri affectui nihil nocet, ſicuti in propoſito nunc caſu. Non itaque tollit Gal. contraindicantia, ſed ea in diuerſorum affectū complicatione locum non habere docet. *Soluitur 1. ratio.*

Ad ſecundum quando inquit, ſi id, quod magis vrget non habet aliquo modo rationē cauſæ, ergo non obtinebit vim peruertendi ordinem aliorum, neganda eſt conſequentia. & ad probationem, cum aſſerit nos auſpicari ab eo, quod magis vrget tanquam cauſa ſine qua non, quia alio pacto reliqua præſtare nequeamus, dico, hanc non eſſe Gal. rationem, propterquam ab eo, quod magis vrget, ineunda ſit curatio: quia ſcilicet ſit veluti cauſa, ſine qua cætera curari nequeant: ſed ab eo incipiendum, quoniam niſi citò ei occurramus periculum eſt, ne æger moriatur, propter affectus magnitudinem. Non igitur id, quod vrget, habet relationem ad cęteros affectus, tanquam ſit illorum cauſa ſine qua non, ſed quia ęgrotantis vitam in diſcrimen adducit, ideo prius remoueri debet. Et quod Gal. contradiſtinguat id, quod magis vrget, à cauſa ſine qua nō, colligitur ex 3. meth. cap. 9. vbi inquit. Neque enim idem eſt, aliquid vel vt cauſam conſiderare, vel vt id, quod rationem obtinet eius, ſine quo non, vel vt id, quod vrget. *ad 2.*

Tertium nil prorſus eſt contra Gal. doctrinam, qui fatetur in ordine id obſeruandum eſſe, vt prius id ſanetur, ante quod cętera ſanari nequeunt: & quis vnquam id negabit, etiamſi ſit medicinæ ignarus? *ad 3.*

Quarta ratio pari pacto tollitur. Nam ſi obſtructio ſanari nequit, niſi affluxum obſtruentium humorum prius compeſcamus, vt docuit etiam Gal. 11. method. *ad 4.*

thod. cap. 10. ergo etiamſi in eo conſilio, quod à cauſa initur, ipſa cauſa primo loco ſpectanda ſit, attamen in eo conſilio, quod ordo præſcribit, debemus reſpicere ad id, ſine quo cętera ſanari nequeunt; atque hæc eſt ratio, cur Gal. hæc duo inter ſe diſtinxerit, ſicuti in antecedenti capite dictum eſt.

Quid agendum in complicatione contrariorum affectuum.
Cap. XV.

MAior fortaſſe eſt difficultas perfecte cognoſcere quid agendum ſit in contrariorum, quam in diuerſorum affectuum complicatione: aut ſaltem difficilior in affectibus contrarijs, quam in diuerſis redditur curatio. Nam contrarij affectus contraria præſidia indicant, ſi itaque vni prodeſſe tentamus, alteri ei contrario nocumentum afferimus. Quapropter oportet medicum eſſe valde prudentem, & exercitatum, atque ad vnguem cognoſcere vim, & poteſtatem quorumcunque indicantium & contraindicantium, vt deinde omnibus inter ſe collatis, quid agendum ſit cognoſcere valeat.

Quæ conſideranda in contrarietate affectuum.

In contrarijs affectibus ex Gal. 8. meth. cap. vltimo neceſſarium eſt conſiderare non ſolum eorundem magnitudinem, ſed numerum quoque, vt inde cognoſcamus, quorum nam indicationes præualeant, & magis vrgeant.

Affectus magnitudo ex duobus iudicatur.

Et quatenus pertinet ad magnitudinem: hęc duplex eſt, vt 8. meth. citato, & 3. de ſan. tuen. cap. 9. docuit Gal. Altera, quæ ex ipſorum, quæ indicant, dignitatibus iudicatur: altera, quæ ex ipſorum propria natura ſpectatur, quantum ſcilicet à naturali, & mediocri ſtatu receſſerit.

Indicantia præter naturam illa magna ſecundum dignitatem appellari poſſunt, vt arbitror, quæ magis negotium faceſcunt, & cętera alia indicantia ſecundum dignitatem, ſeu vim, ſeu poteſtatem ſuperare dicuntur; quoniam ad ſui cōtemplationem, & ablationem magis quam alia medicum accerſunt, & plus cæteris omnibus ſolicitum reddunt. Hanc autem indicantium magnitudinem à dignitate deſumptam ex Gal. ſententia 11. meth. cap. 3. iudicamus vel vitæ, vel ſanitatis reſpectu. Quod vt facilius intelligi poſſit, exemplis declarare oportet.

Magnitudo ſecundū dignitatē dupliciter iudicatur. 1. vitæ reſpectu.

Magna itaque exempli gratia vitæ reſpectu dicitur febris illa, quæ ægrotantis vitam, niſi illi occurramus, in diſcrimen adducere poteſt. Id, quod optime docuit Gal. 10. meth. cap. 1. Vbi quærens, quomodo procedendum ſit in curatione febrium, quæ cauſam pręſentem habent, quando cauſa remedia expoſtulat contraria illis, quę febri conueniunt, inquit, quod plerunque cauſę maior eſt vis; fieri tamen poteſt (ſubdit) vt ea ſit febris magnitudo, quæ pręſentem perniciem, niſi occurras, afferat: quo caſu oportebit, hac prius ſubmota, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere. Hæc Gal. Vnde in hoc caſu manifeſtum eſt, febrem maiorem eſſe ſecundum dignitatem, & talem iudicari vitæ reſpectu: quia ſcilicet ob ſui vehementiam pręſentem perniciem afferre poteſt.

2. reſpectu ſanitatis.

At febris illa ſecundum dignitatem magna dicitur reſpectu ſanitatis à Gal. 8. meth. cap. vltimo, dum docet, quantum refrigerantem, & humectantem victus rationem in febribus inſtituere debeamus: quia interdum adſunt contraindicantia, vt quando ætas, natura, temperamentum, regio, anni tempus, cęli ſtatus requirunt victum calefacientem, febris verò refrigerantē expoſtulat: tunc enim indicatio deſumpta à febre dignior eſt reſpectu ſanitatis, quia illa eſt, quæ ſanitatem abſtulit; adeo vt iure loco citato dixerit Galenus. Quippe quæ a febri ſumitur, ea reliquis, quando omnia contrarium faciendum præſcribunt,

numero

numero quidem inferior est: magnitudine tamen quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunq; appellare libet spectatur vtiq; superior est: clarũ igitur vnicuiq; esse potest, quomodo indicantium dignitas iudicetur vel vitæ, vel sanitatis respectu.

Magnitudo ex propria natura qualis.

At secundo loco indicantia absolutè magna dicuntur, & ex propria natura nullo amplius habito vitę, aut sanitatis respectu, quotiescunq; plurimum à naturali, & mediocri statu recedunt, vt est febris vehemens, & magna, cuius nimirum calor valde distat à mediocritate.

Indicantium numerus considerandus.

Porrò pręter indicantium magnitudinem, debemus etiam eorundem numerum considerare. Nisi enim ita quis, indicantium magnitudine, & numero rectè perpensis, quę ab ijs desumuntur, indicationum potestatem examinet, easq; inuicem conferat, non poterit perfectè cognoscere, quid in cõtrariorum affectuum complicatione agendum sit.

Quid agendum in cõtrarietate affectuum.

His ita suppositis, dum indicationes contrarias inuicem conferimus, vel illas pares esse, & æqualem potestatem habere, vel alteram exuperare iudicamus. Si pares iudicauerimus & secundum magnitudinem, & secundum numerum, pari studio omnibus succurrendum esse ratio ipsa postulat, pręsidijs scilicet, quę vtrunq; affectum æque respiciant: si verò altera indicatio superauerit, is, qui vincit affectus, corrigendus est, ita tamen ne reliquum omnino negligas, vt docuit Gal. 3. de san. tuen. cap. 9. & clarius 1. aph. 16 dicens simplicem quenq; affectum propria egere curatione, plures verò inuicem copulatos tantum habere communem curationis indicationem, quantum copulabuntur, nobis vel ei, qui magis vrget, obuiantibus, non tamen alterius cura omnino posthabita.

Vt exempli gratia si quis laboret febre, & hydrope simul, si febris superauerit, & magis vrgeat, medicamenta febrem præsertim respicere debent, non tamen hydropis cura omnino post habita. Si hydrops maior fuerit, & vicerit, hydropi incumbendum, non tamen febre prorsus neglecta: si verò affectus æquales fuerint, ex æquo vtrisq; succurrendum.

Insuper Gal. loco citato hoc idem altero exemplo declarat dicens. Quod de aqua inter cutem, & simul febre laborantibus meminere, non est absimile morbo laterali, in quo sanguis expuitur. Nam & in his contrarias exigunt affectus curationes, eductio sanguinis, & passio lateralis. Quæ vbi cuipiam simul contigere, ad id, quod magis vrget, obuiare oportet, non omnino posthabita et alterius curatione. Quemadmodum & in alijs omnibus pari modo copulatis faciendum est.

Dubitatio.

Argenterius lib. 2. de offitijs medici cap. 23. damnat hoc Gal. præceptum, & inquid id perpetuò faciendum non esse. Nam aliquando vni soli seruiendum, & prorsus contemnenda reliqua: velut cum viribus prostratis, rejectis vniuersis remedijs, quæ morbis, illorumq; causis competunt, nutritioni, refectioniq; incumbimus.

Solutio.

Miror ego huius viri imbecillitatem. Nam verissimum est, quod ipse dicit, & id à Gal. desumpsit 9. meth. 13. Attamen præceptum allatum incumbendum scilicet esse ei affectui, qui magis vrget altero non neglecto, non verificatur in virium contraindicatione, de quibus interim non meminit Gal. sed solum quando affectus præter naturam contraindicant, cum videlicet sunt contrarij; de viribus autem, dum contraindicant, loquemur in sequenti capite.

Explicatur Gal. sententia.

Verum enim verò contemplandum quid sibi voluerit Galen. per illa verba. *Non tamen alterius cura omnino posthabita.* An dicemus Galen. nil aliud sibi

voluisse, nisi admonere nos, ne, dum affectus, qui magis vrget, curationi sumus intenti, alterum magis augeamus. Nam eius quoq; aliqua ratio habenda est, ne ægrotantem lædamus.

Declaratur Hipp.

Atq; hoc fortasse est illud idem, quod habetur etiam apud Hippoc. 1. epid. 2. tex. 50. exerceto (inquit) circa morbos duo, vt prosis, aut nequid noceas. Quod sane dictum (vt ait Gal. in com.) etiamsi tenue videatur, nec Hippocr. dignum: siquidem omnibus hominibus perspicuum est, medicum semper debere prodesse aut saltem non lædere. Attamen quia multi clari medici non parum lædũt, vel in sanguine mittendo, vel purgatione molienda, aut frigidæ potu, similiuè alio remedio administrando, existimauit Gal. fortasse etiam ipsi Hippocr. tale quid vsu venisse, & propterea talem protulisse sententiam magni faciendam: Quare Gal. de semet ipso subdit, antequam ægro magnum aliquod auxilium afferret, apud se perspexisse, non solum quantum pro futurus esset, si ex sententia caderet, sed etiam ne quid læderet.

Magna auxilia citra noxam nõ administrãtur, & cur.

Ratio autem, cur difficile admodum sit inuenire aliquod auxilium, quod citra vllam noxam maxime prosit, duplex assignari potest. Prima est, quia magna remedia magnam etiam vim naturæ inferunt, & eò magis si inopportunè, & prauè administrentur, ita vt interdum vitam adimant, vt dixit Gal 9 meth. 10. de missione sanguinis. Altera verò ratio, quæ facit ad nostrum propositum, & adducitur à Gal. 11 meth. 11. est propter complicationem contrariorum affectuum. Nam dum validiori aliquo præsidio affectum vnum tollere tentamus, alterum ei contrarium augemus, & ægrotantem lædimus. Hoc igitur est illud, quod præcipit Hippocr. exerceto circa morbos duo, vt prosis, aut ne quid noceas. Et Gal. ait, magis vrgenti affectui incumbendum esse, non tamen alterius cura omnino post habita.

Duo modi obseruandi in curatione contrariorum affectuum. 1.

Id autem assequemur duobus modis: Primò si validiora remedia nõ adhibuerimus, sed placidiora. Nam validiora præsidia, dum vni affectui medentur, alterum ei contrarium nimis adaugent, & exarcebant; si autem mitiora fuerint, etiamsi affectum magis vigentem longiori tempore curauerint, non tamen tantam læsionem, & noxam alteri affectui contrario afferre poterunt.

Quod ex eo clare patet: quia Gal. 8. meth. cap. 4. pertractans de febrium curatione, quæ ex obstructionibus sunt genitæ, monet, vt abstineamus à deobstruentibus calidioribus, & temperatiora eligamus, nè, dum obstructiones tollere studemus, febrem, quæ contraria remedia nimirum frigida requirit, augeamus: siquidem obstructiones curantur per detergentia medicamenta, quæ calida sunt. Quod si ex altera parte febris erit valde vehemens, vt medicus sit coactus obstructionibus posthabitis, non tamen omnino neglectis, febri occurrere, ea remedia eligere debebit, quæ quidem calorem febrilem minuant, non tamẽ obstructionibus valde obesse possint: fieri etenim aliquando potest ex Gal. 10. meth. cap. 1. vt ea sit febris magnitudo, quę præsentẽ perniciẽ, nisi occurras, afferat, quo casu oportebit hac prius submota, deinde ad causã submouẽdã accedere: ea tamen ratione agẽdũ est, dũ febri subuenimus, nè præsidia ita frigida sint, & eius naturæ, vt obstructiones magis augere, & cõtumaciores reddere possint.

Atq; hic est vnus modus, quo ei affectui, qui magis vrget, incumbere possumus altero non omnino neglecto. Qui sane modus fortasse obseruatur tantum in contrarietate illorum affectuum, qui licet contraria remedia requirant horum tamen vnus est alterius causa: sicuti ostendit allatum exemplum de febre ab obstructionibus pendente.

Alter

2. modus.

Alter modus magis vniuersalis, quo vrgenti affectui incumbimus altero non posthabito, sicuti opinor, est, vt vno, eodemque tempore administremus præsidia, quæ vtrisque, vel omnibus contrarijs affectibus occurrere possint. Quæ tamen remedia ita affecta esse debent, vt vel æquè omnes affectus respiciant si omnes eandem vim, ac potestatem habuerint: vel præpolleant secundum eam facultatem, quæ illi affectui, qui magis vrget, succurrere potest, & tantum secundum facultatem illam excedant quantum affectus ille alterum ei oppositum secundum dignitatem, & potestatem superat: hac tamen ratione, vt admittant etiam eorum remediorum compositionem, quæ alteri affectui minus vrgenti mederi possint, qui affectus quantò minus vrget, tantò etiam remedia minorem habere debent facultatem illi succurrendi. Hoc etenim pacto incumbemus ei affectui, qui magis vrget, alterius cura non omninò posthabita.

Cur composita medicamenta fuerint inuenta.

Hincq; factum est, quod licet inuenta fuerit medicamentorum compositio ob multas causas, quas in præsenti recensere non est opus inter illas tamen præcipuum locum teneat ea quod medicamentorum compositorum maximus est vsus in morbis, qui contrarias simul facultates desiderant, vt docuit Gal. 1. de comp. med. secundum genera cap. 3. Hinc idem Gal. 13. meth. 16 dicebat coeuntibus vnà contrarijs indicationibus, compositum quoq; esse medicamentum oportere.

Quinimo interdum etiam separatim vti poterimus medicamentis, quæ affectus contrarios respiciant: dummodo perpetuò regula illa seruetur, vt remedia, quæ vrgentiorem affectum respiciunt, & frequentius administrentur, & maiorem vim habeant agendi: quæ verò ad affectum minus vrgentem referuntur, & rarò, & minori agendi actiuitate prædita adhibeantur.

Notandum

Noto in contrarijs affectibus aliquando reperiri remedia quædam, quę quoniam immediatè non respiciunt affectus illos, qui contrarij sunt sed eorundem communem quandam causam, omnibus ex æquo opitulantur. Vt per exemplum si quis simul laborauerit Pleuritide & sputo sanguinis, qui sunt oppositi affectus, & contraria remedia expostulant, venę sectio ex æquo ambobus succurrit. Pariter sanguinis missio, & etiam purgatio occurrunt febri, & obstructionibus: febri quidem, quia per accidens refrigerant, & humores quoque febrem facientes educunt: obstructionibus verò, quoniam affluxum obstruentium humorum compescunt.

Indicationum numerus considerandus.

Cæterum præter indicationum magnitudinem, simul etiam numerum earũdem considerare debemus si plures fuerint eiusdem generis. Quod declarauit Gal. 8. meth. cap. vlt. exemplo quodam dicens. Cum enim exempli gratia refrigerandum, humectandumq; esse febris perpetuò indicet; si & ętas quoq;, & temperamentum vna cum consuetudine, tum regio, tum anni tempus, tum cæli status refrigerantia humectantiaq; etiam exhibenda indicant: tunc non solum absq; dubio refrigerandum, humectandumq; est, sed id faciendum magnopere, ac vehementer, omnibus scilicet indicationibus idem dictantibus. At si reliqua omnia febri excepta, victum contrarium, calefacientem scilicet, & siccantem postulant: vtiq; ambiguitas, pugnaq; indicationum inter se oritur: quo casu magnopere opus est tum numerum indicationum, tum magnitudinem simul conferre. Quippe quę a febri sumitur, ea reliquis, quando omnes contrarium faciendum pręscribunt, numero quidem inferior est, magnitudine tamen, quę ex dignitate spectatur, vtiq; superior est, ac tum pręcipue si longe a natura recessit: tunc enim duplex magnitudo illi accedit, & quę ex febris genere, & dignitate

prouenit,& quæ ex propria natura: ſiquidem & quia febris plus cæteris omnibus ſolicitos nos habet, & quia præterquam quod febris eſt, etiam magnitudo illi notabilis acceſſit ob magnum receſſum à naturali ſtatu, idcirco contrarias indicationes obumbrat: ſin parua fuerit febris, fas eſt reliquas omnes vnà coniunctas cum ea conferri, atq; expendi. Ac ſi quidem pares videantur, neq; febris indicatio præferetur ſic, vt humectandum, & refrigerandum ſit, neq; etiam reliquorum ſic, vt calefaciendum, ac ſiccandum ſit, imo media victus ratio eligenda erit. Sin altera indicatio exuperet, tantum receſſiſſe à temperato, & medio victu par eſt, quantum ea, quæ pollent, ſua contraria ſuperant. Hæc Gal. quæ quoniam clarè docent, quid ſit agendum in affectuum contrariorum complicatione, volui ad verbum tranſcribere.

Et licet hoc in loco Gal. loquatur ſolum de rectè inſtituenda victus ratione, quando adeſt indicationum contrarietas: attamen idem etiam intelligendum eſt de alijs pręſidijs peragendis, vt ſcilicet conſideremus numerum affectuum cõtrariorum ſimul cum eorundem magnitudine. Nam ſiue ex vna parte plures fuerint, ex altera vero vnicus tantum, ſiue hinc inde plures extiterint, vnius indicationem cum reliquis omnibus vnà coniunctis aliorum indicationibus, vel plures cum pluribus ſimul iunctis conferre debemus, & conſiderare, an pares fuerint, an verò altera indicatio exuperet. Nam hac ratione cognoſcemus, vtrũ omnibus ex æquo ſuccurrendum ſit, an vni, vel pluribus magis vrgentibus incumbendum, altero tamen, vel pluribus non omnino neglectis.

Dubitatio. Verũ Argenterio lib. 2. de offitijs medici cap. 23 ſuſpectus eſſe videtur locus, qui apud Gal. lib. 8. meth. citato habetur, vbi pręſente febre ob aliorum contraindicantium vim putat ille aliquando eò perueniendum vt ægrotis temperata exhibeamus: ſiquidem vrgentibus morbis vel minimis eam indicationem, quæ ab illis ſumitur, perpetuò alias excedere exiſtimat. Nam quomodo aliò qui febris extinguetur niſi frigida adhibeantur?

Solutio. Reſpondeo huic difficultati febrem, quatenus febris eſt, requirere medicamenta refrigerantia: at quia interdum indicatio deſumpta à temperamento, cõſuetudine, ætate, aere ambiente, & ſimilibus multum ſuperat: tunc Gal. habito reſpectu ad id, quod magis vrget, inſtituendam eſſe docet rationem victus, quæ non à febre, ſed à rebus ſecundum naturam indicatur, vel temperatam, vel etiã calidiorem, febre tamen non neglecta cui per medicamenta occurrere poterimus. Quinimo ſi cauſa febris contraindicauerit, ita vt indicatio ab illa deſumpta ſecundum magnitudinem, & poteſtatem ſuperior ſit indicationi, quam febris ipſa ſuggerit; tunc calefacientibus, & concoquẽtibus remedijs cauſæ occurrere tentabimus, febre tamen non omnino poſthabita, eo modo, quo dictum fuit: ſicuti contingit in quartana, & quotidiana febre, in quibus ratione cauſæ vtimur etiam valde calidis præſidijs. Quare non eſt verum indicationem, quę à morbis ſumitur perpetuò alias excedere; & ſæpe febris extinguetur ad cauſę ablationem, etiamſi frigida non adhibeantur.

Notandum His omnibus coronidis loco hoc vnum etiam addere licet, quod medicus nõ ſemper incumbere poteſt ei, quod magis vrget, altero non neglecto: ſed quandoq; alterum omnino negligit, alteri tantum intentus: quandoq; etiam nouum coactus eſt inducere morbum, vt alterum curet, & ægrotantem à morte liberet. Affectum quidem alterum aliquando omnino negligit alteri occurrẽs, quando ſoporiferis, & opiatis medicamentis dolorem ſedare tentat, quæ morbo, & morbi cauſæ tantum abeſt, vt opem ferant, quod potius augeant, & exaſperent.

Quandoq;

Quandoq; verò coactus est inducere nouum morbum, vt alterum sanet. Nam vt vtar Gal. exemplis 3. meth cap 9 si puncto musculi capite conuulsio, quę nulla conuenientiũ medicamentorum vi remittatur, superueniat: quippe præciso per transuersum musculo, conuulsionem quidem sanaueris, aliquem tamen ex particulæ motibus vitiaueris. Ad eundem modum, cum è vena, vel arteria sanguis immodice profluit, si totum vas per transuersum præcideris, vlcus quidem eius sanare postea non poteris, periculum tamen, quod ex profluuio sanguinis impendebat, sustuleris.

Quid agendum quando vires reclamant. *Cap. XVI.*

QVa ratione procedendum sit in curatione tum diuersorum, tum contrariorum affectuum, quando inuicem complicantur, nulla virium habita ratione, sed supponẽdo illas esse validas, atq; robustas; quare nõ contra indicare, nec prohibere, quod affectus præter naturam requirunt, dictum fuit. Reliquum modo est, vt consideremus, quid agendum sit, quando vires præ sui imbecillitate reclamant, & prohibent, quod expostulant affectus. Pauca tamen dicenda sunt: quoniã virium in euacuationibus præsertim est habenda ratio: Ideo dum de indicante ꝓseruatorio lib. 4 loquemur, longiori sermone declarabimus, quomodo vires interdum contraindicent, nonnunquam moderentur, & aliquando permittant euacuationem ipsam.

Interim autem id præ oculis semper habendum esse dicimus, indicationem à viribus desumptam esse omnium primam, & principalissimam, atque cæteras alias antecellere, & obumbrare. Et propterea quicquid indicationi, quam vires præbent, aduersatur, id secũdi est loci, ac posterioris ijs, quæ illæ præcipiũt, vt docuit Galen. 9. meth. cap. 10. & 13. quibus in locis clarè ostendit, quid agendum sit, quando vires imbecillæ prohibent id, quod affectus requirit. Nam vires vel extrema imbecillitate laborant, vel aliquid adhuc roboris habent, sed tamen veremur, nè possint perferre remedia, quę à præternaturam affectibus indicantur. Quapropter si quem curare studemus affectum, qui euacuationem requirat, vires autem extrema imbecillitate laborent, toto illo tempore, quo viribus incumbimus, easq; reficimus, eorum, quæ affectum sanẽt, nihil planè ægrotanti exhibebimus. Vbi verò eò roboris peruenisse eas conijcimus, vt nihil, aut parum ex vacuando sint lædendæ, tunc ad affectus quoque curationem accedendum est. *Quid agẽ. dũ in imbecillitate virium.*

At si vires non extrema imbecillitate laborent, sed aliquid adhuc roboris habeant, non tamen tantum, vt totalem euacuationem perferre possint: tunc si affectus indicat vacuandum esse vel vena incisa, vel purgatione harum autem neutram ferant imbecillæ vires; oportet, vbi indicationes sibi aduersantur, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est, pro eo reponere. Vocant medici eiusmodi vitiosi succi curationem græce epictasim.

De

De agendorum numero. *Cap.* XVII.

METhodo medendi non solum concludimus, quid agendum sit in quorumcunq. præter naturam affectuum curatione, sed etiam in agendorum numeri, & eorundem rectæ administrationis notitiam deuenimus. Hic etenim est finis cognitionis in hac medica facultate, principiũ verò actionis, nempe curationis. Quare cum hactenus dictum fuerit, quid sit medendi methodus, sub qua methodi specie contineatur, & quotuplex sit, ac demum qua ratione, & ordine in vnaquaque procedendum sit. Nunc ad agendorum numerum, & eorundem rectam administrationem contemplandam conuertenda est oratio.

Agendorũ numerus ex Hipp Agendorum numerum docuit Hipp. 6. epid. 2. tex. 33. exemplo desumpto ab euacuatione excrementorum, quæ in dies generantur in corpore, cum dicat. *Transitus aperiri vt nares, & alia quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, & vbi & quando & quantum oportet, vt sudores, & alia planè omnia.* Et licet Hipp. quemadmodum declarat Gal. in commento videatur solum complecti euacuationem excrementorum, quæ in dies generantur, & expelli debent. Vt sensus sit, valde vtile est meatus omnes aperiri, per quos natura quotidie excrementa expellit, siue per nares, siue per palatum, per aluum, aut per latentem vocatam transpirationem siue per quemuis alium locum. Attamen Hipp. sententia videtur etiam extendi ad omnem euacuationem tàm à natura, quàm à medico faciẽdam, quæ vt rectè succedat, sex ab Hipp. in hoc textu enarrata sunt animaduertenda.

Sex sunt agenda. 1. Primo enim auxilij genus inuenire oportet; quod nil aliud est, nisi quid agendum genericum quod declarat Hipp. per illa verba *quibus opus est*, quasi dicat in illis morbis faciendam esse euacuationem, qui euacuatione indigent. Quod est illud idem quod 2. aph. 22. dixit. Quicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat.

2. Secundo loco modum, quo euacuatio facienda est, considerare debemus, modus autem significatur verbis illis, *vt conuenit*, ita enim interpretatur Galen: dicens istud quidem, *vt conuenit*, tale quoddam significat. Transitus recludendi sunt, non simpliciter quidem, ac vtcunque, sed vt conuenit: Id vero modum significat, quo euacuationes facimus: vt exempli gratia, eorum euacuatio, quæ in ventre sunt, fieri potest per clysterem, per glandulã, per subducens medicamentum, & in horum singulis per quædam certa. Nam & clysteres, & glandulæ, & subducentia vocata medicamenta multiformiter componuntur.

3. Tertio educendorum qualitas est contemplanda, quæ denotatur per vocem illam *& qualia*. idest nunquid aquosa, & tenuia euacuare melius sit, an pituitosum humorem, an biliosum, an melancholicum, & an horum vnum tantum, vel duos, an verò omnes.

4. Quarto per vocem, *vbi* partem corporis, per quam euacuare oportet, indicat; vtrum scilicet per vesicam, an aluum, aut vterum, per nares, aut os, per sudorem, aut per latentem, & insensibilem transpirationem.

5. Quinto ea vox, *quando* tempus opportunũ, quo sit euacuandum, declarat;

vtrum scilicet ab initio ante morbi coctionem, quando vt ipse inquit, materia turget, an post humorum concoctionem.

Sexto tandem per verba *& quantum oportet* materiæ euacuandæ quantitatem ostendit, quam medicus coniectura quadam cognoscat, est necessarium.

Et quod de euacuatione per exemplum est dictum, id et in alijs indicātibus obseruandum est: vt puta in alterantibus. Nam si adsit intemperies quædam, hæc indicabit quid agendum, nempe alterandum esse per contraria: & quoniam intemperies hæc est exempli gratia frigida indicat quale agendum, nempe calefaciendum. Et rursus cum sit frigida, vt duo, ideo quantum calefaciendum indicatur, nimirum vt duo. Insuper & locum, seu partem, quæ est calefacienda cognoscere debemus, & hoc pertinet ad vbi agendum. His adde etiam quando, idest quo tempore, & quomodo etiam calefaciendum sit.

Quot nam igitur sint illa, quæ agenda sint in medendi methodo ex Hippocr. mente apparuit. Horum autem quædam pertinent ad auxiliorum inuentionem, alia verò ad eorundem rectam administrationem. Cum enim ex Gal. 6. meth. cap. 1. medendi methodus in hoc consistat, vt inueniamus remedia, & inuentis rectè vtamur. Ideo non sat est cognoscere, quid in vnoquoq; affectu agendum sit, & quæ nam sint illius auxilia propria, atq; specifica, quæ determinantur debita tum qualitate, tum quantitate eorundē, vt demonstrabimus paulò inferius nimirum cap. 19 sed necessarium est etiam, vt rectè administrentur, aliter non fiemus voti compotes. Recta autem agendorum administratio respicit modum, temporis occasionem, & locum, necnon quantitatem.

Nec aliquis obijciat quantitatem, vt dictum fuit, pertinere ad remediorum inuentionem, nempe ad quid agendum, non ad rectam agendorum administrationem. Nam quantitas duo respicere potest, vel auxilium, vel auxilij materiam: si auxilium respiciat, vt puta refrigerans, vel euacuans, tunc quid agendum specificum constituit. At si ad materiam auxilij referatur, exempli gratia ad Lactucam, ad Rhabarbarum, tunc pertinet ad rectam administrationem. Nam dosis medicamentorum est quantum agendum, & pertinet ad rectam administrationem, cum solam materiam auxilij respiciat, non autem auxilium. Adeo vt rectus agendorum vsus perficiatur auxiliorum materiæ debita dosi, conuenienti modo, tempore opportuno, atq; loco determinato. Quæ omnia quomodo intelligenda sint; & qua ratione ad vsum deducantur, atq; à quibus indicentur, declarabimus, dum de vnoquoq; indicante singillatim sermo habebitur. *Respondetur tacitæ obiectioni*

Declarantur Gal. loca, in quibus diuersa sentire videtur de agendorum numero. Cap. XVIII.

Circa agendorum numerum in antecedenti capite ex Hippocr. præsertim mente declaratum, non leues sese offerunt difficultates, quando Gal. sibi constare non videatur, cum diuersis in locis diuersa sentiat de agendorum numero, & in omnibus videatur diminutus.

Celebris in primis est ille locus, qui habetur 1. ad Glauconem 1. vbi asserit medendi methodum perfici tum qualitate, tum quantitate singulorum auxiliorum, necnon modo eorum vsus, & temporis occasione. Quo tamen in loco videtur diminutus, quoniam omittit quid agendum genericum declaratum ab Hippocr. per illa verba, *quibus opus est*: vt dictum fuit in antecedenti capite: prætermittit insuper vbi agendum. *1. Gal. locus de agẽdorum numero.*

Verum,

Verũtamẽ existimandũ est Gal. nulla ratione diminutũ fuisse, & præsertim allegato loco, vbi ex ꝓfesso agit de eorũ numero, q̃bus medẽdi meth ꝑficitur.

Tuetur Gal.

Quatenus itaq; pertinet ad vbi agẽdũ, dico vtendi modũ, cuius mentionem facit, sub se complecti tum vbi agendum, tum quomodo agendum: quare illa omnia enumerauit, quæ pertinent ad rectam agendorum administrationem.

At si consideretur quid agendũ genericũ, quod à Gal. pariter omissũ videtur. Scio fuisse quosdã, qui existimarunt Gal. per qualitatẽ intellexisse quid agẽdũ genericũ, per quantitatẽ quid agendũ specificũ, qua ratione eũ diminutum non fuisse affirmare poterimus.

Attamen cũ ego sim alterius sententiæ, quod scilicet quid agendũ distinguatur à qualitate, ita vt aliud sit quid agendũ, aliud quale agendũ, vt sequenti capite ostendã idcirco alio pacto Gal. intelligendũ esse arbitror. Respondeo igitur eũ nequaquam diminutũ fuisse, neq; omisisse quid agendum genericũ. Nam tunc cognoscet medicus quid agendũ genericum, quando per indicationem inuenerit auxilij genus, vt exempli gratia quod esse debeat vel euacuans, vel alterans, vel nutriẽs aut quid simile: hoc aũt auxiliũ determinatur debita qualitate, & quãtitate. Quocirca cũ Gal. dixerit medendi methodũ perfici qualitate, & quãtitate singulorũ auxiliorũ, per illa verba *singulorũ auxiliorũ* proposuit quid agendũ genericũ. Nõ itaq; fuit diminutus, cũ illa omnia, quæ pertinent tum ad remediorum inuentionem tum ad eorundem rectam administrationem proposuerit. Hanc eandem sententiam habemus lib. artis medicæ cap. 89. vbi pariter ex professo loquitur de indicationibus.

Gal. non sibi cõstans

Alibi tamen aliter sentire videtur. Siquidem 1. aph. 17. proponit qualitatem, quantitatẽ, & vtendi modũ, occasionis verò non meminit. At libro ad Thrasyb. cap. 40. enumerat qualitatem, quantitatem & occasionem, prætermisso vtendi modo. Et rursus lib. artis medicę cap. 85. non solũ omittit vtendi modũ, sed fatetur occasionem non esse quoddã tertiũ à qualitate & quantitate distinctum.

Defenditur Gal.

Istis auctoritatibus, aliorũ opinionibus prętermissis, sic responderi posse existimo, Gal. minimè incõstãtẽ fuisse, sed semper voluisse medẽdi methodũ perfici qualite, & quantitate singulorũ auxiliorum, necnon vtendi modo, ac tẽporis occasione. Quod si nonnunquã temporis occasionem, aliquando vtendi modũ, quandoq; vtrunq, prætermisit; non tamen ideo inferendũ eũ diminutũ, & incõstantẽ fuisse. Nam posito vno reliqua ẽt intelligi debent, tanquam illa, quę necessaria sunt, & alias declarata fuerunt. Sic etiã idem Gal. 1. aph. 12. dicebat Hipp. dum mentionẽ facit vnius, vt puta ætatis, aut naturæ ægrotantis, reliqua omnia intelligenda esse voluisse, nimirũ temperamentum, præsentem cæli constitutionẽ, victum antecedentem, regionem, anni tẽpus, vitę instituta, & reliqua huius census. Quis. n. arbitraretur Gal. in oĩbus diligentissimũ parum memorem fuisse eorum, quæ alibi dixit. Cum itaq; & in lib. artis medicæ cap. 89. & 1. ad Glauconem primo auxiliorum qualitatem, quantitatem, vtendi modum, & temporis occasionem enumurauerit, tanquam illa, quorum cognitio in medendi methodo necessaria est: etiãsi alibi horum quædam prætermisisse videtur: attamen, vt dixi, sub intelligi debent, nec illa exclusisse credendum. Sat enim fuit bis, vel ter rem hanc exacte declarauisse, in illis scilicet locis, in quibus ex professo loquitur de re proposita.

Difficultas insignis circa Gal. verba.

At difficultatem non leuem facit id, quod ait Gal. lib. artis medicę cap. 85. temporis occasionem non esse aliquod tertium diuersum à qualitate, & quantitate auxiliorum. Nam si agendorum occasio non est ab illis diuersa, cur 1.

ad Glauc.

ad Glauc. 1. occasionem à qualitate, & quantitate distinguit? & eò magis distingui debent, quia qualitas & quantitas pertinent ad remediorum inuentionem, at tempus opportunum respicit eorum rectam administrationem. Hanc dubitationem in primis soluam declarans Gal. verba: deinde Argenterium non rectè secundum aliquam partem illa interpretatum esse, & quæ opponit, nullam vim habere demonstrabo.

Est igitur Gal. doctrina lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 35. tempus opportunum ad remediorum adhibitionem esse, quando remedium postulantia adsunt; prohibens verò nullum, sed tunc talia, & tanta remedia conueniunt, ergo agendorum occasio in ipsis continetur. Quare, vt inquit Gal. lib. artis medicę non est rationi consentaneum temporis occasionem, veluti tertium aliquod ab eis diuersum introducere. Nam si temporis occasio inde ortum habet, quoniam fluxile, ac facilè mutabile est mortale corpus, ac pro transmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis, ergo quando talia, ac tanta remedia conueniunt, tūc opportunum tempus est illa exhibendi, quod si tempus opportunum non fuerit, ergo neque talia, ac tanta præsidia indicarentur: iure igitur dictum fuit temporis occasionem non esse tertium quoddam præter qualitatem, ac quantitatem auxiliorum, sed in eis contineri.

Declarātur Gal. verba.

Dubitatio.

Quod si hoc verum est, prout verissimum, cur igitur 1. ad Glauc. 1. qualitatem, & quantitatem auxiliorum distinxit ab occasione? Respondet idem Galen. lib. artis medicę citato, nos sępius ea occasione tanquam tertio quodam ad docendum vti consueuisse. Per quæ verba, vt opinor nil aliud sibi voluit, nisi quod vtimur occasione tanquam quodam diuerso à qualitate, & quantitate auxiliorum, vt doceamus tempus opportunum, quo hæc conueniunt. Nam non sat est remediorum inuentio, sed requiritur etiam recta eorundem administratio. Vnde cum quis inuenerit exempli gratia euacuandum esse talem, & tantum humorem, si interrogetur, quando facienda sit hęc euacuatio, respondebit, cum adsūt indicantia, & prohibens nullum: tunc enim est euacuandi tempus: vtimur igitur temporis occasione tanquam tertio quodam ad docendum quando auxilia inuenta administrari debeant. Quare ex istis inferre poterimus, quomodo agendorum occasio non differat à qualitate, & quantitate pręsidii, & qua ratione etiam differat. Non differt quidem, tanquam quoddam realiter distinctū, quia tali, & tanto præsidio non vtimur, nisi quando corpus eget, quoniam tunc solū indicatur qualitas, & quantitas, quando indicans est præsens, ergo idem est tēpus opportunum cum qualitate, & quantitate. Differt verò secundum rationem, & facilioris doctrinæ gratia, quia qualitas, & quantitas respiciunt quid agendum specificum, & illud determinant: at temporis occasio respicit agendorum rectam administrationem, & ea vtimur ad docendum quando auxiliis inuentis vtendum sit.

Tollitur apparens contradictio.

Argenterius autem com. 3. in lib. artis medicæ etiamsi veram existimet Gal. doctrinam eo loci traditam, eam tamen spinosiorem, quam postulet ars nostra, vocat: & quia quædam opponit, & diuerso etiam modo interpretatur nonnulla Galen. verba: ideo, vt omnis remoueatur difficultas, operę pretium est illum audire.

Interpretans itaque verbum illud, *ad docendum*, ait. Id quod ego intelligo ad docendum qualitatem, & quantitatem affectus, ex quibus qualitas, & quantitas remedij postea statuuntur: vel etiam ad docendam mutationem,

Reijcitur Argenterij interpret.

quæ in corpore fit. Quæ omnia mihi videntur esse prorsus pręter rationem. Nam quo pacto temporis occasio docere potest qualitatem, & quantitatem affectus? Hæc siquidem per signa cognoscuntur, non per temporis occasionem, ex præsentia verò illorum, & absentia prohibentium inferimus deinde opportunum esse tempus ad remediorum administrationem. Verum neque apta est agendorum occasio ad docendam mutationem, quæ fit in corpore, licet inde ortum habeat. Propterea quod diuersa inter se sunt auxiliorum, & morborum tempora, hæc enim cum sint causarum motiones quædam propter diuersã actionem, & passionem inter materiam peccantem, & calidum innatum, illa sunt, quæ potius docere possunt mutationem, quæ fit in corpore. At tempora auxiliorum, siue agendorum occasio id non docet, sed cum ortum habeat à mutatione, quæ fit in corpore, cum pro transmutationis modò alijs alio tempore egeat auxilijs, hinc ea vtimur ad docendum, quando adhibenda sint talia, & tanta præsidia.

Dubitatio. Rursus probare contendit agendorum occasionem esse prorsus distinctam à qualitate & quantitate auxiliorum. Nam qualitas, & quãtitas indicantur à qualitate, & quantitate affectus, sed occasio indicatur ex præsentia eorum, quæ postulant remedia, & prohibentium absentia, ergo si indicantia inter se differunt, different vtiq; & illa, quæ indicantur. Hæc ille.

Solutio. Præterea interim occasionem non indicari eo modo, quo auxilia indicãtur. Nam quæ propriè indicari dicuntur, sunt iuuantia: siquidem indicatio est comprehensio iuuantis, occasio non est iuuans, cum non sit præsidium, ergo ipse vtitur nomine indicationis æquiuocè. Verum etiam si cum ipso dederimus occasionem indicari: respondemus tamen argumento ab illo allato nos potius demonstrare agendorum occasionem esse eandem cum qualitate, & quantitate auxiliorum, vel saltem in eis contineri, id quod maximè amplectimur cum Gal. Nam si qualitas, & quantitas auxiliorum indicatur à qualitate, & quantitate affectus, & occasio indicatur à præsentia eorum, quæ postulant remedia, ergo occasio etiam indicabitur à qualitate, & quantitate affectus. Probo consequentiam. Certum est qualitatem & quantitatem affectus non postulare qualitatem, & quantitatem remediorum, nisi præsentes fuerint, sed cum tales & tanti affectus sunt præsentes per Argenterium indicant occasionem, ergo occasio eadẽ est cum qualitate, & quantitate auxiliorum, vel saltem in eis continetur, quod erat probandum.

Concludamus itaq; ex dictis circa numerum agendorum Gal. non dissentire ab Hippocr. doctrina in antecedenti capite declarata, neq; varium & inconstãtem, sed semper, dummodo recte intelligatur, esse sibi similem.

Quale agendum non esse quid agendum genericum, & quantum agendum specificum. Cap. XIX.

NOnnulli confundunt quid agendum cum qualitate, & existimant Galen. per qualitatem intellexisse quid agendum genericum, per quantitatem auxiliorum quid agendum specificum. Cum autem ego aliter sentiens arbitrer quid agendum distingui à qualitate, ita vt aliud sit quid agendum genericum, aliud quale agendum. Ideo, vt omnis remoueatur difficultas, in pri-

Dicendorũ ordo.

nis operæ prætium est, demonstrare Hipp. atq; Gal. auctoritate, hæc duo esse inter se distincta. Secundo loco ostendere contendam falsum esse qualitatem esse quid agendum genericum, quantitatem verò quid agendum specificum. Ex quo deinde tertio loco apparebit quale agendum non minus esse quid agendum specificum, quam sit quantum agendum, & ex vtrisq; simul constitui quid agendum specificum. Nam cætera nempe quando, quomodo, & vbi agendum pertinent ad rectam agendorum administrationem: licet etiam quantitas, non dico auxiliorum sed materiæ auxilij pertinere possit, vt dictum fuit ad rectum vsum.

Quod agendum à qualitate distingui probatur auct. Hippocr.

Hippocr. igitur 2. aph. 22. dicebat. *Quicunq; morbi ex repletione fiunt euacuatio sanat.* Ex hoc quis negabit à repletione indicari quid agendum genericum, seu auxilij genus, nempe euacãdũ esse, nulla mentione facta de qualitate euacuationis? Idem Hippocr. 1. aph. 2. inquit. *Vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant.* Quibus verbis proponit quale agendum in euacuatione, cum loquatur de electione humoris educendi, idest de eiusdem qualitate substantiali, seu determinata specie: ac si dixisset, cum nouerimus quid agendum sit, nempe euacuandum esse, quoniam adest repletio: tunc considerandum, quinam humores peccent, an bilis, an pituita, seu quiuis alius humor: & hoc est considerare quale agendum, quod significatur ab Hippocr. illis verbis: *si talis fiat, qualis fieri debet.* Certum igitur est ex Hippocr. qualitatem præsidijs distinctam esse ab auxilij genere: quare per qualitatem non debemus intelligere quid agendum genericum.

Auctorit. Galen.

Gal. lib. de optima secta ad Thrasyb. cap. 45. demonstrare volens tempora morborum non indicare alimenta sic argumentabatur. Quod indicat auxilij genus, id quantitatem, & qualitatem etiam indicare necesse est. Nam differentia addita indicanti facit, vt illud idem, quod sine differentia auxilii genus indicabat, indicet tum qualitatem, tum quantitatem eiusdem: sed morborũ tempora nec quantitatem, nec qualitatem cibi indicant; quare nec alimenti genus indicare possunt. Quibus verbis manifestum est. Gal. distinguere quid agendum genericum à qualitate auxilii.

Ratione.

Auctoritatibus ratio quoq; fauet. Nam si qualitas esset quid agendum genericum, & quantitas quid agendum specificum, sequeretur hoc absurdum, quãtitatem esse speciem qualitatis, quod nulla ratione dicendum est. Consequentia clara est, propterea quod species continetur sub genere.

Respondetur obiectioni.

Nec eò confugiant nomen quanti impropriè quandoq; tribui ipsi quali, vt cum virtutem magnam dicimus, pariter cum febrem magnam appellamus: sicuti docuit Gal. 1. de diff. feb. 1. Quoniam etiamsi hoc in alterantibus remediis specimen aliquod veritatis habere videatur: attamen in omnibus aliis indicatis prorsus falsum existit. Quod declaro exemplo. Laboret aliquis febre, quæ cum sit intemperies calida, ideo indicat qualitatem præsidii, nempe refrigerandum esse: sit calida vt duo, indicabit quantitatem eiusdem, nempe præsidium frigidum vt duo: impropriè tamen loquimur. Nam frigidum vt duo pertinet ad qualitatem, non ad quantitatem: id tamen appellamus quantum agendum, & hoc contineri potest sub qualitate. Quoniam nomen illud, quantum refrigerandum, impropriè quantum appellatur, cum qualitatem respiciat: quatenus scilicet intensior est frigiditas, vel remissior, aut est in hoc, vel illo gradu. Attamen etiamsi hoc in intemperiebus, vt ex allato exemplo apparuit, verum esse videatur, quod nimirum quantitas præ-

ſidij ſub qualitate contineatur, non tamen ideo inferendum eſt, quantum agendum eſſe quid agendum ſpecificum, quale verò agendum eſſe quid agendum genericum. Nam quantum agendum in alteratione reſpicit magis, vel minus, exempli gratia magis, vel minus refrigerandũ eſſe: magis autem, & minus, vt vulgatum eſt apud philoſophos non conſtituunt ſpeciem diuerſam. Quare neque in medicamentis alterantibus quantum agendum eſſe poterit ſpecies ipſius qualitatis auxiliorum, ita vt qualitas ſit quid genericum, quantitas verò quid ſpecificum: ſed eſt eademmet qualitas modò magis, modò minus intenſa.

Confirmatur ratio exemplo.

At in alijs indicatis manifeſtum eſt, quantum agendum propriè pertinere ad prædicamentum quantitatis: quare non poſſe eſſe ſpeciem qualitatis, adeo vt quale agendum ſit genericum, & quantum agendum ſpecificum. Peccet in humano corpore bilis, hæc educenda eſt, hoc pertinet ad quale agendum: verùm cum bilis peccans poſſit eſſe, vel pauca, vel multa, tota eſt educenda, & hoc eſt quantum agendum: paucitas verò, & multitudo peccantis humoris propriè pertinẽt ad quantitatem, nec qualitatis ſpecies vlla ratione eſſe poſſunt.

Gal auctoritate idem oſtenditur.

Præterea ex Gal. lib. de optima ſecta ad Thraſyb. cap. 45. citato, qualitas, & quantitas ciborum ſunt differentiæ, & ſpecies generis alimenti, ergo qualitas cibi non erit quid genericum, quantitas quid ſpecificum; ſed vtræque erunt quid ſpecificum, cum ſub eodem genere contineantur, nempe ſub alimento.

Quale agẽdum nõ eſſe minus ſpecificum, quàm quãtum agendum.

Ex quibus concludere licet quale agendum non minus eſſe ſpecificum, quàm ſit quantum agendum. Quod pariter febris exemplo clarum eſſe poteſt. Quoniam cum ſit intemperies, hæc auferenda eſt per alterantia in contrarium, & hoc eſt auxilij genus, nempe alterans: quia verò eſt intemperies calida, ideo refrigerantia medicamenta expoſtulat, & hoc eſt quale agendum; rurſus quia calida vt duo, idcirco indicat frigida vt duo, atq; hoc eſt quantum agendum, quod tamen non eſt magis ſpecificum, quàm ſit quale agendum, quia vtrunque neceſſariò requiritur ad ſpecificum remedium conſtituendum.

Reſpondetur obiectioni.

At cum dicunt quantum agendum, nempe refrigerandum vt duo eſſe remedium magis determinatum, quàm quale agendum: quare hoc erit genericum, illud ſpecificum. Reſpondeo remedium non magis determinari à quantitate, quam à qualitate, ſed vtranq; neceſſariò requiri ad hoc vt auxilium ſit determinatum, & ſpecificum. Atq; hoc eſt illud, in quo decepti fuerunt. Cum enim appareat remedium frigidum vt duo eſſe magis determinatum, quam frigidum ſimpliciter, exiſtimarunt quantum agendum eſſe ſpecificum: ſed ſummopere falluntur: quia fortaſſe magis determinatur remedium à qualitate, quã à quantitate, quod ſic declaro. Capiamus ſeorſim remedij quantitatem, & qualitatem, & videbimus magis determinari à qualitate. Sit per exemplum auxilij genus alterans, huius quantitas deſumitur à receſſu à naturali ſtatu, ita vt ſi lapſus fuerit à mediocritate per duos grados, alterandum erit per contrarium ad duos gradus; atq; hoc eſt quantum agendum ſine qualitate. At tunc habebimus alterantis præſidij qualitatem, quando cognouerimus exẽpli gratia refrigerandum eſſe. Hoc ſtante quæro ego, quodnam eſt magis ſpecificum & determinatum remedium, alterans vt duo, an refrigerans? Nemo, vt arbitror, tam delirus erit, qui non exiſtimet refrigerans præſidium eſſe magis determinatum, quàm alterans vt duo, ſed hoc eſt quantum agendum, illud quale: ergo potius oppoſitum ſentiendum eſſet, quale agendum eſſe magis ſpecificum, quàm quantum agendum. Attamen exiſtimandum eſt, vtrunq; ſimul

requiri

requiri ad statuendum auxilium reuera specificum, & determinatum. Non enim sat est calido affectui ad nouisse frigida, nisi id debita fiat mẽsura ex Gal. 9 meth cap. 15.

Noto tamen, licet vtraq; requiratur, quandoq; magis à qualitate, quandoq; magis à quantitate auxilium determinari. Quod colligi potest ex vnico Hippocr. aphorismo: is autem est 23. primę sectionis. Nam verba illa *Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur qualia conueniunt* demonstrant purgationem humorum peccantium magis determinari qualitate, quàm quantitate licet etiam necessaria debita quantitas requiratur. Cum verò addit. *Atq; vbi vsq; ad animi defectionem expedit ducere faciendum, si æger possit tolerare.* Hisce verbis denotat euacuationem factam per sanguinis missionem, cum euacuet ex æquo omnes humores, magis determinari quantitate, quàm qualitate auxilij. Notandum ex Hippoc.

Vanum igitur est credere Galenum per qualitatem intellixisse quid agendum genericum, per quantitatem quid agendum specificum. Sed existimandum est ex vtrisq; simul auxilium omne specificum determinari: neqs vllum prorsus reperiri, quod vel affectui præter naturam mederi, vel res secundum naturam conseruare valeat, nisi debita qualitate, & quantitate determinetur.

Vtrum remedia debeant esse æqualia affectibus præter naturam. Cap XX.

DEniq; non est contemnenda quæstio illa contingens circa præsidij quantitatem, vtrum scilicet remedia debeant esse æqualia præternaturalibus affectibus. Circa huius quæstionis titulum paucis declarandum est illius prædicatũ nẽpe qua ratione æquale dicatur de remedijs & de morbis. Æquale itaque, & inæquale propriè dicuntur de quantitate ex Aristotelis sententia in prædicamentis cap. de quantitate, ita vt vna quãtitas siue discreta siue continua dicatur alteri, vel æqualis, vel inæqualis. Quocirca cum interim sermo sit de remediorũ quantitate, quę desumitur à quantitate affectus, seu à recessu illius à naturali statu: hinc factum est quòd medici vtantur hoc prædicato, & quærant, vtrum remedia debeant esse æqualia affectibus curandis. Verùm quoniam in pluribus præter naturam affectibus recessus iste à mediocri statu impropriè dicitur quantitas, & per consequens remedia, quæ ei opponuntur, similiter quanta impropriè vocantur, insuper quia non vno, sed multis modis præsidia dicuntur esse contraria affectibus, vt dictum fuit supra cap. 5, ideo hoc prædicatum, nempe æquale, æquiuocè dicetur de remediis, & de affectibus, cũ non vno, atq; eodem modo de omnibus prædicetur. Nam exempli gratia alterantia remedia dicuntur æqualia penes gradus qualitatum: euacuantia penes quantitatem humorum peccantium: alia dicuntur æqualia penes actiuitatem, vt dum dicimus valida deobstruentia, valida discutientia conuenire, illa quidem in obstructionibus contumacissimis, hæc verò in humoribus pertinaciter alicui parti impactis, & sic de singulis. Quare sumpto hoc prædicato in communi propositionem hanc ita intelligendam esse existimo, vtrum affectus requirant adhibitionem contrariorum æqualium, ita vt adsit æqualitas in contrarietate, qualiscunq; ea fuerit. Declaratur quęstionis titulus.

Pro parte itaq; affirmatiua in primis est Hippocrates qui 1. aph 6. ait, extremis morbis extrema conuenire remedia. Quod sanè præceptum nulla alia ratione

tione in se veritatem continere videtur; nisi quia remedium debet esse æquale morbo. Quam sententiam habemus etiam apud Cornelium Celsum lib. 2. cap. 11. vt nullum periculum,(inquit) ita leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æquè vehemens auxilium succurrere. *Celsi.*

Gal. 1. Idem asserit Gal. lib. artis medicæ cap. 89. dicens immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem reduci. Et paulò inferius subdit: si ita contigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem, quàm naturæ conueniat, decidat corpus, septem verò ad siccitatem maiorem, tūc salubrē causam in huiuscemodi affectibus esse oportebit decem quidem numeris frigidiorem, septem verò humidiorem. Noto autem verba hæc à Gal. allata cautè intelligi debere. Quia nullum vnquam reperiri potest remedium, nullus ve morbus, qui ad tot gradus caliditatis, vel frigiditatis, humiditatis, aut siccitatis ascēdat, cum fortasse quattuor non excedant gradus. Quare id protulit Gal. tanquam in exemplum: non quod esse possit.

2. Amplius eodem lib. artis medicæ cap. 94. ait immodicam repletionem, immodica euacuatione curari.

3. Insuper 3. simpl. cap. 12. docet, necessarium esse tātò abesse à medio, quod medebitur, quantò ipsum, cui medella adhibebitur, nimirum cum in contrarium vtriusq; excessus vergat. Quod probat tali ratione. Nam quod eandem in partem cum corpore curando, idq; æquo temperamento recessit, id quidem idoneum non est, quod alterationem vllam inuehat; quare affectum neq; lædet neq; iuuabit. Quod autem minus, aut plus recessit, alterabit quidem omnino affectum: sed quod plus distat protinus etiam nocebit: at quod minus est iuuabit quidem, non tamen persanabit. Quare concludit remedium debere æqualiter morbo opponi secundum gradum, ita vt si affectus sit valde calidus, remedium sit valde frigidum, & tantum excedat in frigiditate, quantum morbus in caliditate à mediocritate recedit.

Ratione. Idem suadet & ratio. Nam si sanitas in mediocritate quadam consistit, cum contingat lædi tum ab excessibus, tum à defectibus cuiuscunq; generis: si quid deficiat necessarium est, id, quod addendum est, æquale esse, ei quod deficit, si debet ad mediocritatem, & ad pristinam reduci sanitatem. Sin aliquid superabundet, aut excedat, oportet exhibere remedium, quod illud omne superexcedens auferat, & radicitus tollat. Siquidem medicina nihil aliud est, nisi additio, & ablatio, additio quidem eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum, quę superabundant, vt docuit Hippocr. lib. de flatibus, & confirmauit Gal. 11. meth. cap. 12. Quare necessarium est remedium esse æquale affectui præternaturam, si quod deficit addendum est & quod redundat, auferendum, vt ad mediocritatem ægrotans corpus reduci possit.

Remedia nō semper esse æqualia affectibus. At ex altera parte non desunt rationes & auctoritates, quæ oppositum docere videntur, nempe non esse necessarium, vt remedia sint æqualia affectibus.

1. ratio. Et primò quid prohibet morbum curari posse contrariis minoribus. Nam si ex Galen. 3. simpl. citato, quod minus est iuuat quidem non tamen persanat. Exempli gratia morbus calidus vt quattuor à medicamentis frigidis vt duo necessariò remittitur, quoniam, vt passim dicitur remissum remittit intensum, ergo si eadem remedia frigida vt duo iteratis vicibus administrentur, tandem curabunt affectum calidum vt quattuor: quia semper illum paulatim remittent, quousque ad naturalem temperiem ægrotans corpus reductum fuerit. Quocirca contrarium minus tollere poterit affectum maiorem.

Secundo

Secundo si remedium erit æquale morbo, ergo morbum debellare non poterit. Ab æqualibus enim non prouenit actio. Quare maiorem vim, & efficatiam debet habere remedium, vt morbus ei resistere nequeat, sed vinci omnino, & superari possit. Hinc Aretæus antiqui temporis medicus capite de elephantiasi scriptis mandauit necesse esse omnia remedia efficaciora esse morbis, aliter ipsos superare non poterunt. Quæ causa est, cur elephantiasis curari nequeat, cum nullum inueniatur remedium, quod affectu illo sit validius. Cui sententiæ subscribit etiam Paulus lib. 4. circa initium. 2.

Insuper si morbi omnes tollerentur remedijs æqualibus, ergo omnes etiam eodem temporis spatio curarentur, non igitur quidam essent breues, alij diuturni. Probatur consequentia, quia in omnibus eadem esset proportio agentis ad passum: vbi autem æqualis est proportio agentis supra passum, non videtur consentaneum rationi, vt in hoc citius, in illo tardius sequatur actio. 3.

Et quod ratione probatum fuit, auctoritatibus etiam tum Hippocr. tum Gal. confirmari potest. Nam Hippocr. 6. epid. 2. tex 26. inquit *per adiectionem cõtraria adhibere oportet, & interquiescere*, vel vt alij legunt, *contraria paulatim facta accessione adhibenda sunt, & interquiescendum*. Atq; Gal. in com. interpretatur hanc Hippocr. sententiam de consuetudinibus dicens; à prauis consuetudinibus quosdam ad contrarias repente traducere conantes non modico errore teneri: quandoquidem neq; ipsas negligere, neque statim traducere conuenit, sed paulatim, & ipsos interquiescere permittendo. Vt scilicet antequam vniuersa mutatio facta sit, inter mutandum quiescamus; sicuti quando ex otio ad exercitationes conuertimus: primum quidem à breuissimis incipiemus atq; paulatim has adaugebimus, deinde nonnunquam vnum, vel etiam duos otiosos dies interponemus. *Prima auctoritas.*

Idem prorsus suadere videtur aphorismus 51. secundæ sectionis, cum dicat periculosum esse plurimum, atq; repente euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare: sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit. 2.

Et Galenus 5. meth. cap. 15. considerans illorum sententiam, qui dicebant in morborum curatione à paruis incipiendum esse auxilijs, mox, si nihil profecerint, aggredienda esse maiora, opinionem hanc damnat in morbis illis, in quibus nisi citò succurratur, vitæ periculum impendet. At ex altera parte illam laudat, & inquit veram esse in illis morbis, in quibus periculum non imminet; ergo non in omnibus morbis debemus adhibere contraria æqualia. 3.

Præterea 8. meth. cap. 3. loquens de curatione febris ephemeræ factæ ex vstione, idest nimi calefactione, aut ex frigore, docet in febre ex vstione genita incipiendam esse curationem à mitioribus refrigerantibus, deinde ad maiora perueniendum. At in illa febre, quę facta fuit ex frigore, validiora calefacientia à principio adhibenda esse, in progressu imbecilliora administrari debere asserit, cum dicat. Qui ex vstione febricitant, ijs intendendam, quæ ex refrigerantibus constat, curationem esse, ijs verò, qui ex frigore, eam, quæ ex calefacientibus consistit, remittendam. 4.

Pro solutione huius quęstionis nonnulla supponenda sunt. Et primo suppono, curationem nil aliud esse nisi mutationem, seu motum à morbo ad sanitatem, siue à statu præternaturali ad statum secundum naturam: fit igitur curatio in tempore, quoniam omnis motus tempore mensuratur. *Primũ supponendum pro solutione.*

Alterum quod suppono, est, æquale remedium pertinere ad quantum agen- 2.

dum,

dum, quod non sat est pro morborum curatione, sed vt dictum fuit ex Gal. & Hipp. sententia, qualitas etiam remediorum, necnon vtendi modus, & temporis occasio consideranda veniunt.

3. Tertium suppono quantitatem medicamentorum esse imperceptibilem ex Gal. 3. meth 3. vbi dicit nullam esse in arte medica rem, nec medellam, quæ specie dicibilis non sit, sed quod nec dici, nec scribi, nec omnino percipi potest, id quantitas in vnoquoque scilicet morbo, & remedio est. Quare cum sit imperceptibilis, tum morborum, tum remediorum quantitas, ideo necessarium est vti artificiosa coniectura, vt ad ipsam, quantum fieri potest, accedamus, & tutius est infra subsistere, quam vltra progredi. Nam si vltra progrediatur, morbus priori contrarius introducetur: si infra subsistimus, repetito remedio sanitatem tutò, consequimur.

Respondetur illis, quæ in oppositum allata fuerunt.

Quibus ita suppositis non est difficile soluere rationes, & auctoritates, quibus probabatur non esse necessarium remedia debere esse æqualia morbis. Et primo quando dicebatur morbum posse curari à contrario minori sępius iterato, hoc fateor; non tamen inferendum, ergo remedium non erit æquale morbo. Nam remedium pluries adhibitum potest dupliciter considerari, vel distributiuè vel collectiuè: si distributiuè capiamus singulas remedij applicationes, hac ratione vtiq; non erit æquale morbo. At si capiamus remedium omnibus vicibus collectiuè sumptis adhibitum, profectò æquale efficietur morbo.

Ad 1.

Ad 2. Ad secundum cum dicitur, quod ab æqualibus non prouenit actio. Nolo interim disputare, (hoc enim philosophis relinquo) an propositio hæc sit vera, & qua ratione intelligi debeat. Id solum dico in quibusdam omnino falsam esse. Nam in mistione apparet, quomodo ab æqualibus proueniat actio. Si enim æquales gradus caloris, & frigiditatis inuicem misceantur, vtriq; inuicē agent, & patientur, & ad mediocritatem reducentur. Et si remissum remittit intensum, quare in ipsum aliquo pacto agit, quid prohibet æquale non posse agere in æquale? Quocirca fatendum quoque erit, æqualia remedia agere in morbum, & ita corpus ad sanitatem, & mediocritatem reducere posse. At dato etiam, sed non concesso ab æqualibus non prouenire actionem, & passionem: dico, etiamsi remedium sit æquale morbo, adiutum tamen à natura, quam Hippocr. 6 epid. 5. tex. 1. morborum medicam appellat, fieri validius, ita vt licet sit æquale secundum gradus oppositos, non sit tamen æquale secundum agendi efficaciam. Siquidem à natura adiutum validius redditur: atq; sic facultas eo mediante morbum superare, ac debellare potest.

Quod si elephantiasis curari nequeat, aut saltem valde difficulter, id non contingit, quia nullum inueniatur validius, aut æquale medicamentum, sed propter malam naturam huius affectus. Tanta enim est huius vitij malignitas, vt placidiora, & mitiora medicamenta contemnat: validioribus autem, & vehementioribus irritetur, & escandescat, non autem sanetur.

Ad 3. Ad tertiam rationem dico non sat esse, vt sit ęqua proportio agentis supra passum, ad hoc vt sequatur eadem actionum velocitas: sed requiritur etiā, quod passum sit æque dispositum: quod cum non contingat in affectibus pręter naturam: hinc mirum non est, si omnes eadem velocitate non sanentur. Non adest autem eadem dispositio passi multis de causis. Primo quoniam morborum quidam sunt in habitu, quidam in dispositione: alij à causis fixis, & diù permanentibus, difficulterq; mobilibus, alii à causis opposito modo sese habentibus producuntur. Insuper non solum remedii quantitas est consideranda, sed

Causa cur morborum alij citius, alij tardius sanentur.

prę-

cipuè etiam temporis occaſio. Vnde in morbis, qui euacuatione indigent, non quolibet tempore hæc perfici poteſt, ſed expectanda materiæ morbificæ concoctio. Concocta enim medicanda ſunt non cruda, vt docuit Hippocr. 1. aph. 22. pro diuerſa autem concoquendæ materiæ natura, in quibuſdam morbis citius, in alijs tardius concoctio apparet. Hinc factum eſt, quòd non omnes morbi eodem tempore ſanari poſſint. Addite præterea multa eſſe, quæ quandoque impendiunt, quo minus remedia, quæ ad morbi ſublationem neceſſaria eſſent, adhiberi poſſint: ſicuti ſunt vires, anni tempus, ætas, cæli ſtatus, regio, & ſimilia. Quinimo fieri poteſt, vt aliquod vehemens ſymptoma interdum ſuperueniat, quod totam ad ſe curationem reuocet, vnde neceſſe eſt, ſerius adueniat curationis finis, vt videre licet apud Gal. 11. meth. 11. Non itaq; mirum eſt, ſi omnes morbi eodem tempore ſanari nequeant.

Et ad primam Hippocr. auctoritatem deſumptam ex 6. epid. dico ex Galen. *Ad 1. auctoritatem* ſententia ipſum loqui de praua conſuetudine, quæ in melius mutari debet. Hoc autem non poteſt fieri affatim, & repente: quoniam, cum conſuetudo ſit altera natura, non eſt tutum repentinam mutationem aggredi; ſiquidem natura non patitur ſubitas mutationes; paulatim igitur ad meliorem ſtatum reduci debet, non autem affatim. Neque tamen ob hoc ſequitur, remedium non eſſe ęquale morbo, aut huic prauæ conſuetudini, quæ ad meliorem ſtatum traducenda eſt. Nam niſi ſit æquale vnica applicatione, ſit tamen æquale, dum reiteratur donec, & quouſq; praua conſuetudo mutata fuerit in meliorem.

Ex quo pariter patet etiam ſolutio alterius auctoritatis Hippocr. ex 2. aph. 51. deſumptę. Quoniam ſemper periculoſum eſt plurimum, atq; repente euacuare, vel replere, vel refrigerare; ſiquidem omne nimium eſt naturę inimicum, *Ad 2.* & propterea tutius eſt, (ſi, niſi citò occurratur, periculum vitæ non immineat) paulatim corpus ad naturalem ſtatum traducere. Nam ex Gal. 12. meth. cap. 7. videntur corpora, non ſolum cum in habitum contra naturam confertim aguntur, triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſtatum ſuum reditu, niſi eum paulatim accipiant, cruciari.

Quod ſi Gal. 5. meth. cap. 15. laudat eorum ſententiam, qui dicebant à paruis incipiendum eſſe auxiliis, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora in *Ad 3.* morbis illis, in quibus periculum non imminet. Hoc nil officit aſſertioni noſtrę. Nam cum remediorum quantitas imperceptibilis ſit, tutius ſemper eſt infra ſubſiſtere in morbis, in quibus periculum non impendet, nè contrarius morbus introducatur; neq; tamen ob id ſequitur remedium non eſſe æquale: quoniam morbus, nunquam ex toto auferetur, niſi iteratis vicibus applicitum remedium ei ęquale efficiatur.

Tandem tollitur vltima Gal. auctoritas, ſi dixerimus, non ideo Gal. in cura- *Ad 4.* tione febris ephemerę ex vſtione factę docuiſſe incipiendum eſſe à mitioribus refrigerantibus, deinde ad validiora aſcendendum; & vice verſa in febre, quę originem ex nimia refrigeratione traxit, à validioribus calefacientibus exordiendam eſſe curationem, deinde ad mitiora deſcendendum; non inquam ideo hoc docuiſſe dicendum, quia remedium non debeat eſſe ęquale morbo, ſed quia cauſa id poſtulat, neq; alia ratione procedendum eſt. Nam refrigeratio nulla alia de cauſa febrem inducit, niſi obſtruendo, & conſtipando meatus, quò minus calor poſſit euentari, augetur igitur, & pręternaturam euadit, hinc febris. Vt itaq; tollatur cauſa hęc conſtipans, & claudens meatus, neceſſariò adhibenda ſunt validiora calefacientia, quę rarefacere, & aperire poſſint, adeo vt corpus

transpirabile reddatur. Verum quoniam si in eorundem validiorum calefacientium vsu persisteremus, prȩterquamquod non amplius essent ȩqualia constipationi à frigore inductȩ iam secundum partem aliquam ablatȩ, periculum esset, ne febris accensa ab illorum vi adaugeretur; hinc iussit Gal. vt deinde ad mitiora descenderemus, quousq; ex toto curata fuerit febris. At in curatione febris ephemerȩ ex nimia calefactione ortȩ non statim ab initio vehementiora refrigerantia adhibenda sunt, nè per antiperistasim calorem, & per consequens febrem magis adaugeãt: mitiora igitur refrigerantia ab initio applicanda sunt; deinde paulatim ad validiora ascendendum, donec febris ex toto sublata fuerit. Notandum tamen est Gal. sermonem facere de remedijs extrinsecis, & præcipuè de balneo, & vnctione, vt quilibet videre potest.

Concludamus igitur remedium debere esse ȩquale affectui, ita vt affectus de se, & secundum propriam rationem semper postulet contrariorum ȩqualium exhibitionem: licet tamen id semper fieri nequeat, quoniam multa occurrunt impedimenta. Quandoque enim consuetudo id prohibet, quandoque ȩtas, interdum virium languor, nonnunquam cæli status, anni tempus, regio, & similia.



DANIELIS CARMENII De Medendi Methodo Liber Secundus.

Connexio cum superioribus, & dicendorum series. Cap. I.

Connexio.



Erum naturalium, & preternaturalium affectuū essentiam, seu naturam esse medendi methodi principium: agendorum autem, & eorundem rectæ administrationis notitiam esse eiusdem finem, qui deinde est principium actionis, & curationis, cuius ope deperdita sanitas in humanum corpus introducitur, qui est verus, & vltimus finis facultatis medicę ex dictis in antecedenti libro manifestum esse potest. Amplius dictum fuit etiam per quæ nam media in agendorum cognitionem progrediendum sit, quæ sanè media debent esse notissima, & indemonstrabilia. Hęc autem duo sunt: vt scilicet similia similibus conseruentur: & contraria contrariis curentur. Sunt enim hi duo cardines circa quos ars medica deuoluitur.

Intentio.

Cum autem similia, & contraria inueniantur per indicationes, ergo de indicationibus in hoc libro pręsertim agendum est, vt poteque sunt principium immediatum syllogisticum in demonstratiua medendi methodo.

Dicendorū ordo.

Hunc verò ordinem à natura rei desumptum seruare decreui. Primò etenim quid nomina quędam significent pro faciliori notitia eorum, quę dicenda sunt, declarare oportet, nè vlla committatur ęquiuocatio: vt sunt indicatio, coindicatio, contraindicatio, indicans permittens prohibens, & similia. Post hæc dicendum erit, quid sit indicatio, quæ cum differat ab experientia, & analogismo; & medicus quandoq; vtatur etiam istis duobus instrumentis: hinc necessariò, quid sit experientia, & quid analogismus, perscrutandum erit. Deniq; quot nam sint verè, & propriè dicta indicantia; & quas conditiones sibi asciscant, contemplabor; atq; hac ratione finem imponam huic secundo libro.

Quomodo indicatio differat a scopo, & quid importent hæc duo nomina. Cap. II.

Cur nomina quædā declarādą sint.

A Nominum quorundam significatione exordium sumendum esse dixi, nè vlla in tractatu de indicationibus committatur æquiuocatio. Nam licet Gal. millies docuerit de nominibus nos non debere esse solicitos, sed solùm rerum essentiam esse attendendam. Attamen cum etiam nostris temporibus inualuerit consuetudo, vt sæpissime medici de nominibus contendant: atque hæc præcipua causa fuerit, cur nonnulli, & inter ipsos præsertim Argenterius nominibus addictus Gal. incostantiæ arguat, dum de indicationibus pertractat. Propterea vt Gal. ab aliorum calumnijs tueri possim: & vt facilior pateat aditus ad eorum intellectionem, quæ de indicationibus dicenda sunt: nomina quædam,

quibus paſſim auctores vtuntur, dum de indicationibus agunt, prius declarare, & quid ſignificent, conſiderare operæ pretium eſſe duxi: nè vllam tyronibus confuſionem pariant. Sunt autem nomina hæc, indicatio, ſcopus, coindicatio, cōtraindicatio, correpugnatio, indicās, permittēs, prohibēs, indicatū, & ſimilia.

Et in primis in hoc capite conſiderandum, quomodo indicatio differat à ſcopo, & quid importent, hæc duo nomina.

Scopus quid ſignificet.

Per ſcopum paſſim intelligere ſolemus finem alicuius artis, vel ſcientię, quē vel ſibi conſequendū proponit artifex, qua ratione ſanitas dicitur ſcopus, id eſt finis medicæ facultatis: aut quē cognoſcendū ſibi proponit ſciens, vt naturalis philoſophus tanquàm ſcopum præ oculis habet naturalis corporis cognitionē. Secundum etenim hanc ſignificationem à ſcriptoribus ſumitur ſcopus.

Vnde ſecundum hanc eandem ſignificationem per ſcopum intelligunt medici quoddam, quod in medendi methodo ſibi ante oculos ponunt, veluti finē, tū cognoſcēdū, tū conſequēdū: & propterea à Gal. lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 40. vocatur propoſitū. Atq; licet ſcopus paſſim à medicorū vulgo confundatur cū indicatione, ab ea tamen differt. Verùm non adeo facilè determinari poteſt, quænam interſit differentia inter ſcopum, & indicationem.

Quomodo ab indicatione differat.

Nonnulli arbitrantur ſcopum differre ab indicatione, quia ſcopus ſit finis, quem nobis proponimus conſequendum mediantibus indicationibus: ita vt indicatio doceat, quid agendum ſit pro ſcopo hoc conſequendo, & ita ſcopus nō eſt indicatio, ſed ſequitur ad indicationem. Vt in febre indicatio docet refrigerandū eſſe, vt tollatur febris, quare febris ablatio eſt finis, quē nobis proponimus conſequendum, & qui ad indicationem ſequitur, quē finē ſcopū appellāt.

Galenus varius.

Gal. videtur varius. Nam interdum ſequitur nunc dictam ſententiam, ſcopū ſcilicet eſſe finem, quem mediantibus indicationibus conſequimur. Libro enim de conſtitutione artis medicæ cap. 13. inquit, conſiderare opus eſſe, quando tū nos, tum natura ſcopo, quem indicatio inſinuat, poſſit ſatisfacere. Et 4. meth. 3. Scribit primum ſcopum, quo medicus tendat affectum ipſum, qui curari deſideret, indicare. Quibus ſanè duobus locis ſcopum tanquàm finem ſumit, quem mediantibus indicationibus conſequendum nobis proponimus. Quæ opinio vera eſſe videtur, propterea quod capit ſcopum ſecundum eam ſignificationem, ſecundum quam paſſim ſumi ſolet, nempe pro fine.

Attamen idem Gal. alibi videtur totum oppoſitum docere, nimirum indicationē deſumi à ſcopo, non autem ſcopum ſequi ad indicationē. Quod clarè colligitur tum ex 10. meth. cap. 1. tum ex 11. meth. cap. 3 Nam 10. meth. inquit in fębribus propter putredinē ſubortis tres eſſe primos ſcopos, qui agendorū indicationem nobis præbeant: vna febris ipſa: altera effectrix eius cauſa: tertia vis ipſa naturalis. Quare ſi febris, & eiuſdem cauſa, atq; facultas à Gal ſcopi appellantur, & ab omnibus iſtis ſumantur indicationes, ergo ſcopus erit ille, à quo ſumitur indicatio, non autem qui ſequatur ad indicationem. Et 11. meth affirmat virtutem eſſe primum ſcopum, quæ ſui cuſtodiam præſcribit. Atq; illo eodem capite paulò inferius inquit. Oſtendimus enim eligendas eas indicationes eſſe, quas ſcopi digniores, maioreſq; præſcribent.

Quapropter ex his duobus Gal. locis manifeſtum eſt ſcopum differre ab indicatione, ita vt ſcopus ſit idem cum indicante, à quo indicatio deſumitur. Et iure meritò indicans appellatur à Gal. ſcopus: quoniam ſi id fuerit præter naturam, hoc primum tanquàm ſcopus medico proponitur, vt auferatur, ſi verò ſecundum naturam, vt conſeruetur. Qua ratione ductus lib. de opt ſect. ad Thra-

ſyb. cap.

ſyb.cap.40.ſcopum,ſeu indicans vocauit propoſitum. Nam indicans illud eſt, quod medico proponitur vel conſeruandum, vel auferendum. Quare ſecundum hanc ſignificationem ſcopus dicetur ille, à quo ſumitur indicatio.

Conciliatur Gal. Declaratur quid nomine ſcopi intelligere debeamus.

Quòd ſi res ita ſeſe habet;cur itaq; Gal.ſcopum etiam vocauit, qui ſequitur indicationem ipſam? Ego exiſtimo vbiq; Gal. dum de ſcopo loquitur,vera dixiſſe:adeo vt ſcopus dicatur ille,à quo ſumitur indicatio:& ſimiliter ſcopus indicationem ſequatur. Quomodocunq; enim capiatur ſemper habet rationem finis. Propterea quod ſi ſcopus medici curantis eſt affectuum præternaturalium ablatio,& rerum naturalium conſeruatio,ſeu cuſtodia: ergo duplicem ſibi proponit finem,hunc quidem cognoſcendum, alterum verò conſequendum. Nam cum impoſſibile ſit, vt morborum curatio, & rerum ſecundum naturam tutela ex voto ſuccedat, niſi prius rerum naturalium, & curandi affectus natura cognita ſit:hic igitur erit primus ſcopus,cognitio ſcilicet horum omniũ:ad quem ſcopum reſpiciens Galen. 10.meth.1 dicebat in putridarum febrium curatione tres eſſe primos ſcopos,nempe febrem,effectricem eius cauſam, & virtutem, à quibus indicationes ſumuntur. Quare ſcopus erit ille à quo ſumitur indicatio.

Verùm quia hic non eſt vltimus medici finis, & hæc omnia ideo cognoſcere quærat, vt ſi ſint preter naturam auferantur:ſi ſecundum naturam conſeruentur,hęc quidem per ſimilia,illa verò per contraria præſidia, quæ mediantibus indicationibus inueniuntur: ergo hic erit alter ſcopus, nimirum ablatio rerum præternaturalium, & conſeruatio rerum ſecundum naturam: qui ſanè ſcopus ſequitur indicationes ipſas. Quæ eſt Gal.doctrina 11. meth. cap.3.cum virtutem ipſam vnum ſcopum, ac primum ſtatuat;quod verò ab ea indicatur, alterũ, & ſecundum. Itaq; cum monſtratum ſit(ſubdit) virtutem ſui cuſtodiam præſcribere, ſicuti morbum ſe tollendum, erit rurſus in virtute ſecundus ſcopus, ipſius cuſtodia:ſicuti in morbis ipſorum ſublatio. Quid igitur ſcopus ſignificet,& quomodo ab indicatione differat clarum eſt.

Quid ſignificet indicationis nomen.

Indicatio verò quo ad nomen pertinet ex Gal. 2. meth. cap.7.eſt inſinuatio ſequentis,ſeu agendi. Eſt enim hæc ex Gal.nominalis, & communiſſima definitio quæ minimè indicationis propriè ſumptæ explicat naturam,atq; eſſentiã, vt infra oſtendemus,nimirum cap. 12.ſed ſolũ in vniuerſum docet,quid importet hoc indicationis nomen, quatenus ab ijs omnibus deſumi poteſt, quæ aliquid vtile ad curationem oſtendere,& indicare valent. Et quod hæc ſit nominalis, & communiſſima definitio innuit Gal.dicens de medendi indicationibus eſſe agendum,ſed hoc ipſo indicationis vocabulo prius ex poſito.

Indicatio igitur,quo ad nomen attinet, nil aliud ſignificat, niſi inſinuationem ſequentis,ſeu agendi,& dicitur indicatio,quaſi id, quod agendum eſt, in præcedenti aliquo ſit deſignatum. Vt per exemplum in febre, quæ eſt intemperies calida deſignatum eſt,quid ſit agendum,nempe refrigerandum. Vnde cum per hanc vocem declaretur, & exprimatur id,quod in indicante deſignatũ eſt, ideo indicationis nomen meruit,quæ eſt inſinuatio, ideſt quę nobis inſinuat, quæq; nos edocet, quid agendum ſit. Et Gal. illam vocat non ſolum inſinuationem agendi, ſed etiam ſequentis. Quoniam,ſi propriè ſumatur indicatio, cũ ſit principium immediatum ſyllogiſticum methodi medendi:dicitur cauſa eius, quod ſequitur, ideſt quod infertur,& colligitur vi methodi medendi. Si autem communiter capiatur, pro vt deſumitur ab omni eo, quod aliquid vtile ad curationem indicat: etiamſi hac ratione non ſit principium indemonſtrabile

medendi methodi: attamen, vt infra dicemus, alio pacto concurrit ad cognitionem agendi, & sequentis.

Quid coindicationis nomen significet. *Cap. III.*

QVemadmodum, vt dictum fuit, indicatio vocatur illa, quæ primò, & per se denotat, & insinuat id, quod in indicante designatum est: ita coindicatio dicitur illa, quę non primò, sed secundariò exprimit, atq; declarat id, quod demonstrat ipsum indicans, & coindicatio vocatur, quasi simul cum indicatione idem docens. Exempli gratia vires primò, & per se alimenta indicant, & hæc, quæ à viribus desumitur, dicitur indicatio. At temperies corporis, ætas, consuetudo, sexus, cæli status regio alimenta coindicare dicuntur: quia non primò, & per se illa indicant: sed ea tantùm ratione, qua demonstrant, qualis sit viriū status, & conditio, quibus mediantibus alimenta indicant; ideo coindicantia appellantur.

Quæ nam coindicēt.

Pariter Gal 8. meth. cap. vlt. dicebat: cum refrigerandum, humectandumque esse febris perpetuò indicet, si & ætas quoq; & temperamentum, vnà cum consuetudine, tum regio, tum anni tempus tum cæli status, refrigerantia, humectantiaq; etiam exhibenda indicant, tunc non solum absq; dubio refrigerandum, humectandumq; est, sed id faciendum magnopere, ac vehementer, omnibus scilicet indicationibus idem dictantibus. Et animaduertendum Gal. communiter sumpsisse nomen indicationis, dum in hoc loco ætatem, temperamentum, cōsuetudinem, & reliqua refrigerandum, & humectandum esse indicare dixit; non enim re vera indicant, sed potius coindicant. Attamen Gal. qui de nominibus non est solicitus sępissime indicationis nomen communiter capit pro omni eo, quod vel primò, & per se nobis insinuat, quod indicans requirit, vel secundariò id pręstare, & quacunq; ratione ad curationem aliquid vtile ostendere potest. Quare non est mirum si sępissime, quæ coindicare dicuntur, eadem indicare asserat Gal nomina despiciens. Atque quòd iam dicta quandoq, coindicantia esse possint, docuit idem Gal. 13. meth. cap. 16. cum inter coindicantia curationē, quæ primò, & per se ab affectu indicatur, enumerauerit virtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, & si qua sunt id genus alia.

Quid significet contraindicatio, & quot modis aliqua contraindicare dicantur. *Cap. IV.*

COntraindicatio vocatur illa, quæ primò, & per se insinuat oppositum ei esse faciendum, quod ab indicante demonstratur: aut idem agendu esse docet, sed contrario modo. Verùm quia valde difficile est cognoscere, quæ nam sint illa, quæ contraindicare dicantur, & an cum prohibentibus sint eadem, vt Argenterius, & nonnulli alij existimarunt. Ideo inprimis ex Galen. doctrina ostendam, quæ nam sint contraindicantia. Deinde probabo non nullos falsò arbitrari prohibentia esse semper eadem cum contraindicantibus.

Con-

Contraindicantia itaq; secundum Gal. mentem illa sunt, quæ vel indicant oppositum ei, quod ab indicante requiritur: vel idem indicant, sed contrario modo: ita vt contraindicantia sint in duplici discrimine. Vtrunq; probo Gal. auctoritate. Nam 9. meth. cap. 13. inquit: quicquid indicationi, quam vires præbent, aduersatur, id, secundi est loci, ac posterioris ijs, quæ illæ præcipiunt. Si quem igitur exempli gratia curare studes affectum, is autem euacuationem requirit, & vires extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore, quo vires reficimus, eorum, quæ affectum sanent, nihil planè ægrotantibus exhibebimus. Hæc Gal. id autem contingit, quoniam indicationes sibi aduersantur, & vires indicant oppositum ei, quod postularet affectus: vnde contraindicantia hæc appellantur. Nam affectus euacuationem, vires refectionem requirunt: euacuatio autem, & refectio sunt contraria. Et clarius 9. meth. cap. 10. Inquit enim, si affectus indicat vacuandum esse vel vena incisa, vel purgatione: harum autem neutram ferant imbecillæ vires: oportet, vbi indicationes sibi aduersantur, & paulatim, quod vitiosum est, euacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est, pro eo reponere. Hinc 11. meth. cap. 3. dicebat virtutem morbo ceu aduersatricem esse, & oppositam, atq; contraria indicare. Ratio est in promptu. Nam morbus indicat sublationem: vires sui custodiam: sublatio autem, & custodia contraria existunt. Præterquam quod similia, quæ vires conseruant, sæpissime morbum adaugent: & versa vice, quæ morbo aduersantur, & auferunt, vires imbecilliores vt plurimum reddere solent. Pariter laboret quis febre, & hydrope simul: tunc isti affectus contraindicare, id est oppositum indicare dicuntur: quoniam alter affectus vt hydrops calida remedia expostulat, febris verò frigida præsidia requirit. Liceat etiam pro clariori intelligentia alterum afferre exemplum ex Gal. desumptum 13. meth. cap. 16. Cum etenim iecur phlegmone laborat: quando in suo vigore consistit morbus, tunc quæ à phlegmone sumitur, vna duntaxat agendorum est indicatio, hanc græcè diaphoresin vocant, latinè digestionem, euaporationem uè dixeris: hæc humorē, qui in phlegmone obsessa parte continetur, per meatus insensibiles educit. Quæ verò indicatio ab ipsa sumitur parte, ea in diuersam nos partem trahit, scilicet robur eius seruari iubens, cum sit pars princeps. Quare subdit Gal. coeuntibus vnà contrarijs indicationibus, compositum quoq; esse medicamentum oportet. Patet igitur ex dictis, quòd vno modo contraindicantia illa appellamus, quę scilicet oppositum faciendum esse docent, adeo vt indicans indicanti, & indicatum indicato opponatur.

Contraindicãtia in duplici discrimine.

1. Significatio contraindicãtium.

Verum etiam alio modo in Gal. doctrina, contraindicantia sumuntur, pro eis scilicet, quæ non oppositum, sed idem indicant, contrario tamen modo id præstant. Exempla habemus apud Gal. tum lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 13. tum 1. acut. tex. 45. Quæ exempla vt facilius intelligantur, prius in memoriam reuocare, & declarare debemus alteram Gal. auctoritatem ex 9. meth. cap. 11. desumptam. Vbi inquit: manifestum fecimus virtutem vacuantia remedia aliquando citra noxam ferre, vt potè nec adiutam ab his quicquam, quod sit ęstimandum, nec verò læsam: sæpe verò magis minusuè tum iuuari, tum lędi. Quapropter quoties notabilis illi ex vacuantibus auxilijs noxa incidet, toties patere ipsam quoq; tunc vtile aliquid ad considerandum indicare, æquè vtiq; vt cum manifestè iuuabitur. Quibus verbis clarum est ex Gal. mente virtutem quandoq; indicare euacuationem, cum scilicet ab ipsa manifestè iuuatur. Sæpissime etenim contingit vires à plenitudine tanquam onere quodam oppressas

2. Significatio.

valde

valde lædi: quare tunc euacuationem, quæ plenitudini est contraria indicare videntur, vt ab onere, quo premebantur, subleuentur: quemadmodum manifestè docuit Gal. 9. meth. cap. 10. Adeo vt euacuatio indicetur tum à plenitudine, tum à viribus.

Dub. Cæterum cum vnum indicatum ab vno tantùm indicante indicetur ex Gal. 9. meth. cap. 12. vt inferius declarabimus. Qua ratione igitur dicemus euacuationem, quæ est vnum tantùm indicatum, quandoq; à duobus indicari, nempe à plenitudine, & à viribus?

R. Respondeo vires non indicare euacuationem per se, quemadmodum facit plenitudo. Nam vnum ab vno tantùm per se, & vno modo indicatur: at non est inconueniens, quòd per accidens, & contrario modo ab altero etiam indicari possit; qua ratione vires euacuationem indicare assero, contrario scilicet modo, & per accidens. Siquidem plenitudo cum sit quid præter naturam indicat per se sui ablationem per euacuationem: at vires cum sint secundum naturam indicant quidem & ipsæ humorum, qui illas aggrauant, eductionem, sed per accidens, & contrario modo, idest vt conseruentur.

Quare aliquando contraindicantia illa dici possunt, quæ quidem idem indicant, sed contrario modo id præstant. Atq; fortasse hac ratione vires non solum contraindicare, idest euacuationem contrario modo, ac faciat plenitudo, indicare, sed etiam eandem coindicare dicemus, cum idem indicent. Quę causa fuit, cur Gal. vt arbitror, 13. meth. cap. 16. inter coindicantia reposuerit virtutem, cum nulla alia ratione virtus coindicare possit illa, quæ à rebus pręter naturam indicantur, nisi quia ijs ablatis subleuetur, & iuuetur: Idem tamen indicat contrario modo.

Ex quibus facillimè intelligere possumus duo Gal. loca superius proposita. Nam lib. de curan. rat. per sang. miss. cap. 13 dicens morbi magnitudinem cum virium robore primos esse mittendi sanguinis scopos, ille quidem, (nempe morbi magnitudo) quæ facienda sunt, indicans: hic verò (virium scilicet robur) tãquam illud haud prohibens, id quod contraindicare iuniorum medicorum quidam appellant. Probat igitur Gal. auctoritate iuniorum medicorum virium robur contraindicare sanguinis missionem, idest eam contrario modo indicare, ac faciat morbi magnitudo. Et clarius 1. acutorum tex. 45. idem docet dicens, rursus, & hoc in loco remediorum indicationem ab affectu corporis accepit, simulq; virtutem considerauit Hippocr. neque tanquam remediorum vsum aliquando indicantem, sed tanquam contrario indicantem modo.

Conclusio. Manifestum igitur est ex Gal. sententia, quænam sint illa, quæ contraindicare dicuntur: & qua ratione quædam contraindicantia sint, quia oppositum indicant: quędam verò, quia idem indicant, sed contrario modo id præstant.

Vtrum omnia contraindicantia prohibentia sint & è contra. Cap. V.

Argenterij opinio. CVm contraindicantia illa sint, quę indicant oppositum ei, quod ab indicante requiritur; profectò videbuntur non solum contraindicare, sed etiã prohibere. Vtrum igitur verum est, quod Argenterius pręcipuè asserere videtur lib. 2 de offitijs medici cap. 3. prohibentia esse eadem cum contraindicantibus. Nam supra ex Gal. 9. meth. cap. 13. diximus imbecillas vires contraindicare euacuationem, idest oppositum indicare, ac indicet affectus, qui

euacuatio

euacuationem requirit. Hoc autem idem est, ac prohibere euacuationem. Si quidem imbecilla virtus vacuationem ipsam prohibet ex Gal. 1. acutorum tex 45 citato, ergo, quod contraindicat, prohibebit etiam.

Vera opinio.

Respondendum existimo non omnia prohibentia contraindicare, neq; omnia contraindicantia prohibere: sed tantùm quædam esse, quæ contraindicare, & simul etiam prohibere dicuntur: sicuti demonstrat exemplum de viribus imbecillibus allatum.

Confirmatur Galen. auctoritate.

Quòd autem non omnia prohibentia contraindicent, colligitur ex Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 43. cum dicat. Quare vos in pulmonum phlegmone, atq; alijs acutis morbis ab initio cibum interdicitis, cum tamen ab initio sint robustæ vires? Respondebimus, quoniam tempus nos exhibere prohibet, facultate id requirente: nō igitur subtrahere indicat, sed quod appetit facultas, sumi impediens contrarij indicatiuum, haud iure quis appellet. Patet igitur ex Gal. morborum tempora prohibere alimenta, non tamen contraindicare. Et rationabiliter. Nam si tempora morborum, vt lib. 4. ostendetur ex eiusdem Gal. mente, non indicant, ergo neque contraindicare poterunt. Si quidem si contraindicare est indicare aliquid, nempe oppositum, quæ igitur nulla ratione indicant, neq; contraindicare valebunt.

Et rursus non omnia contraindicantia prohibent: quod clarum est ex illis duabus Gal. auctoritatibus, tum lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 13. tum 1. acutorum tex. 45. Vbi manifeste ait virtutem nonnunquam contraindicare, interdum prohibere, distinguit igitur contraindicantia à prohibentibus.

Obiectio.

Scio alios esse, qui nominibus addicti tria solùm existiment esse ea, quæ cōtraindicent, seu prohibeant, & permittant, nimirum morbum, morbi causam, & vires: quoniam hæc tria tantùm illa sunt, quę verè indicare dicuntur: quare hęc sola etiam prohibere, & permittere poterunt. Quòd si ita senserimus, fortasse quispiam arbitrabitur omnia prohibentia esse eadem cum contraindicantibus: & falsò Gal. inter prohibentia connumerasse morborum tempora.

Solutio.

Fateor tria tantùm esse illa, quę sunt vera, & propriè dicta indicantia, vt infra cap. 20. etiam ex eiusdem Gal. mente ostendam. Verumtamen cum ex illius, & rationalium medicorum omnium sentētia pręter morbum, morbi causam, & vires multa alia necessariò concurrant ad morborum curationem, quæ passim indicare, coindicare, & prohibere dicuntur (sumptis his nominibus communiter, quatenus horum omnium cognitio curationi necessaria est:) sicuti ętas, sexus, temperamentum, natura, habitus corporis, consuetudo, vitę studia, aer ambiens, anni tempestas, cęli status, regio, morborū tempora, & similia. Hęc enim pluribus in locis à Gal. inter indicantia, coindicantia, & prohibentia connumerantur. Ideo interim Gal. more de nominibus parùm solicitus dico horū quædam prohibere interdum remediorum vsum, licet nō contraindicent: sicuti dictum fuit de morborum temporibus. Quemadmodum etiam æstas, cæli constitutio, & regio calida venæ sectionē à Gal. multis in locis prohibere dicūtur.

Qua ratione autem hæc omnia indicent, vel prohibeant, aut coindicent, suo loco declarabitur: quando scilicet de vnoquoq; indicante sermo erit. Interim ex dictis cōcludere liceat nō omnia prohibentia contraindicare, neq; oīa cōtraindicātia prohibere neq; falsò Gal. morborū tēpora inter prohibētia posuisse.

Quinimo etiamsi sermo tantummodo sit, de propriè dictis indicantibus, vt de morbo, causa morbi, & viribus: dico interdum horum quędam contraindicare, non tamen prohibere; & ex aduerso nonnunquam prohibere absque quod

contraindicent. Nam quòd omnia contraindicantia non semper prohibeant, id iam manifestũ est ex illis duabus Gal. auctoritatibus lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 13. & 1. acutorum 45. & tamen ibi loquitur de virtute, quæ inter verè indicantia reponi debet. Versa vice quòd omnia prohibentia non sint contraindicantia, docere potest materia morbifica cruda, quæ pariter est verum, & propriè dictum indicans. Nam hęc euacuationem prohibet, licet non contraindicet, sed potius euacuari expostulet suo tempore.

Conclusio veritatis. Concludamus itaque, quocunque modo sumpserimus indicantia, siue propriè, siue communiter, horum quędam contraindicare, & non prohibere: alia ex aduerso prohibere, & non contraindicare. Quare semper verum erit dicere non omnia contraindicantia, dum contraindicant, prohibere, neque omnia prohibentia, dum prohibent, contraindicare.

Declarantur reliqua nomina. *Cap. VI.*

ARgenterius lib. 2. de officijs medici cap. 3. mentionem quoq; facit nõnullorum, quæ correpugnare dicuntur. Vnde ex illius sententia correpugnatio, siue correpugnantia illa vocantur, quæ quidem non primò, & per se, sed secundariò prohibent, quod ab aliquo indicante indicatur.

Per exemplum dum affectus indicat euacuationem ætas verò, anni tempus, regio, consuetudo, cæli status, & similia illam prohibeant, tunc correpugnare dicentur: quoniam primò, & per se illam non prohibent, quemadmodum faciũt vires imbecillæ: sed vnà cum viribus sese opponunt euacuationem indicantibus; quia vires vel debiles demonstrant, vel tales reddunt. Cęterum cum de correpugnãtibus Gal. nullibi mẽtionẽ fecerit, ideo doctrinam hãc tãquã nimis subtilẽ, & logicã, atq; confusionẽ fortasse parientẽ, parui faciẽdã esse existimo. *Correpugnantia reijciuntur.*

Permittentia quæ. Permittentia autem illa vocant, quę licet oppositum ei, quod ab alio indicãte requiritur, expostulent; attamen quia eorũ vis in indicando inferior est, & minus vrget, atq; à valentiori indicante vincuntur, ideo coguntur permittere id, quod aliud suadet; quocirca permittentia dicuntur. Exemplum proponunt de viribus debilibus, quæ sanguinis missionem contraindicant. Si enim vires non sint admodum imbecillæ, & multùm vrgeat indicatio mittendi sanguinis; ita vt maius periculum immineat ex venæ sectionis omissione, quàm ab aliqua virium deiectione; tunc coguntur vires huius modi præsidium permittere. Ita nonnulli, & benè sentiunt.

Permittentia etiam alio modo dici possũt. Verùm si dixerimus etiam illa interdum permittentia vocari posse, quę, quidem non indicant, sed solùm remedium citra noxam tolerare valent, forsan non recederemus à veritate. Exemplum similiter à viribus desumi potest, & habetur apud Galen. 9. meth. cap. 11. vbi loquens de venæ sectione, quæ semper valentes vires requirit, ait virtutem euacuantia remedia aliquando citra noxam ferre, vt potè nec adiutam ab his quicquam, quòd sit æstimãdũ, nec verò læsam. Quare si quãdo neq; læditur, neq; iuuatur virtus à venæ sectione, tũc neq; oppositũ, neq; eãdẽ cõtrario tamẽ modo indicat; reliquũ erit igitur, vt remedium citra noxam tantummodo tolerare, & permittere dicatur.

Indicans. Indicans verò dicitur illud, quod est, vel secundum naturam, vel præter naturam: & hoc indicat sui ablationem per contraria: illud sui cõseruationem per similia. Quotnam autem sint indicantia, & quæ infra dicetur.

Indicatum. Deniq; indicatũ est quid agẽdũ, seu presidiũ, siue iuuãs, quod habet facultatẽ vel remouẽdi id, quod est ꝑter naturã, vel cõseruãdi id, quod est secũdũ naturã.

Quid

Quid sit indicatio. Cap. VII.

Definitiones indicationis proponuutur

TRes apud Gal. reperiuntur indicationis definitiones. Vna habetur 2. meth. cap. 7. quæ talis est: *Indicatio est insinuatio sequentis, seu agendi.* Alias duas attulit lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 11. Alteram scilicet cum dicit: *Indicatio est iuuantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis adueniens sine obseruatione, & ratiocinio.* Alteram verò proponit, quando paucis interiectis verbis subdit. *Indicatio est, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur absq; ostensione, & obseruatione.*

Quæ omnes definitiones diligenter sunt examinandę, & considerandum: an inter se differant: an conueniant: & si differunt, qua ratione id contingat. Si etenim hęc omnia, nota fuerint, & benè intellecta: facilè deinde erit tueri Gal. à calumnijs, quas pręcipuè ei infert Argenterius, & soluere contradictiones quasdam apparentes, à quibus nonnulli se extricare nescientes, in varia inciderunt absurda.

Notandum

Cæterum illud in primis animaduertendum est, & continuò prę oculis habendum indicationis nomen in Gal. doctrina dupliciter vsurpari, vel propriè, vel cõiter. Indicatio propriè dicta illa tantũ est, quę desumitur, à morbo à morbi causa, & à virtute. Nam solùm hæc tria reuera, & propriè indicare dicuntur, vt huius libri cap. 20. demonstrabitur. At indicatio communiter accepta desumi potest à quamplurimis, vt puta, à consuetudine, ab aere, à cæli statu, à morborum temporibus, à regione, ab anni tempestatibus, & ab alijs multis, quę vel coindicant, vel sunt tanquam signa, aut alia ratione ad curationem conferunt, quomodocunq; id præstent, vt sequenti libro aduersus præsertim Argenterium longa oratione declarabimus.

Quæ sit vera indicationis definitio.

Hoc supposito dico definitionem indicationis à Galen. traditam lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 11 quæ dicit: *Indicatio est iuuantis comprehensio simul cũ comprehensione nocentis adueniens sine obseruatione, & ratiocinio,* esse definitionẽ indicationis propriè dictæ, & esse eandem prorsus cum altera definitione eodẽ capite tradita: at differre ab ea definitione, quam attulit 2. meth. cap. 7. quæq; est. *Indicatio est insinuatio sequentis, seu agendi,* Nam hæc communissima est, & nominalis definitio, quæ conuenit omnibus indicationibus communiter acceptis, & desumptis ab illis omnibus, quæ ad curationem conferunt, quacunque ratione id pręstent. Vtranq; definitionem declarare oportet.

Declaratio veræ definitionis.

Constat itaq; prior definitio ex genere, & differentia. Genus est: *comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis:* & dicitur genus: quoniam indicatio in hoc conuenit cum experientia, & analogismo. Nam ex Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 10 tria sunt instrumenta, quæ docent, quid agendum sit pro affectuum præter naturam ablatione: Indicatio scilicet, experientia, & analogismus: quando his omnibus cognoscamus iuuantia, & nocentia, licet diuersimodè. Propterea quod experientia obseruatione innititur: analogismus verò ratiocinatione, vt paulò infra dicemus: at indicatio neq; obseruatione, neque ratiocinio vtitur.

Est igitur indicatio *comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocẽtis.* Pro quorum verborum declaratione sciendum est, in indicatione duo esse cognoscenda, nempe indicans, & indicatum, hoc iuuans, illud nocens à Gal. dicitur. Et quoniam indicans, & indicatum sunt relatiua, aut mauis dicere opposi-

ta; vtroq; enim modo dici poteſt. Nam ſi vſi fuerimus nominibus indicantis,& indicati, profectò relatiua dicentur: ſiquidem indicans eſt indicati indicans, & indicatum eſt ab indicante indicatum. Si verò loco horum nominum iuuantia,& nocentia ſumpſerimus, hæc oppoſita potius dici debent, quacunq; deinde oppoſitionis ſpecie etiam lato modo accepta opponantur, vt dictum fuit lib. antecedenti cap. 5. Cum in quam indicantia, & indicata aut iuuantia, & nocentia relatiua ſint, ſiue oppoſita: atq, hæc ſit relatiuorum, & oppoſitorum ratio, vt cognito vno neceſſariò cognoſcatur etiam alterum, quando contrariorum eadem ſit diſciplina. Ideo relatio, ſeu oppoſitio hęc, quam habet indicans ad indicatum, ſiue nocens adiuuans ab intellectu comprehenſa dicitur indicatio; quaſi id, quod agendum eſt, nempe indicatum, & iuuans in pręcedenti aliquo ſit deſignatum, nimirum in indicante, & nocente. Cognito itaq. indicante, & nocente, vt puta, febre, quę eſt intemperies calida, ſtatim etiam & relatiuum, ſeu oppoſitum cognoſcimus, indicatum ſcilicet, & iuuans, quod nimirum refrigerandum eſt, virtute illius axiomatis, quòd contraria contrarijs curantur. Et hoc eſt, quod dicebat Gal. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 10. quò iuuantia nocentibus aduerſantur, eò iuuare dicuntur. Rectè igitur dixit Gal. indicationem eſſe comprehenſionem iuuantis ſimul cum comprehenſione nocentis, ideſt eſſe certam cognitionem iuuantis, nimirum auxilii, & indicati, quod ſimul cognoſcitur cum cognitione nocentis, ideſt indicantis. Vnde Gal. loco nuper citato fatebatur, iuuantia per indicationem patefieri: ſimul enim cum indicantibus obuia ſunt.

Reprehenditur Argenterius. 1. error. Ex quo patet dupliciter erraſſe Argenterium, nec Gal. mentem aſſecutum eſſe, dum proponit, & declarare tentat lib. 2. de officijs medici cap. 3. allatam indicationis definitionem. Nam primò errauit, quia per nocens non intellexit indicans, ſed pręſidium, quod nocet: ſiquidem (inquit) quod febricitantibus frigida conueniant, ita indicare febris naturam cognoſcimus, ex quo illud quoque innoteſcit, calida obeſſe: quoniam hęc contraria exiſtunt ijs, quæ prodeſſe inſinuauit affectus natura. Errauit inquam, quia etiam ſi cognito vno contrariorum, alterum etiam cognoſcatur, non tamen Gal. per nocentia intellexit præſidium, quod nocet, ſed indicans. Quod ex illo probatur, quoniam ſi indicatio eſt agendorum inſinuatio, vt dictum fuit, ex illius mente, ergo indicatio tantùm id, quod agendum eſt, inſinuabit, non autem id, quod non eſt agendum: quod verò agendum eſt, id docet natura indicantis, hoc autem à Gal. nocens appellatur. Vlterius lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 8. inquit methodicos, & rationales in hoc conuenire, quod vtriq. ex indicatione vtile percipi arbitrantur: quare indicationis finis non eſt ſignificare nocuum, ſed vtile tantùm.

2. error. Errauit ſecundò Argenterius Galenicæ definitioni addens verba hæc *cum re indicante*. Nam hac ratione committeremus nugationem, cum idem bis repeteremus: quoniam indicans & nocens ſunt vnum, & idem, ſicuti declaratum eſt.

Allatam indicationis definitionem conuenire indicationi à viribus deſumptæ, nec diuerſam eſſe ab altera eodem capite à Gal. traditam. Cap. VIII.

DIximus cum Gal. indicationem eſſe iuuantis comprehenſionem ſimul cũ comprehenſione nocentis, & per nocentia nos debere intelligere indicãtia. Porrò cum hęc ſint tantum tria, quę verè indicare dicuntur, vt docuit idẽ *Dubitatio.*

Gal. 10.

Galen. 10. meth. cap. 1. & 2. exemplo febrium putridarum, nempe morbus, causa morbi, & vires: atq; à morbo sumatur indica[...] curatoria, à causa morbi præseruatoria, à viribus vitalis: ergo cum morbus, & causa morbi, vt pote quæ præter naturam sunt, lædere, atque nocere dicantur: vires autem nequaquam noceant; ideo nonnulli existimarunt definitionem hanc indicationis a Galen. traditam non esse vniuersalem, sed solùm competere indicationi curatoriæ, & præseruatoriæ, non autem vitali.

Quare alij dixerunt Gal. aliam definitionem attulisse, quæ omnes indicationes complecteretur, qualis est illa, quam habemus 2. meth. cap. 7. indicationem scilicet esse insinuationem sequentis, seu agendi. Nonnulli verò crediderunt Gal. statim in eodem cap. 11. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. aliam subiunxisse definitionem, quæ conueniret omnibus definitis. Est autem talis. *Indicatio est, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur, absque ostensione, & obseruatione.* *Aliorum responsio.*

Verùm, vt ego arbitror, sicuti definitio 2. meth. tradita est nominalis, & communissima definitio, quę non tantùm indicationi propriè dictæ conuenit, sed etiam indicationi communiter acceptę pro quacunq; cognitione eorum omnium, quæ aliqua ratione ad curationem necessariò concurrunt, vt infra cap. 12. ostendam: ita existimo illas duas definitiones lib. de opt. sect. ad Thrasyb. allatas in vnum coincidere, & esse easdem prorsus, & conuenire tantùm propriè dictis indicationibus. *Vera solutio.*

Vanum enim est credere Gal. in vno, & eodem capite, eoq; breuissimo duas eiusdem rei diuersas attulisse definitiones: & eò magis, quia definit etiam experientiam: atq; sicuti alijs verbis repetit eandem definitionem indicationis dicens, aut sic etiam indicationem describere potes; repetit quoq; alteram experientiæ definitionem paucis mutatis verbis, quę tamen eadem est, & coincidit cum priori, vt vnusquisq; videre potest. *Duæ definitiones indicationis solis verbis differunt.*

Quapropter idem est dicere indicationem esse iuuantis comprehensionem simul cum comprehensione nocentis aduenientem sine obseruatione, & ratiocinio, & dicere indicationem esse, quando rebus percipiendis simul, & quod cōfert, percipitur absq; ostensione, & obseruatione. Nam quid quæso est cognoscere res percipiendas simul cum eo, quod confert, nisi cognoscere indicantia, & nocentia simul cum iuuantibus? Quod enim confert, est iuuans, hoc autem cognoscitur ex nocentis cognitione: siquidem relatiua, aut opposita sunt; quare vnum sine altero cognosci nequit, sed vtraq; simul nobis innotescunt. Per res itaq; percipiendas nocentia debemus intelligere, cum illa sint, à quibus indicationes desumuntur, vt iuuantia, & conferentia cognoscere valeamus, quid scilicet agendum sit pro finis consecutione. Sunt autem indicantia, siue res percipiendę, siue nocentia tria, nempe morbus, morbi causa, & vires, quæ, quid agendum sit, edocent.

Et cum dicitur vires non lędere, neq; nocere: quare eas non posse comprehendi sub nocentibus. Respondeo eatenus vires indicare alimenta, quatenus continuò dilabuntur, atq; deficiunt: & nisi deficerent, sed eędem perpetuò conseruarentur, nullo restauratore indigerent. Opus autem habent, quoniam semper resoluuntur: quare hoc pacto indicabunt alimenta sub ratione nocentium: ergo etiam vitalis indicatio est comprehensio iuuantis, nempe alimenti, simul cum comprehensione nocentis, eius scilicet, quod continuò de virium substantia deperditur. Quæ responsio non est dissentiens à Gal. & Hippocr. doctrina. *Quod vires indicēt sub ratione nocentium.*

Confirmatur auctoritate Gal.

Siquidem Galen. 1. de san. tuen. cap. 12. causam necessitatis alimenti expressit dicens: cum è corpore nostro aliquid semper diffluat, necessarium igitur erat, vt aliquo medio deperditum restauraretur: hoc autem efficitur mediante alimẽto: ratione igitur deperditi indicatur alimentum: deperditum verò est quid nocens.

Et clarius, atque elegantius idem docuit lib. ad Thrasyb. cap. 19. Si etenim (inquit) ex toto integrum, illæsumq; corpus duraret, taleq; quale ipsum ab initio creator fabricatus reliquit, nequaquam correctore semper eguisset: at nunc cum diffluat semper, atq; dispereat, aliquo præsente obseruatore indiget, qui, & quod dissipatur, quantum, qualeq; sit, cogniturus est, illicoq; tale, ac tantum vicissim reponens instauret. Si itaque insitum humidum dilabitur: tantundem humoris potum exhibens irrigato. Calidum digeritur: tantundem caloris addito. Aridum consumitur, iam alendi instat occasio. Hęc Gal.

Quare si dum corpus sanitate fruitur, continuè indiget correctore, qui deperditum restauret: ergo tantò magis correctore egebit, quando morbo afficitur, quoniam tunc vires magis resoluuntur: calor innatus debilior euadit, insitum humidum magis dissipatur, & consumitur. Quę omnia sub ratione nocentium comprehensa indicant ipsamet alimenta, vt vires custodiantur, & conseruentur. Vnde Gal. 9. meth. cap. 13. dicebat vires semper indicare sui custodiã; quibus ergo rationibus illarum custodia seruabitur? Nempe potissima ratione ex eo, quod de substantia earum, vel inanitum, vel alteratum est corrigendo; secundo loco ex prohibendis ijs, quæ ipsarum substantiam vacuare, alterareuè possunt: comprehensa verò inter ea, quę alterant, breuitatis causa sint, quæ earum vnitatem distrahunt.

Auctoritate Hippoc.

Addite Hippocr. lib. de flatibus dixisse medicinam esse additionem, & ablationem; ablationem quidem eorum, quæ superflua sunt; additionem verò eorum, quę deficiunt. Vtraq; autem tam excedentia scilicet, quam deficientia nocua existunt.

Ex quibus omnibus non iniustè quis colligere poterit alimenta à viribus indicari sub ratione nocentium; vt deperditum scilicet instauretur: vt, quod deficit, addatur: quod alteratum est, corrigatur; quod de substantia earum inanitũ est, resarciatur; vt tandem, quæ vnitatem distrahunt, prohibeantur. At sola hæc interest differentia inter iuuantia à viribus indicata, & iuuantia à morbis, & morbificis causis requisita, quod hæc contraria sunt, illa similia; vtraque tamen ea ratione indicantur, quatenus ei, quod nocet, opitulari possunt.

Concludendum igitur indicationis definitionem allatam conuenire indicationibus oĩbus propriè dictis quę à morbo, morbi causa, & à viribus desumuntur; & duas illas definitiones lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 11. traditas esse prorsus easdem, nec inter se nisi verbis differre.

Dubitatio

Vnica remanet difficultas, & est, nonnullos existimasse illas duas definitiones duplici de causa esse inter se differentes. Vna est, quia in priori non contineatur indicans vitale. Altera est, quoniam definitio, quę dicit indicationem esse comprehensionem iuuantis simul cum comprehensione nocentis, continet solùm quid agendum, quod à nullo alio indicatur, quam à natura, seu essentia, indicantis, quod nocens à Gal. vocatur. At posterior definitio, quæ ait, indicationem esse, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur, continet ne dum quid agendum, sed etiam rectam agendorum administrationem. Propterea quod dum cognoscuntur cognoscenda, dum percipiuntur percipienda, tunc

da, tunc non solum cognoscimus præsidium iuuans, & quid agendum, sed etiã rectum agendorum vsum. Omnia etenim hæc à medico cognosci debent, vt rectè mederi possit. Quare hęc posterior definitio vniuersalior est, & ideo à priori differt.

Verùm sicuti ostensum fuit indicans vitale indicare sub ratione nocentis: ita existimarem etiam nos fortasse dicere posse priorem illam indicationis definitionem, quòd scilicet indicatio sit comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis, continere nedum quid agendum, sed etiam agendorum rectam administrationẽ. Nam quęso quomodo iuuans dicetur præsidium illud, quod inopportunè, & perperam administretur? Tunc enim solum iuuat, quoties rectè inuẽtum rectè etiã administratur. Qua de causa Gal. 1. ad Glauc. 1. dicebat, vnunquodq; pręsidium determinari qualitate, quantitate, vtendi modo, & temporis occasione. *Solutio.*

Vnum tamen noto nos maiori cum veritate, & fortasse magis ad Gal. mentẽ posse affirmare istas duas definitiones ab eo traditas solùm conuenire indicationibus desumptis à morbo, morbi causa, & viribus: & ideo docere solùm quid agendum, non autem rectam agendorum administrationem. Et ratio est, quoniam indicatio, qua mediante in rectæ agendorum administrationis cognitionem deuenimus, est cum aliquo discursu: cum non amplius desumatur ab indicatis essentia, sed vel ab illis, quæ eiusdem essentiam consequuntur, vel à situ, à natura, aut à figura partis affectę, vel à similibus, vt suo loco declarabitur. Quare cum à Gal. in istis definitionibus additum fuerit *sine ratiocinio*, aut *sine ostensione*: ideo iure merito credendum eas non conuenire indicationibus, quæ rectã agendorum administrationem insinuant, cum hę ratiocinationem admittant. Et eò magis, quia si tria tantùm sunt, quæ verè indicare dicuntur, nempe morbus, morbi causa, & virtus, ergo solùm indicationibus ab istis desumptis prædictę definitiones conuenient. *Notandum.*

Quapropter crederem nos maxima cum ratione asserere posse illas duas indicationis definitiones à Gal. eodem capite allatas tantummodo verbis inter se differentes esse: & conuenire solum indicationibus verè, & propriè dictis, quæ desumuntur tantùm à tribus, morbo scilicet, morbi causa, atq; virtute ipsa.

Explicantur reliqua definitionis verba.
Cap. IX.

HVcusq; apparuit indicationem esse comprehẽsionem iuuantis simul cum comprehensione nocentis, vel esse, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur. Verum quoniam non solùm per indicationem, sed etiam quandoq; per experientiam, & analogismũ cognoscere possumus iuuantia, vt docuit Gal. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 10. Hinc, vt distingueret indicationem ab experientia, & analogismo, in definitione addidit, *adueniens sine obseruatione, & ratiocinio.* Nam analogismus vtitur ratiocinatione, experientia verò obseruatione.

Siquidem experientia ex Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 11. est eius, quod sæpius, & eodem modo visum est, obseruatio, atq; memoria. Procedit igitur experientia per ea, quæ nota sunt secundum sensum: indicatio verò per ea, quæ intellectu cognoscuntur, quæ sunt natura nota. Quocirca Galen. lib. sępius citato cap. 8. asserebat rationales medicos ab euidentibus, idest ab ijs, *Indicatio, quomodo differat ab experientia.*

quæ

quæ nota sunt secundum sensum, non esse sumendas indicationes existimasse, sed solùm ab occultis vtilia indicari putasse: quoniam à causis indicationes sumuntur: causæ verò, vt causæ sunt, euidentes non sunt, hoc est non sunt notæ secundum sensum, sed tantùm natura notę: ideo occultę nobis hoc pacto dicũtur, notæ verò naturà, & intellectu cognitæ. Idem dicendum de morbi, atque de virium natura, à quibus etiam indicationes sumuntur, vt pote quorum essentia nobis occulta est, nec sensui manifesta, sed solùm natura nota. Differt itaque hac ratione indicatio ab experientia.

Quomodo differat ab analogismo.

Insuper differt etiam ab analogismo. Nam analogismus eiusdẽ lib. cap. 10. est comparatio, & perceptio causarum iuuantium per similitudines. Est igitur ratiocinatio analogismus, quoniam est argumentatio à simili, cum ex notis quibusdam causis per similitudinem deducat nos in notitiam ignotarum causarum, vt declarabimus infra cap. 16.

At indicatio, cum sit principium immediatum syllogisticum demonstratiuę medendi methodi, omnem ratiocinationem excludit. Nam sola terminorum, nimirum iuuantium, & nocentium cognitione innotescit. Quare per se notissima est indicatio. Demonstrationum etenim propositiones, vt docuit Aristoteles primo post. cap. 2. Sunt priores, & notiores conclusione, primæ, immediatæ, & indemonstrabiles.

Quòd autem huiuscemodi etiam sit indicatio clarissimè docuit Gal. lib. de opt. secta ad Trasyb. cap. 10. dicens iuuantia per indicationem patefieri, simul enim cum indicantibus obuia sunt, nulliusque cogitationis ope indigent. Quare quod in apertissimis, & sine controuersia concessis reperitur (omnibus enim demõstrationem transcendentibus mens nostra propter euidẽtiam assentitur) id nimirum & in perceptis ex indicatione contigerit.

Quædam igitur proportio indicationi cum euidentibus, & manifestis intercedit: quando enim cum nocentibus iuuantia pariter occurrunt, tunc neq; obseruatione, neque cogitatione vtendum: quandoquidem ipsa nocẽtia, quid expediat, manifestent. Nescio an clarius Galen. dicere potuisset indicationes esse notas, & euidentes: seu mauis dicere esse principia notissima, & indemonstrabilia, quę ex sola terminorũ, iuuantiũ scilicet, & nocentiũ cognitione manifesta fiunt.

Vtrum indicatio sit sine vlla ratiocinatione. Cap. X.

Clarum est apud Gal. indicationem esse sine vlla ostensione, cum bis eam definiens semper addiderit *sine ostensione*, aut *sine ratiocinio*. Veruntñ non parua lis intercedit inter scriptores, cum alij affirment indicationem nullo pacto ratiocinationem includere: alij verò pertinaciter indicationem omnino syllogismum esse saltem imperfectum asseuerent.

Ordo seruandus.

Tantam litem dirimere posse penè diffido, dicam tamẽ quid sentiam, iudicabunt deinde alij an scopum attigerim. Cum itaque arbitrer indicationẽ nullum syllogisticum discursum admittere; ideo in primis proponam rationes, & auctoritates, quibus muniti quidam indicationem necessariò ratiocinationem includere ostendere tentant. Deinde demonstrare conabor indicationem esse principium immediatum syllogisticum methodi medendi, & idcirco esse sine vlla ostensione, & ratiocinio, vt dixit Gal. Et tertiò denique eorum rationibus, & auctoritatibus respondebo.

Ostenditur indicatio.

Primò igitur supponunt ex Gal. 1. meth. cap. 3. ad faciendam fidem eorum, quę

quę rectè sunt inuenta, duo esse apud omnes homines instrumenta, nempe rationem, & experientiam. Quòd si ita se res habet, ergo remedia, quæ sunt ignota, & ab indicationibus subministrantur, quomodo sine syllogismo, aut sine ratione inueniri poterunt? Atq; hoc confirmant exemplo à Gal. allato. Fingamus aliquem febre laborantem frigidam bibisse, si quis de hoc remedio quærat, duplex responsio potest afferri. Altera, quæ ortum, naturamq; febris docet, ac de morborum temporibus disserit, tum ad eundem modum aquæ frigidæ naturam explanat, Post hæc conatur docere in hoc morbo, atq; hoc tempore aquam frigidam congruum remedium esse. Altera de nullius horum natura solicita ad experientiam confugit, nempe quòd in tali morbo, atq; tempore sæpe frigidam profecisse vidit.

nem esse syllogis. ratio ex Gal.

Addunt secundo loco Gal. auctoritatem 2. meth. cap. 7. vbi hæc habet. Ergo ex ipsa rei natura exordiri, atq; ab ipsa quod sequens sit, citra experientiam inuenire, id est indicatione inuenire. Et rursum. Quicquid ab experientia seiunctum est, id totum indicatio nominatur. At verò si quis est tam infęlici ingenio, qui ex ijs duobus Gal. verbis satis non intelligat, summam indicationis in ratione consistere, hic secum ipse reputet, quid nam sit ex rei natura ad remediorum inuentionem procedere.

2. Ex eodem Gal.

Tertiò proponunt alteram Gal. auctoritatem 3. prognost. 39. vbi duplicem statuit differentiam rerum, quibus medici incerta, ac dubia solent intelligere, & confirmare: quarum alteram dicit esse ex obseruatione empirica, alteram ex rationali sequela, quod sanè est endeixis, id est indicatio.

3.

Quartò alij addiderunt indicationem non posse referri nisi ad tertiam mentis operationem. Nam cum nocens, & iuuans non sint vnum, & simplex obiectum, ad primam mentis operationem redigi non potest indicatio: neq; etiam ad secundam, quia non affirmatur, aut negatur auxilium de nocente, sed ex nocentis natura auxilij natura illatione cognoscitur.

4.

Verum quoniam videbant hęc repugnare Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. Ideo alij dicunt Gal. mentem non esse, in indicatione ratiociniationem nullam adesse. Est enim indicatio enthymema quoddam, cuius vi illud, quod agendum est, inuenitur: sed hoc solùm monet indicationem non esse integrum syllogismũ, aut potius nõ esse opus, vt consequentia illa enthymematica ad formã syllogismi reducatur.

Respondet auctoritati Gal. lib. de opt sect. ad Thrasyb.

Quidam verò verba illa *sine ratiocinio* aut *sine ostensione*, legunt *sine analogismo*. Quasi ex Gal. mente indicatio non excludat ostensionem, sed solùm argumentum à simili, quod analogismum dicunt.

Nonnulli deniq; eò vsq; processerunt, vt dicerent, vel vnicum hunc locum nimis apertè demonstrare, neq; eam doctrinam Galenicæ doctrinæ consentire, neq; hunc librum inter legitimos Gal. libros esse referendum. Quo etenim modo hæc possunt conuenire, vel magis quomodo non hæc ex diametro dissentiunt? Indicationem ex rei natura procedere, rationalemq; esse consequentiam? Indicationem non ex rei natura procedere, sine ratione, sine experientia omnibus vel brutis patere, atq; in promptu esse?

Hæc illa sunt, quę à viris quibusdam doctissimis proponuntur, vt omnino ostendant indicationem necessariò includere ratiocinationem, seu discursum eamq; esse syllogismum, aut enthymema.

Ego autem, qui cum Galen. existimo indicationem esse sine vlla ostensione, antequàm respondeam rationibus, & auctoritatibus in contrarium allatis,

Ostenditur indicationem non

includere ratiocinationem.

paucis demonstro indicationem non admittere ratiocinationem, neque esse syllogismum, aut enthymema. Nam illa ratiocinationem includunt, quibus ostenditur per medium aliquod inhærentiam prędicati in subiecto, aut de eodem subiecto negatur prædicatum, sed indicatio non est talis, quare indicatio non admittit ratiocinium. Maior clara est, quoniam in syllogismo siue perfecto, siue imperfecto debet adesse dictum de omni, aut de nullo, quæ est ratio formalis ipsius syllogismi: & ita necessariò requiruntur tres termini, & tres propositiones siue actu, vt in perfecto syllogismo, siue potentia, vt in enthymemate: termini autem isti sunt maior, & minor extremitas, ac medius terminus: neq; alia ratione potest fieri syllogisticus discursus. Minor pariter nō videtur egere probatione: propterea quod cum indicatio sit duorum contrariorum cognitio, & cognito vno necessariò cognoscatur & alterum sine vllo medio: neque in indicatione adsit dictum de omni, aut de nullo, ergo indicatio non erit syllogismus neque perfectus, neque imperfectus, nec vllam illationem includet.

Causa ob quam nonnulli decepti fuerunt

Causa, ob quam decepti fuerunt illi, qui indicationem discursum includere existimarunt, est hæc, vt opinor. Cum etenim viderent inuentionem remediorum discursu, & demonstratione ipsa acquiri, crediderunt totum hunc discursum esse indicationem: sed falluntur, quoniam non est indicatio, sed methodus quædam, qua per indicationem remedia inueniuntur. Quod sensit etiam Gal. 2. methodo 7. dicens omnem medendi methodum per indicationem fieri, & iure.

Nam si, vt dictum fuit in lib. antecedenti cap. 3. finis methodi medendi ex Gal. sententia 2. meth. cap. vlt. est inuenire cuiusque morbi propria remedia: necessarium igitur est, vt via, quæ ad hunc finem nos perducit, habeat principium aliquod, hoc autem ex eiusdem Galen. mente 3. meth. cap. 1. est natura morbi. Quod si hoc verum est, fatendum quoque erit adesse medium, per quod progrediendum sit à principio ad finem, quod sanè medium debet esse notissimum, si id futurum est causa, cur quid agendum sit, & finem cognoscamus: huiusmodi est indicatio, quę innititur illis duobus axiomatibus contraria contrarijs curari, & similia similibus conseruari.

Per exemplum laboret Socrates febre, vt inueniantur remedia pro ablatione huius febris, necesse est, vt cognoscamus illius naturam, quę est principium, & carcer, à quo incipit medendi methodus. Vnde ita discurrimus: febris est intemperies calida, atque hæc est minor propositio, definitio scilicet febris, addimus deinde maiorem dicentes, intemperies calida curatur frigidis, ex quibus duabus propositionibus inferimus intentum, ergo febris curanda frigidis. Si totus iste discursus (ita enim credo eos opinari) esset indicatio, profectò includeret ratiocinationem, at non est indicatio, sed est methodus, seu via siue demonstratio. Nam quis diceret definitionem febris, quæ vnam propositionem constituit, esse indicationem? nemo vnquam id assereret. At posita natura, & definitione febris, dum addimus alteram propositionem, intemperies calida curatur frigidis, hæc est indicatio, quoniam est comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis. Et propositio hæc manifestissima est, & notissima, atque principium immediatum syllogisticum, indemonstrabilis igitur, & sine vlla ostensione, qua mediante deinde colligimus, quid agendum sit in febre.

Indicatio est principii immediatum syllogisticum

Ex istis

Ex istis igitur notum esse arbitror indicationem esse cognitionem iuuātium, & nocentium sinè vllo ratiocinio; & principium immediatum syllogisticum in methodo medendi: quare meliori affectione cognitam, quam si illius haberemus demonstrationem. Talis enim est principiorum cognitio ex Aristotele 1. post cap. 2.

Soluuntur ea, quæ in oppositum adducta fuerunt. Cap. XI.

RAtiones, & auctoritates, quæ oppositum docere videntur, ita soluendas esse existimo. Vnde quatenus pertinet ad primam: quando ex Galeni mente supponunt ad faciendam fidem remediorum, quæ rectè sunt inuēta, duo esse instrumenta, nempe rationem, & experientiam, id fateor. Nulla etenim alia causa afferri potest, propterquam per exemplum ab eis adductum rectè inuenta fuerit frigidæ exhibitio pro febris ablatione, nisi vel quia experientia eā sæpe profecisse obseruatum sit, vel quia ratio à natura rei desumpta ita suadeat. At cum infertur, ergo remedia, quę sunt ignota, & ab indicationibus subministrantur, sine syllogismo, aut sine ratione inueniri non poterunt. Huic consequentiæ dupliciter respondeo. *Respondetur 1. rationi.*

Primò dico ipsos supponere rationem, & syllogismum esse vnum, & idem, sed decipiuntur. Nam ratio vniuersalior est syllogismo. Siquidem multa ratione cognoscuntur absque vlla ostensione. Hinc definitio; quæ rei naturam declarat, dicitur ratio. Insuper principiorum, & dignitatum cognitio, quam intellectum vocant, est ratio, & tamen dignitates, & principia, vt dictum fuit, meliori affectione cognoscuntur, quam si illorum haberetur demonstratio. Ad hæc medium in demonstratione dicitur causa, & ratio propter quam prædicatum inest subiecto, quod sanè medium cum sit in complexum, absq; dubio nullum ratiocinium admittit. Quare ipsa quoq; indicatio, cum sit dignitas, & indemonstrabile principium iure ratio appellatur: at quando inferunt; ergo erit syllogismus, neganda est consequentia.

Secundò respondeo concedens remedia inueniri per syllogismum, si quis velit ex rei definitione, & indicatione ipsa formare syllogismum: sed postea nego totum hunc discursum, quo mediante remedia inueniuntur, esse indicationem. Nam indicatio constituit solùm maiorem propositionem, quę, cum sit principium, non includit ratiocinationem, sed sola terminorum cognitione nota est. Iuuantia enim, vt dicebat Galen. simul cum nocentibus obuia sunt, & ideo nullius cogitationis ope indigent.

Secunda ratio innitebatur pariter alteri Gal. auctoritati 2. meth. 7. vbi dicebat ex natura rei exordiri, atq; ab ipsa, quod sequens sit, citra experientiam inuenire, id esse indicatione inuenire. Ex quibus colligunt indicationis summam consistere in ratione, quę ex rei natura ad remediorum inuentionem procedit. Responsio ex dictis manifesta esse potest. Nam fateor totum illum discursum esse syllogismum, seu demonstrationem: sed cum ait Gal. id esse indicatione inuenire: dico Gal. non asserere totam illam ratiocinationem esse indicationem, sed solùm indicationem esse causam, & principium, quo remedia inueniuntur, & esse alteram propositionem nempè maiorem, quæ nota est absque vllo discursu. *Ad 2.*

Cùm verò addunt ex eodem capite. Quicquid ab experientia seiunctum est, id totum indicationem nominari. Respondeo Gal. ibi loqui de remediorum inuentione, quæ haberi potest vel per experientiam, vel per indicationem: cum autem modus inueniendorum remediorum per experientiam diuersus sit ab eo, quo per indicationem inueniuntur, ideo Gal. dixit, quicquid seiunctum est ab experientia, id totum indicationem nominari. Nullo enim alio pacto intelligi debent Gal. verba. Nam si ea ita interpretaremur, vt quicquid in medicina consideratur, & seiunctum est ab experientia, illud totum sit indicatio, absq; dubio falsa esset Gal. sententia. Hoc stante cum dicunt, ergo si indicatio seiuncta est ab experientia, sequitur igitur, vt sit ratio, quare & syllogismus, neganda est consequentia. Nam, vt dictum est, ratio est vniuersalior syllogismo, cum multa dici possint rationes, quæ tamen non sunt syllogismus, vt definitio, vt principiorum cognitio, & huiusmodi. Verùm in sequentibus capitibus exactius hic Gal. locus declarabitur.

Ad 3. Sed neq; altera Gal. auctoritate desumpta ex 3. prognost. 39. quicquam concludere possunt. Nam sciendum est ibi Gal. ex Hippocr. mente loqui de signis, quibus medici prędicere possunt morborum euentum; quæ sanè signa alia certa sunt, alia verò incerta, ex his non necessariò, & assiduè, sed magna ex parte duntaxat, ex illis necessariò, & semper veritatem assequimur. Amplius addit etiam aliam differentiam, seu alium modum, quo prædicere potest medicus, hunc quidem ex obseruatione empirica, illum autem ex rationali sequella, quam indicationem vocat. Ex quibus nemo ignorare deberet Gal. intentionem in præsenti loco non esse loqui de indicatione, qua remedia inueniuntur, & de qua est disputatio: sed de indicatione quatenus significat manifestationē, seu demonstrationem quandam, aut verisimilem rationem illam per signa certa & insolubilia, hanc verò per signa solubilia habitam. Nam vox hęc *indico* etiam apud Grammaticos significat manifesto, aut demonstro. Quare ex hac Galen. auctoritate nihil concludere possunt.

Ad 4. Quartò quando addunt indicationem non posse referri ad secundam mentis operationem, quia non affirmatur, aut negatur auxilium de nocente, & ideo ad tertiam referendam esse affirmant. Respondeo verissimum esse auxilium non prædicari de nocente. Quis enim vnquam asserere auderet intemperiem calidam esse remedium frigidum? Sed dico indicationem esse propositionem, quam Logici appellant de secundo adiacente, in qua, dum dicimus exempli gratia intemperiem calidam curari frigidis præsidijs, de nocente affirmamus passionem aliquam, nempe curationem, aut ablationem fiendā frigidis auxilijs. Refertur igitur indicatio ad secundam mentis operationem.

Auctoritati Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasy. responderi non potest Dum verò tentant respondere auctoritati Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 11 vbi indicationem ait esse sine ostensione, & ratiocinio: meo iudicio nō fiunt voti compotes. Nam qui dicunt Gal. mentem non fuisse excludere ab indicatione ratiocinationem: sed solùm monuisse indicationem non esse integrū syllogismum, aut non esse opus, vt ad formam syllogismi reducatur: isti profectò Galenum sibi contradicere manifestè docent. Propterea quod si hæc fuit Galen. mens: cur igitur capite antecedenti dixit indicationem nullius cogitationis ope indigere, cum etiam animantibus ratione carentibus nota videatur? Non etenim hęc simul stare possunt. Indicatio est enthymema quoddam: & indicatio nullius cogitationis ope indiget. Præterquam quod verba illa *sine ostensione, & ratiocinio* excludunt tā imperfectum, quām perfectū syllogismum.

Qui autem verba illa *sine ratiocinio* aut *absq; ostensione* legunt *sine analogismo* demonstrant Galenum nescire regulas, quibus vti debemus in conficiendis rerum definitionibus. Nam cum definitio quidditatiua constet ex genere, & differentia, ergo posito genere, specifica differentia, qua definitum ab alijs sub illo genere contentis differt, addenda est. Id quod rectè obseruauit Galenus: siquidem, vt doceret differentiam, qua mediante indicatio differt ab experientia, & analogismo, addidit verba illa *sine obseruatione* ad differentiam experientiæ, *sine ratiocinio* ad differētiam analogismi. Quare si dixisset *sine analogismo*, vt per hæc verba indicationem ab analogismo distingueret. Quis iure non argueret Galenum inscitiæ definientem indicationem ipsam per negationem, quæ est adulterina cognitio, & nihil prorsus docentem? Quoniam hac ratione dixisset indicationem non esse analogismum, neq; differentiam essentialem, quæ inter vtrunq; instrumentum intercedit, & quæ in definitionibus necessarijssima est, apposuisset.

At fortè magis errarunt illi, qui librum de opt. sect. ad Trasyb. Gal. legitimum non agnoscunt: Cum à probatissimis auctoribus inter eius libros legitimos connumeretur: quod ostendit solida illius doctrina. Et tantùm abest, vel hunc vnicum locum nimis apertè demonstrare, vt ipsi dicunt, neq; eã doctrinam Galenicæ doctrinæ consentire, neq; hunc librum inter legitimos esse referendum, vt potius ex hoc vnico loco fatendum sit, hanc doctrinã esse Gal. doctrinam, cum desumpta sit ex rei natura, vt ostensum fuit.

Liber de opt. sect. ad Thrasyb. inter legitimos reponendus.

Neq; ideo dicendum est Galenum vnquam existimasse indicationem non procedere ex rei natura, & esse sine ratione. Nam aliud est dicere indicationẽ esse sine ratiocinio, aliud verò sine ratione: est quidem sine ratiocinio, quoniã discursum syllogisticum non admittit: non est tamen sine ratione, cũ sit natura nota, & principium immediatum syllogisticum, atq; desumatur à natura rei, vt in antecedenti capite demonstratum fuit.

Quòd si iuuantia, & nocentia brutis etiam nota esse dixit Gal. Non tamen ideo credendum eum voluisse indicationis naturam animantibus ratione carẽtibus manifestam esse: sed exemplo à brutorum sensibili cognitione desumpto docuit indicationis naturã talem esse, vt nullius ratiocinationis ope indigeat, vt cognoscatur. Cum etenim illius ratio consistat in nocentium, & iuuantiũ cognitione, clarum est cognitionem hanc non egere discursu. Propterea quod etiam animantia ratione carentia æstum algorem, semelq; omnia nocere valẽtia, quantùm fieri potest, vitare conantur, simul videlicet eo, quod iuuant, sese offerente. Vnde paucis interiectis verbis subiungit proportionem quandam indicationi cum euidentibus, & manifestis intercedere.

Fateri itaq; oportet ex Gal. mente indicationem esse sine vllo prorsus ratiocinio, & absq; vlla ostensione de se notam, & manifestam, neq; Gal. sibi cõtradicere: quod ex dicendis in sequenti capite magis apertum fiet.

Qua ratione differat indicationis definitio iam declarata ab illa, quæ habetur 2. meth. 7 vt inde pateat Gal. nusquam sibi contradicere. Cap. XII.

CAusa, propter quam Argenterius lib. 2. de officijs medici cap. 4., & nonnulli alij existimauerint, Gal. pugnantia dixisse, nec sibi constare, dum de indicãtibus, & de indicationibus loquitur, hæc prima, & præcipua est: quoniam

Causa cur Galen. sibi cõtradicere videa-

tur, dum de indicationibus loquitur.

niam non distinxerunt declaratas indicationis definitiones lib. de opt. sect. ad Trasyb. cap. 11. à Gal. traditas ab illa, quam proposuit 2. meth. cap. 7. sed omnes simul confundentes arbitrati sunt esse prorsus easdem. Attamen magnopere falluntur, cum diuersimodè Gal. sumpserit indicationis nomen in lib. de opt. sect. ad Trasyb. ac fecerit in libris methodi, & alibi.

Lib. de opt. secta propriè sumitur indicationis nomen.

Nam in illo libro propriè sumpsit indicationis nomen, quatenus solùm de sumitur à morbo, à morbi causa, & à viribus: Cum solùm hæc tria sint illa, quæ propriè indicare dicuntur; quando indicent tantùm de se, non autem de alio: vires quidem, vt conseruentur per similia: morbus, & causa morbi, vt auferantur per contraria. Hinc in illo eodem libro cap. 45. dicebat, quicquid indicat, indicare sui custodiam, vel ablationem: atq; hoc medio longa oratione demõstrauit tempora morborum non indicare, cum tamen 1. aph. & in libris methodi asserat eadem indicare.

In alijs libris communiter.

At in libris methodi, & alibi passim communiter accepit indicationis nomẽ: ita vt ab omni eo indicationem sumendam esse docuerit, quod ad curationem rectè instituendã necessarium sit. Si itaq; hoc verũ est ergo definitiones indicationis traditæ lib. de optima secta ad Thrasyb. non erunt eædẽ cum illa, quã tradidit 2. meth. 7. quod clarius demonstro.

Ostenditur indicationis def. 2 meth. traditam differe ab alijs.

Indicatio libro de opt. secta est comprehensio iuuantis simul cũ comprehensione nocentis: Indicatio 2. meth. est insinuatio agendi: à morborum temporibus, ab aere, à Cæli constitutione, & similibus non sumitur indicatio, quæ sit iuuantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis, quoniam hæc, & similia nil vtile sibi indicant, ergo indicatio ab his desumpta non erit iuuantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis. At quatenus aliquid vtile indicant in curatione, eatenus ab ipsis aliqua agẽdi insinuatio desumi potest. Quare non est idem dicere indicationem esse iuuantis comprehensionem

1. Ratio.

simul cum comprehensione nocentis, & dicere indicationem esse insinuationẽ agendi. Est etenim descriptio hæc vniuersalior, & quicquid indicat vtile sibi sub ratione nocentis, potest insinuare quid agendum sit: non tamen vice versa illud omne, quod insinuat aliqua ratione, quid sit agendum, sibi vtile indicare potest.

Tuet Gal. ab apparẽte contradictione.

Ex quo tolli potest omnis contradictio in Gal. apparens: & in vanum eum reprehendit Argenterius loco citato, cum dicat passim scripsisse morbum, morbi causam, & symptomata indicare, quin etiam corporis temperiem, habitum, conformationem partium, connexionem, earundem situm, actionem, vsum, dignitatem, naturam, substantiam, ætatem, sexum, consuetudinem, vitæ cõditionem, aerem ambientem, cæli statum, regionem, anni tempora, & alia huius generis. Cum tamen libro de opt. secta fateatur solum morbum, morbi causas, & vires indicare: quare sibi ipsi repugnare videtur.

In vanum inquam Argenterius Gal. reprehendit. Quoniam lib. de opt. secta de indicantibus verè, & propriè dictis loquitur. Siquidem tunc præcipuè contra methodicos erat disputatio, qui ab inutilibus indicationes sumebant: quare oportebat indicationis nomen propriè sumere, pro indicatione scilicet ea, quæ desumitur ab illis, quæ sibi vtile indicant, vt similibus conseruentur, si fuerint secundum naturam, & contrarijs, auferantur, si fuerint præter naturã, ad hoc vt methodicos conuinceret. At in libris methodi, & alibi indicantia, & indicationes omnes confundit de nominibus minimè solicitus atq; tam illa omnia indicantia appellat, quæ per se talia sunt, & sibi vtile indicant quàm illa, quæ vel rectam agendorum administrationem præscribunt, vel licet non

sibi

sibi vtile indicent, conferunt tamen alia ratione ad remediorum inuentionem: & ideo illorum omnium cognitio necessaria est pro affectuum præter naturaliũ ablatione, & pro virium conseruatione.

Hinc 9. meth. cap. 7. redarguit illos, qui egressi ex eo, quod in arte est vtile, in logicam disputationem veniunt. Est namq; artis vtilitas, auxilia, quibus æger sanetur, inuenire, quo illi relicto de nominibus litigant, indicationes, & indicationum contradictiones, item communitates, & scopos, & auxiliorum materias, aliaque similia loquentes, scilicet hac nominum diuersitate purgasse se pro ijs, quæ falsò affirmauerant, arbitrantes. Ego verò (subdit) minimè veto nominibus, quibus libitum sit, vti, meminisse tamen eos velim, eorum, quæ ab initio proposuerunt: ea autem sunt, auxiliorum inuentiones, ad quas quicquid conducere quomodolibet videbitur, id fatendum est ad curationem esse necessariũ. Quibus verbis nescio an clarius, an magis aptè redargui possit Argenterius, qui de nominibus solicitus, quiq; contradicendi desiderio adductus ad pauca respiciens, & proinde Gal. non intelligens semper iniustè eum reprehendit. *Gal. verba aurea aduersus litigantes de nominibus.*

Et rursus quòd Gal. indicationis nomen in libris methodi lato modo sumpserit, colligitur etiam ex eo, quia 2. meth. 7 manifestè inquit, illud omne, quod ab experientia seiũctum est, id totum indicationem nominari. Quam sanè Gal. sententiam de remediorum inuentione intelligi debere capite antecedenti dictum fuit. Propterea quod remedia inueniuntur his duobus modis, nimirum aut experientia, aut indicatione. *2. Ratio.*

Sed oritur difficultas. Nam si ex eiusdẽ Gal. mente lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 10. tria sunt instrumenta vtilia ad inuentionem remediorum, nempe indicatio, experientia, & analogismus. Cur itaq; in præsenti loco, si loquitur de remediorum inuentione, dixit illud omne, quod ab experientia seiunctum est, id totum indicationem nominari, neq; analogismi mentionem facit? *Dubitatio.*

Respondeo Gal. in præsenti confundere indicationem cum analogismo. Propterea quod, vt dictum fuit, hoc in loco sumit nomen indicationis communiter pro omni eo, quod quomodolibet conducit ad remediorum inuentionem citra experientiam: siue modò hæc remediorum inuentio habeatur per indicationem propriè dictam, quæ solùm à tribus desumitur: siue per argumentum à simili, quod est analogismus: siue per indicationem desumptam ab illis omnibus, quæ licet per se non indicent, concurrunt tamen necessariò ad morborum curationem, & ideo aliquo pacto indicare dicuntur. Atque totum hoc seiunctum est ab experientia, & à rationali medico consideratur. Adeo vt Gal. hoc in loco in communi loquatur de ea inueniendorum remediorum ratione, quæ desumitur à rei natura, quæque cõtradistincta est ab experientia: vt semetipsum declarat dicens omnem medendi methodum seiunctam ab experientia procedere, neq; rectè facere eos, qui ambas doctrinas, Empiricam, Logicamq; in vnum cogunt, atq; confundunt. *Solutio.*

Quare concludendum est ex istis Gal. 2. meth. 7. communiter sumpsisse indicationis nomẽ quia eam solùm distinxit ab experientia, neq; addidit differentiã illam, *sine ratiocinio*, secundum quam nedum differt ab analogismo, sed etiam ab indicationibus illis, quę desumuntur ab indicãtibus communiter acceptis, quatenus conferunt aliquo pacto ad inuenienda remedia sicuti est aer ambiens, temperamentum, consuetudo, ætas, morborum tempora, & huiusmodi, quia indicationes ab istis captę non excludunt ratiocinationem.

Tertiò quòd in libris methodi de indicatione in communi locutus fuerit *3. Ratio.*

Gal.

Gal. docet alter locus, qui est 3. meth. cap. 1. vbi fatetur illa esse verè indicantia, quæ de se aliquid indicant, nec tamen alia etiam indicare posse excludit, cum dicat, absurdum est existimare aliud esse, quod curandi rationem præscribat, aliud, quod curetur. Etenim indicare de se quicquam magis potest, quàm de alio. Quare dico ego si vires, si morbus, si morbi causa, cum desemet ipsis indicent, ideo magis indicare, & esse vera, & propriè dicta indicantia dicuntur, attamen etiam illa, quæ de alijs indicant, licet minus propriè indicent, inter communiter indicantia ex illis Gal. verbis videntur reponenda esse. Huiusmodi autem sunt aer ambiens, morborum tempora, consuetudo, ætas, vitę conditio, & similia.

Vnde 9. meth. cap. 9. dicebat conferre etiam ad auxiliorum inuentionem tum ipsam corporis temperiem vnà cum consuetudine, tum regionem, tum anni tẽpus, tum cæli statum. Quod pariter affirmat 13. meth. cap. 16. quoniam hæc omnia, propterea quod aliquo pacto insinuant, quid agendum sit, & conferunt vel ad morborum curationem, vel ad virium conseruationem, ideo ab his quoque indicationes sumendas esse testatur. Quę tamen indicatio ab istis desumpta non est comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis, sed solùm est quędam agendorum insinuatio.

Nam indicatio propriè dicta, vt sępius docuimus, desumitur tantùm à morbo, à morbi causa, & à viribus: impropriè verò, & communiter ab omnibus iam dictis. Hinc 9. meth. citato scriptum reliquit, pręcipuam faciendorum indicationem esse, quæ affectum ægrotantis amouendum suadet, æquè vt in sanis primam esse, quæ statum eorum seruandum monet: cætera verò iam dicta conferre ait ad auxiliorum inuentionem. Clarum igitur vnicuique esse potest, quomodo Gal. sit intelligendus, nec sibi contradicat, sed semper sibi ipsi consentiat.

Soluitur difficultas quædam circa ea, quæ dicta sunt, contingens. Cap. XIII.

Proponitur difficultas. VNica remanet difficultas, ex cuius solutione magis elucescet eorum veritas, quę in antecedenti capite, explicata fuerunt. Difficultas est quoniam easdem diximus esse illas duas definitiones traditas lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 11. & differe ab illa, quam proposuit 2. meth. Attamen posterior videtur magis communis, & potius coincidere cum illa, quam tradidit 2. meth. siquidem dum dicimus indicationem esse quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur. His verbis possumus comprehendere non solùm ea, quæ verè indicant, sed omnia etiam illa, quæ aliquo pacto ad curationem sunt necessaria. Propterea quod ex Gal. 9. meth. 9. citato ea omnia ad auxiliorum, & iuuantiũ inuentionem conferre dicuntur. Idem igitur est dicere indicationem esse insinuationem agendi, ac dicere indicationem esse, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur.

Soluitur. Verumtamen si rectè definitionem hanc considerauerimus, videbimus differentem esse ab illa, quæ traditur 2. meth. Nam additur in definitione, *sine obseruatione, & ostensione*: sine obseruatione quidem, vt ipsam ab experientia distingueret: sine ostensione verò, vt per hanc differentiam doceret indicationem propriè dictam differre ab analogismo, sicuti dictum fuit. Verùm per hanc eandem differentiam differt etiam ab indicatione communiter accepta. Propte-

reaquod

reaquod indicatio communiter capta, quatenus ab omnibus illis desumi potest, quæ aliqua ratione ad curationem conferunt, non est sine ostensione, aut ratiocinio, sed ratiocinationem, & ostensionem includit: vt indicatio à morborum temporibus, à situ, à natura, à figura partis affectæ, ab aere, à cæli constitutione, & à similibus desumpta est cum aliquo ratiocinio, sicuti ex dicendis in sequentibus libris apparebit.

Qua de causa Gal. 2. meth. 7. vt ostensum fuit in antecedenti capite contradistinxit indicationem tantummodo ab experientia, non autem ab ostensione dicens illud omne; quod ab experientia seiunctum est, id totum indicationem nominari: quoniam ibi loquitur de indicatione communiter capta. At in libro de opt. secta, in quo sermonem facit de indicatione propriè dicta, illam non solùm ab experientia, sed etiam ab analogismo, & ostensione separauit: quia est comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis: iuuantia autem, & nocentia ex semetipsis cognoscuntur, cum cognito vno statim alterum innotescat sine experientia, & ostensione.

Concludendum itaque indicationem propriè dictam esse comprehensionem iuuantis simul cum comprehensione nocentis aduenientem sine obseruatione, & ratiocinio: seu esse, quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur absq; ostensione, & obseruatione; atq; indicationem hoc modo sumptam desumi tantùm à morbo, à morbi causa, & à viribus. At indicatio communiter, & lato modo accepta definitur à Gal. 2. meth. 7. quòd sit insinuatio agendi, seu sequentis: quare definitionem hanc tanquam communiorem, & vniuersaliorem ab illis duabus differre existimo.

Si igitur hoc pacto Gal. loca interpretati fuerimus, quemadmodum interpretanda esse credo, poterimus soluere omnes contradictiones apparentes, & cognoscemus eum sibi semper constantem fuisse, dummodo, quæ ab illo sparsim tradita fuerunt, rectè intelligantur.

De experientia, qua Empirici vtuntur.

Cap. XIV.

INdicationem differre tum ab experientia, tum ab analogismo dictum fuit supra cap. 9 & ab experientia quidem, eò quia indicatio desumitur ab ocultis nobis, natura autem notis, experientia verò procedit per ea, quę nota sunt secundum sensum. Vt autem magis appareat distinctio, quæ intercedit inter indicationem, qua vtuntur rationales medici, & inter experientiam, qua vtuntur empirici, vt iuuantia, & lędentia cognoscere possint pro deperdita sanitate recuperanda, paucis in hoc capite dicendum, quid sit experientia, & à quibus fontibus emanet. Deinde sequenti capite considerandum, vtrùm melior sit empiricorum, an verò rationalium secta: & an experientia apud rationales medicos habeat aliquem vsum.

Experientia ex Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 11. est eius, quod sępe, & eodem modo visum est, obseruatio, atq; memoria. Et iure merito memoria dicitur. Nam ex Aristotele 2. post. cap. vlt. ex multis sensationibus fit memoria, & ex multis memorijs oritur experimentum. Cum itaque empirici medici mediante sensuum cognitione sæpe, & eodem modo in pluribus eadem symptomata obseruauerint, quæ exempli gratia pleuritidem consequuntur, vt sunt tussis, *Quid sit experientia.*

fanguinolentum fputum, dolor punctorius costarum, difficultas spirandi, atq; pulsus durus, & ferrinus, & hæc omnia memoriæ mandauerint: exinde si quem viderint habere huiuscemodi symptomata, ipsum pleuritide laborare asserunt. Qua autem de causa affectum hunc sequantur illa symptomata inuestigare nolunt: cum causam omnium contemnant, & sat esse existiment, si cognouerint hunc laborare pleuritide, cum in ipso reperiatur illorum omnium symptomatum concursus, quem sæpe, & eodem modo in aliis hoc morbo laborantibus obseruarunt, & obseruatum memoriæ mandarunt.

Et rursus cum in quamplurimis pleuritide laborantibus sæpe, & eodem modo experti fuerint tum missionem sanguinis, tum cætera alia medicamenta, quibus in pleuritide vtimur, profuisse; hanc auxiliorum inueniendorum rationem experientiam vocarunt, quoniam constatur ex plurium obseruatione, atque memoria, quæ sæpe, & eodem modo obseruata fuere. Vnde empirici rationem hanc, cum omnibus iam nota, & concessa foret, & ab euidentibus, atq; omnium consensu cognitis desumeretur, epilogisticam appellarunt. Epilogismus enim ex Gal. tum 1. de comp. med. per gen. cap. 1. tum 1. prognost. 6. est communis ratio, & omnium assensu conspecta.

Experientia à pluribus desumitur.

Quapropter artem medicam empirici sic constitutam esse dicunt, vt soli experientiæ sit innixa, quæ tamen à pluribus fontibus desumitur.

1. Experientiæ genus.

Primum itaq; experientiæ genus, seu fons à iuuantibus, & lædentibus, quæ casu fiunt, deriuatur, quorum alia naturalia sunt, alia fortuita. Naturalia voco, vt sanguinis fluxus è naribus, aut sudores, aluiue profluuia, aut quæ similia sunt iuuantia, lædentiaue; quæ tamen efficientem causam sensu deprehensam, & manifestam non habent.

Fortuita verò sunt, quorum causa quidem euidens est, non ea tamen è nostro instituto, sed quæ fortuitò inciderit: vt cuipiam lapso, percussoue, aut aliquo alio modo vulnerato sanguinem contingit effluere: frigidamque vt cupiditati obsequeretur in morbo sumere, vel vinum, aut aliquid aliud eiusdem generis, quę singula in vtilitatem, noxamuè exiuerunt. Hoc igitur experientiæ genus casu factum dicunt. Et cum obseruauerint, vel à sanguinis fluxu, vel à sudoribus, aut alui profluuijs, aut frigidæ potu hunc vel illum præter naturam affectum curatum, aut ex aduerso lęsum fuisse. Hoc experimento ducti, quid prosit, & quid noceat se cognoscere posse putant.

2. Genus.

Secundum experimenti genus est, quod inconsultò fit, vt cum aut somnijs hortantibus, aut aliunde ducto arbitrio ad experientiam volentes veniunt.

3. Genus.

Tertium experientiæ genus imitatorium est: cum rursus in ijsdem affectibus ad ea experienda ducuntur, quæ aut natura, aut fortuna, vel inconsultò nocuerunt, profueruntuè. Atque hoc ipsum est, quod maximè artem eorum constituit. Non enim bis tantùm, aut ter, sed sępius id, quod ante profuit imitantes, idemque in ijsdem affectibus, vt plurimùm prodesse inuenientes (eiuscemodi autem memoriam præceptum vocant) iam fidele id, artisque partem statuunt. Vt autem multa eiuscemodi fuere ab ipsis congesta præcepta, id omne congestum medicina fuit, qui verò congessit medicus. Vocatur ab ijsdem huiusmodi congestio autopsia, hoc est rei gestæ experientia, eiusdem verò narratio historia dicitur.

Quoniam autem morbi quidam interdum occurrebant, quos ante non viderant, aut quos nouerant quidem, sed erant in ijs locis, vbi non reperiebatur, quę

experimento obseruata esset, medicamentorum facultas. Ideo certum inueniendi auxilia instrumentum finxerunt, quod nihil aliud erat, nisi transitus ad simile, quo vtentes idem sæpe auxilium ab affectu ad affectum similem, & à loco ad locum, itemq; ab auxilio ante cognito ad aliud simile transferunt. Verbi gratia ab affectu ad affectum, si ab erysipelate ad herpetem se transferant: à loco ad locum si à brachio ad femur: ab auxilio autem ad auxilium, si in alui profluijs à Cotoneo malo ad Mespilum se conferant. Hoc autem experimentum exercitatorium vocant, quòd oporteat eum esse in arte exercitatum, à quo aliquid hoc pacto sit inueniendum. Quæ omnia collecta fuerunt à Galen. lib. de sectis cap. 2.

Empirici vtuntur trãsitu ad simile.

Vtrùm melior sit empiricorum, an rationalium secta: & an experientia apud rationales medicos habeat aliquem vsum.

Cap. XV.

NOn omnino, dum de medendi methodo est sermo, præter rationem quæritur, vtra secta melior sit rationalis, an empirica (loquor de illa empirica secta vetustissima, etiam ante Hippocr. tempora florescente, quæ præstantes viros sectatores habuit) Nam cum tria sint instrumenta, quibus vtimur ad remediorum inuentionem, indicatio, experientia, & analogismus: atque analogismus videatur communis vtriq; cum vtraque secta vtatur transitu ad simile ad remediorum inuentionem: licet empiricorum analogismus differat ab eo, quo rationales vtuntur, vt in sequentibus capitibus demonstrabo. Ideo consideratione dignum videtur, an ad inuenienda præsidia magis aptum instrumentum sit experientia, an potius indicatio.

Dogmaticorum ratione.

Supponendum igitur in primis est ex Gal. mente lib. de sectis cap. 4. empiricos, & rationales in hoc conuenire, quòd eædem in ijsdem affectibus curationes, & ab ijs, qui rationem profitentur, & ab empiricis medicis trahuntur. De modo autem eas inueniendi inter se dissentiunt. Nam rationales per signa, & symptomata quæ ægrotanti corpori insunt, veniunt in cognitionem morbi, & eius causæ, à quibus deinde indicationes eliciunt, & quid agendum sit, inueniunt. Empirici autem memoria repetunt ea, quæ sæpe simili modo obseruata sunt, & ita curationem perficiunt. Adhibentur igitur ab empiricis eadem medicamenta, quæ à rationalibus, sed isti natura rei duce & ratione, illi verò memoria, & obseruatione ad ea inuenienda procedunt. Quis modus melior iudicetur breuibus considerandum.

In quibus cõueniãt, & in quibus dissentiant rationales, & empirici.

Confirmant empirici opinionem suam hoc pacto. Dicunt enim multos se uidisse ægrotos, puta pleuriticos, tum à præceptoribus, tum à se ipsis curatos, obseruatis ijs præceptis, quæ ab Hippocr. in lib. de ratione victus in acutis præscripta sunt. Item, quid ipsis prosit, & quid noceat, nouisse, distinctionesq; habere, quæ ex signis euidenter apparentibus in memoriam reuocent, cui venam secare oporteat, & cui non. Insuper de fomentis, cataplasmatibus, victus ratione, alui deiectione, nihilque sibi ad completam notitiam prorsus deesse, idq; ex longa experientia. Igitur quid vel Hippocr. vel alium quempiam illo priorem induxerit, vt hæc inueniret auxilia, se penitus ignorare, satis ipsis esse, si iam dictis remedijs commodè vtantur. Id quod alios artifices etiam facere videmus: neq; enim faber siue ærarius, siue lignarius, neq; cerdo, quo pacto artes suæ fue-

Empiricorum rationes.

rint inuentæ, inquirunt, sed à præceptoribus edocti vsu eas probant, & confirmant, atque sic clarum nomen assequuntur. Quæ omnia habentur apud Gal. 3. de loc. aff. 2.

Addere etiam possumus pro empiricis, veterem medicinam totam empiricã fuisse. Ea namq; quæ casu inuenta visa fuerunt alicui profuisse, epilogismo etiã reliquis, qui simili affligebantur morbo, accommodare solebant. Propterea Assyrij, vt ex Strabonis lib. 16. colligitur languentes in vijs publicis exponebant, vt à prætereuntibus exquirerent, scirent ne aliquod morbi remedium afferre. Legeque cautum erat, vt qui aliquando ægrotassent, malè affectos circuirent, docerentq; singulos, qua ipsi ope potissimum adiuti huiuscemodi morbo liberati fuissent. Præterea apud græcos in æde Æsculapij, Apollinis, atq; etiam morborum sacris locis remedia contra morbos experta affigere consueuerant, & morbi genus, signa, & symptomata describere. Artem itaq; experimentis conflatam hac ratione incrementum suscepisse dicunt. Quare primæ partes in inueniendis præsidijs experientiæ videntur tribuendæ.

Dogmaticorum rationes.

Ex altera parte rationales, siue dogmatici, quorum princeps Hippocr. Cous fuit, putarunt necessarium esse, medicum cognoscere corporis curandi naturam, atq; temperiem, virtutes omnium causarum, quæ quotidie corpori occurrentes ipsum salubrius, aut insalubrius reddere valent. Post hæc aeris naturam, aquarum, atq; locorum cognoscendam esse: item vitę studia, cibos, potiones, consuetudines, ætates, anni tempora consideranda, ac noscenda arbitrati sunt: vt morborum omnium causas, & facultates remediorum inuenire possit medicus, & scire non cuilibet morbo, & morbi causæ quodlibet medicamentum conducere, sed tali morbo, ac causæ tale medicamentum talem vim habens, opportuneq; adhibitũ conuenire. Quare negant illum reperire posse remedia, priusquam in omnibus his multifariam sit exercitatus, vt docuit Gal. lib. de sectis cap. 3.

Et iure merito. Nam cum tot, ac talia sint illa, quæ cognosci debent pro morborum curatione, totq; ac tam varijs modis morbi simul complicari, corporaq; ægrotantium tum à causis internis, tum ab externis, siue necessariò, siue non necessariò occurrentibus affici, & continuò mutari possint: ideo impossibile est sola experientia, quid agendum sit, inuenire. Siquidem hæc omnia ferè infinitis modis inuicem complicari possunt, adeo vt rarò eodem complicata modo obseruentur: experientia igitur locum non habere videtur, cũ innitatur tantũmodo memorię, & obseruationi eorũ, quę sępe, & simili modo fieri obseruata sunt.

Quapropter qui rationalem artem profitentur, experientiam accusant, eamq; alii constitui posse negant: alii mancam esse dicunt: alii artis expertem. Contra empirici rationem quidem probabilem, quæ tamen non vera sit, reprehendunt. Idcirco hinc inde longa admodum decurrit oratio, cum alternas accusationes, defensionesq; adhibent, innumeraq; sunt, quibus empirici, rationalesq; medici certant, Gal. teste lib. de sectis cap. 5. Quæ, non est, vt in medium afferamus, nè tempus circa inutilia conterere videamur.

Difficultatis solutio.

Vtra igitur secta melior existit, rationalis, an empirica? Dico alteram sine altera mancam esse. Et pręcipuè instrumenta, quibus vtuntur empirici, quęque sunt obseruatio, historia, & transitus ad simile sine ratione inutilia videntur, vt docet Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb cap. 14. 15. & 17. vt vnusquisq; apud ipsum videre potest. Quare eiusdem libri cap. 20. colligit obseruationem ratione carentem esse prorsus inutilem, cum symptomata vtilia ab inutilibus distinguere nequeat. Historiam verò esse impotentem, cum symptomatum magnitudinum,

atq; tempora adscribere non possit, sine quibus prosperi medicamenti nulla est comprehensio. Transitum verò ad simile necessariò nos dirigere debere in inquisitionem facultatum salutarium, vel perniciosarum, quod fieri nequit sine ratione. Quare empiricorum secta, quæ experientiæ tota innititur sine ratione manca videtur.

Quòd si veterem medicinam totam empiricam extitisse, & multis experimentis conflatam incrementum suscepisse, & grandem euasisse dicunt. Respondeo veterem medicinam adhuc solis experimentis innixam, rudem, ac tenebris ignorantię circumseptam fuisse: experimentis verò additam rationem ipsam perfecisse, atq; omnibus tandem suis numeris absolutam reddidisse.

Non tamen negandum experientiam ad remediorum inuentionem esse posse magni vsus. Vnde Gal. 3. de loc. aff. 2. supra citato cum empiricorum rationes quasdam iam commemoratas attulisset, eas probabiles, & dogmaticos contra illos parum idonea se responsione tueri dixit, & denique in fine capitis hanc protulit conclusionem. Igitur per artis exercitationem comperi eam remediorum inuentionem, quæ ex vera indicatione procedit in ijs, quę rarò accidunt empiricæ cognitioni præstare: vnde multos morbos curari maximè contrariis præsidiis: interdum iis, quæ experientia, & vsu cognita sunt. *Experientiam esse magni vsus apud rationales medicos ostenditur Gal. auctoritate.*

Et maxima cum ratione ita sensit Gal. Nam in iis, quæ rarò accidunt, aut in affectuum complicatione, vt dictum fuit, experientia nullum videtur habere locum. Est enim eorum, quæ sæpe, & eodem modo visa sunt obseruatio, & memoria: quare in istis ratio longo admodum interuallo post se relinquit experiētiam. Attamen in quibusdam rationem experientia superare videtur: in iis scilicet quorum natura, & causæ ignorantur, sed longa obseruatione expertum est rem ita se habere. Proptereaquod multa in hac medica facultate prodesse cognoscimus sola experientia, nulla ratione ducti, vt quòd Rhabarbarum trahat bilem: Agaricus pituitam euacuet: quòd Portulaca dentium stupori medeatur: quòd cinis Cancrorum fluuialium caninam rabiem extinguat: quòd antidota venenis opitulentur: & sexcenta alia pharmaca sunt, quæ sola experiētia hoc vel illud præstare posse fuerunt inuenta. *Ratione.*

Hoc idem docuit etiam 3. meth. cap. 1. dicens empiricos per experientiam inuenire omnia contendere, nos partim experientia, partim ratione, cum neq; illa inuenire omnia queat, neq; sola ratio. Veruntamen confusam, mistamq; doctrinam non esse tradendam censemus, sed seorsum empiricam, & seorsum logicam, quò facilè appareat, quam habeat vtraq; facultatem. *Gal. auctoritate.*

Hippocr. quoq; vtriusq; meminit 1. aph. 1. quando dixit experimentum periculosum esse, & iudicium difficile. Experimentum enim sensum, iudicium intellectum respicit, hoc rationales, illo empirici vtuntur. Vnde Gal. in com. illius aphorismi dicebat, duo esse instrumenta, per quę remedia inueniuntur, rationē, & experientiā, hæc quidem est periculosa, illa verò difficilis, hoc est non facilis cognitu. *Hippocr. auctorit.*

Ex quibus iam patet non experientiam per se solam, neque solam rationem sufficere, vt quis optimus medicus esse possit, sed quandoq; ratione, imò vt plurimum, quandoq; experientia, nonnunquam vtrisq; vti debet. Quod confirmauit Gal. lib. de subfigur. empir. cap. 1. dicens rationales medicam artem indicatione simul, & experientia constare arbitrari, experientiæ autem totam inniti existimare empiricos. Et 5. de san. tuen. cap. 11. dicebat, facillimè quidem, quod quæritur, ratiocinationem inuenire, fidem verò eius experientiam comprobare. Atq; *Totius rei determinatio.*

re. Atq; 6.meth. 2. affirmabat precedere oportere eam remediorum inuentionem, quę à vera methodo proficiscitur, huic verò experientiam ad certiorem etiam fidem subscribere.

Rationem præferri debere.

Rationem tamen primas teneres partes asserere non dubito, cum sit magis tuta, atq; rei naturæ conueniens. Insuper experientia cognoscimus tantùm rem ita sese habere, ratione verò habemus etiam propter quid: tunc autem putamus vnumquodq; perfectè cognoscere, cum causam habuerimus propter quam res est. Hinc Gal. experientiam sæpissime rationi inniti probauit lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 12. & eiusdem libri cap 20. dixit obseruationem ratione carentem esse prorsus inutilem; & subsistere nequeuntem: cum non semper idem concursus emergat. genus inquam symptomatum, & numerum eundem, & magnitudinem, & ordinem, & temporis opportunitatem, & id genus alia.

De Analogismo, quid sit, & quomodo rationalium analogismus differat ab analogismo empiricorum.

Cap. XVI.

TRia sunt instrumenta, quibus iuuantia pro affectuum præter naturam curatione inueniri possunt ex Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 10. nimirum indicatio, experientia, & analogismus. Hactenus de indicatione, & de experientia, quid vtraq; sit in antecedentibus diximus, nunc de analogismo dicendum, quid scilicet ipse sit, & qua ratione differat analogismus dogmaticorum, seu rationalium ab analogismo empiricorum.

Quid per analogismum intelligamus.

Et interim per analogismum, quo ad nomen spectat, nil aliud intelligimus nisi transitum ad simile, quo tum empirici, tum rationales medici vtuntur. Notandum tamen id referente Gal. lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 18 nonnullos existimasse aliquam reperiri differentiam inter analogismum, & transitum ad simile, quãdo ad simile transitus pertineat ad empiricos, modus aũt illi proximus, quẽ vocãt analogismũ, spectet ad rationales. At Gal. loco citato de nominibus more solito minimè solicitus rem ipsam considerandam esse docuit, quid scilicet sit rationalium, & quid empiricorũ analogismus, & quomodo inter se differant.

Verùm si propriè loqui velimus, videtur differre transitus ad simile ab analogismo tanquam genus à specie. Propterea quod verissimum est, analogismum esse transitum ad simile cum sit argumentum, quod Logici passim appellant à simili procedens à simili noto ad simile ignotum, quare analogismus erit transitus ad simile: non autem vice versa omnis transitus ad simile est analogismus, nisi fuerit cum ratiocinatione. Vnde transitum ad simile, quo empirici vtuntur, cum ratiocinationem non includat, impropriè analogismum vocamus. Sed hæc de nomine satis, & dicamus ex Gal. mente quid sit analogismus.

Quid sit analogismus.

Analogismus igitur, vt Gal. docet lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 21. est comparatio, & perceptio causarum iuuantium per similitudines. Innititur itaque analogismus, seu analogistica ratio similitudini, ita vt à quibusdam causis notis per similitudinem nos deducat in ignotarum causarum, seu remediorum iuuantium notitiam. Vnde 1. prognost. 6. dicebat analogismum esse rationem, quæ ab euidentia auspicatur rei obscurę faciens cognitionem. Vtimur igitur analogismo ad iuuantis cognitionem, vt inquit Gal. lib. de opt. secta citato cap. 10. quando causa quidem delitescit, nullaq; obseruatio habetur, sed affectus quam

similli-

ſimillimus penes ſymptomata apparet. In huiuſmodi enim ab indicatione profuturum colligi nequit: cauſa namque à qua ſumi poteſt indicatio ignoratur: nullaque præterea facta obſeruatione, ſymptomatum, & caſuum ſimilitunem intuentes cogimur ad ſimile tranſgredi.

Quod à Galen. exemplo declaratur: ſi quis à ſerpente Hæmorrho vocato demorſus fuerit, inde ſanguis largius effluat, nos cauſam, quare id patiatur neſcientes, neque obſeruatione inſtructi, auxilijs ad ſanguinis ob inciſionem profluuia facientibus occurrimus. Analogiſmo igitur vtentes à ſimilibus ad ſimilia tranſimus, eò quia ſimilia obſeruamus ſymptomata prodeuntia à cauſa nota, & ab ea, quam ignoramus: idcirco quæ cauſę notę occurrunt remedia, ea etiã, ignotæ occurrere poſſe per ſimilitudinem inferimus.

Exẽplo declaratur analogiſmi natura.

Verùm difficile admodum eſt cognoſcere, qua ratione ex Galen. mente differat analogiſmus empiricorum ab analogiſmo dogmaticorum; & fortaſſe à nullo, quem viderim, id rectè explicatur. Quare, quid ego ſentiam, in medium propono, alij iudicabunt, an rem hanc ad Gal. aures declarauerim, an potius à veritate, & à Gal. doctrina aberrauerim.

Id igitur in primis ſupponendum eſt, rationales medicos rei natura duce cognoſcere, quid agendum ſit, & ab ipſa indicationes deſumere: & cum ars hæc procedat à poſteriori per ea, quæ nobis nota ſunt, hinc per ſymptomata, & ſigna deuenimus in cognitionem indicantis. Quare Galen. lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 19. diſtinguens vtilia ſymptomata ab inutilibus, illa vtilia appellabat, quæ manifeſtant propoſitum indicans vtile. At empirici ſola ſenſuum cognitione contenti, reique naturam, ac cauſas ſpernentes concurſum ſymptomatũ obſeruabant, atque in ſimili eorundem concurſu ſimilem curationem inſtitui debere opinabantur vtentes tranſitu ad ſimile, non ſolum ab affectu ad ſimilem affectum, ſed etiam à loco ad locum, aut ab auxilio ad aliud ſimile auxilium, vt ſupra cap. 14. dictum fuit.

Suppoſitũ, vt cognoſcatur diſcrimẽ inter rationalium, & empiricorum analogiſmum.

Ex hoc patere poteſt, quæ nam ſit prima differentia inter analogiſmum dogmaticorum, & empiricorum. Nam analogiſmus, quo vtuntur rationales, procedit per ea, quæ ſunt nota natura, & intellectu, ad cognoſcenda per ſimilitudinem illa, quæ ignorant, nempe ad cognoſcenda iuuantia, quæ occulto pręter naturam affectui occurrere poſſunt, vt exemplum ſupra propoſitum demonſtrauit. Nam licet ſymptomatum ſimilitudinem primò cognoſcant, nihilominus in hoc non conſiſtit illorum analogiſmus, vt ſimpliciter ſit tranſitus à ſimilibus ſymptomatibus ad ſimilia ſymptomata: ſed mediantibus ſymptomatibus notis in cauſę cognitionem deueniunt, à qua, cum nota fuerit, indicationem deſumẽtes remedia vtilia inueniunt, & per ſimilitudinem inferunt illa eadem opitulari etiam poſſe alteri cauſæ ignotæ, quę ſimilia produxit ſymptomata. Quoniam ex Gal. libro citato cap. 18. curatio eſt admotio remediorum cauſis ſymptomata generantibus aduerſari valentium.

1. Differẽtia inter analogiſmũ rationalium, & empiricorum.

At empiricorum analogiſmus procedit per ea, quæ nota ſunt nobis, & ſecundum ſenſum, cum ſint ſola ſymptomatum cognitione contenti, & tantummodo ſimilitudinem eam, quę talis ſit ad ſenſum conſiderent, vt docet Gal. lib. citato cap. 17. ſiue ſimilitudo illa ſit ab affectu noto per ſenſum ad ſimilem affectum, quem nunquam viderint, ſiue à loco ad locum, ſiue ab auxilio ad auxilium. Et hęc eſt vna differentia, cum rationalis procedat per ea, quæ ſunt nota natura ad auxiliorum inuentionem; dum vtitur analogiſmo: empiricus verò per ea, quę nota ſunt ſenſui.

Altera differentia proponitur, & afferuntur fundamenta quædam, vt ostendatur empiricorum analogismum fallacem eſſe. Cap. XVII.

2. Differẽtia.

ALtera differentia inter empiricorum, & dogmaticorum analogiſmum eſt, quòd empiricorum analogiſmus eſt fallax, nec rectè poſſunt vti tranſitu ad ſimile, quia in curatione eum ritè non vſurpant, cum non diſtinguant vtilia ſymptomata ab inutilibus. At rationales medici cum ſciant ſeparare vtilia ſymptomata ab inutilibus analogiſmo rectè vti poſſunt ad iuuantium cauſarum, ſeu remediorum inuentionem.

1. Fundamentũ ad oſtẽdendũ empiricos non rectè vti analogiſmo.

Quod vt intelligatur primò ſupponendum eſt ex Gal. lib. ſæpius citato cap. 18. ſymptomatum nonnulla cauſas, aliqua paſſos locos, quædam facultates, alia ægrotantes ipſos ſubſequi. Symptomata cauſæ appello illa, quæ cauſas morbificas conſequuntur, & talem humorem, vt puta bilem, vel pituitam prædominari, & peccare demonſtrant. Symptomata loci affecti ſunt, quę oſtendũt, hanc, vel illam partem affectam eſſe, vt ſingultus, & difficultas ſpirandi, hęc quidem thoracem, aut quæ in thorace continentur membra, male affecta eſſe docet, ſingultus verò eſt ventriculi ſymptoma. Facultatis autem ſymptomata illa dico, quę eiuſdem ſtatum demonſtrant, vt animi defectus oſtendit facultatem vitalem debilem: ructus acidus ventriculi facultatem concoctricem imbecillam ſignificat. Deniq; ſymptomata ægrotantis ſunt, vt ſi quis, dum conuulſionem patitur, conuellatur, vel in poſteriorem partem, ſeu in dorſum, & dicitur græcę Opiſthotonicus, vel in anteriorem & Emproſthotonicus vocatur, vel æqualiter in vtranq; partem conuulſione afficitur, & Tetanicus appellatur. Atq; inter hęc omnia enarrata ſymptomata illa, quæ patientis ſymptomata dicuntur, ſunt inutilia.

2. Fundamentum.

Secundo ex Gal. loco citato ſupponendum eſt, non ſemper in ſimilitudine ſymptomatum eandem inſtitui debere curationem: ſicuti in diuerſitate eorundem non ſemper neceſſarium eſt adhibere diuerſam curationem. Hoc declaro exemplo. Laborent tres homines ſputo ſanguinis per tuſſim electo, & tuſſis in omnibus iſtis ſit eadem, & proiecti ſanguinis copia ſit æqualis, aliaq; etiam ſint conſimilia: ſed alter ipſorum id patiatur ex fractura, alter ex apertione, & tertius ex eroſione venarum. In hoc caſu etiamſi ſymptomata ſint conſimilia; nihilominus differens curatio adhibebitur. Nam alijs medicaminibus curatur fractura, alijs apertio, & alijs eroſio. Rurſus laborent tres alii homines conuulſione totius corporis, quæ facta ſit ab eadem cauſa, nempe à plenitudine: ſed alter ipſorum ſit Tetanicus, alter Emproſthotonicus, tertius Opiſthotonicus: tunc in hiſce caſibus ſymptomata apparent diuerſa, attamen in omnibus eadem conuenit curatio, quoniam ſymptomata hęc, etiamſi diuerſa appareant, pendent ab eadem cauſa. Vnde ſymptomata huiuſmodi, cum ſint patientis ſymptomata, nihil incurando vtilitatis afferunt.

3. Fundamentum.

Tertio ſupponendum pariter eſt ex Gal. libro citato cap. 19. à cauſa morbifica auxilii genus indicari, à loco affecto vtendi modum, à facultate menſuram. Quę omnia, quomodo intelligenda ſint, ſuis locis declarabuntur. Si itaq; eandem eſſe cauſam, atq; ſigna, ſeu ſymptomata eandem cauſam manifeſtantia apparere contingat, locus tamen affectus non ſit idem, neque facultas ſit

eadem,

eadem, vtemur quidem eodem remedij genere, cum adsit eadem causa, quæ idē remedium indicat, sed vtendi ratio, & mensura mutabitur, quoniam locus affectus non est idem, nec eadem facultas.

Quòd si causa morbifica fuerit diuersa, locus autem affectus, & facultas non varientur: tunc non idem auxilij genus erit ex vsu, vtendi autem modus, & mensura eadem seruabitur. Declaro exemplo.

Laboret aliquis intemperie frigida, & humida cerebri cum pręsentia materię pituitosę, & habeat facultatem satis robustam: laboret alter syncope per consensum à ventriculo ob pituitę copiam in ipso contentam. In vtrisq; quoniam causa est eadem, nempe pituita, idem remedii genus conueniens erit, quod scilicet peccantem pituitam educat: at variatur curatio penes vtendi modum, & mensuram, quia quæ in capite continetur, per errhina, & per masticatoria potest educi, aut per purgans etiam validum, quod maiorem pituitæ quantitatem educat, & trahat à remotis partibus, nempe à cerebro malè affecto, quoniam facultas valida id potest permittere. At pituita, quæ in ventriculo continetur, vel per vomitum educi debet, vel per medicamentum leniens placidissimum, cū vires reclament.

Ex aduerso si causa morbifica fuerit planè diuersa, sed locus, & facultas non mutentur: non idem auxilii genus conueniens erit, at vtendi ratio, & mensura eadem seruabitur. Quod pariter declaro exemplo. Laboret aliquis syncope ob copiam crudorum, & pituitosorum succorum in ventriculo contentam: alter similiter syncopem patiatur ob humorem acrem, & biliosum in ventriculo contentum, & os eiusdem superius vellicantem. Causa est diuersa, locus verò affectus, & facultas est eadem: quare diuersum esse debet auxilii genus: alterum nempe, quod incidat, vel detergat, aut educat humorem pituitosum; alterū verò quod leniat, attemperet, aut euacuet biliosum humorem. At vtendi modus, & mensura non variabitur, cum locus affectus, & facultas sit eadem in vtrisque. Quæ omnia cognoscuntur mediantibus symptomatibus, quę vel causam morbificam consequuntur, vel partem affectam, vel facultatem.

Quod rationales rectè vtantur analogismo, & empiricorum analogismus sit fallax.
Cap. XVIII.

Ex suppositis in antecedenti capite non est amplius admodum difficile demonstrare, quomodo rationalis medicus distinguens symptomata vtilia ab inutilibus, & cognoscens, quæ nam sint symptomata causæ, quæ loci affecti, & quæ facultatis, rectè vtatur analogismo, & aliquas curationis partes, prout ipsi videbitur, commutare possit. Cum etenim ex similitudine symptomatum similitudo causarum inferatur, atque inde oriatur transitus ad simile, nisi cognouerimus, quæ nam sint vtilia, & quæ inutilia symptomata, vt hæc dimittamus, illa contemplemur; amplius cum ignorauerimus, quæ nam sint morbificę causę symptomata, quę loci affecti, & quę facultatis, nesciemus inuenire auxilii genus, aut vtendi modum, aut mensuram, nec rectè poterimus vti analogismo, & transferre idem, aut simile auxilium, quod causę notæ opitulari cognoscimus, ad causam similem ignotam auferendam, quam similem iudicamus ob similitudinem *Cur rationalis medicus rectè vti possit analogismo.*

ſymptomatum, quæ illam conſequuntur: nec vtendi modum nobis ignotum per ſimilitudinem eorum, quæ nobis nota ſunt; nec pariter ſimilem iuuantium menſuram ritè inuenire poterimus. Quocirca cum rationalis medicus hæc omnia cognoſcat, hinc etiam rectè vti poteſt analogiſmo.

Declaratur exemplis.

Hoc, vt facilius intelligatur, exemplis declarare oportet. Cum ab initio infeſtare cæpit Italiam dira illa lues venerea, ignorabant medici, quibus auxiliis occurrendum foret, cum, quid agendum eſſet, neq; indicatione, neq; experientia inuenire poſſent. Non quidem indicatione, quoniam cauſa erat ignota: non experientia, quoniam tunc temporis nulla aderat obſeruatio, quæ hoc vel illud remedii genus iuuare poſſe doceret, quare coacti erant vti analogiſmo à ſymptomatum ſimilitudine deſumpto. Cum etenim apparerent ſymptomata quàm ſimillima iis, quæ putredinem, & humorum corruptionem conſequi ſolent, ijſdem medicamentis vtebantur, quæ humorum corruptioni conferre, & occurrere poterant: atq; hoc pacto vtentes tranſitu ad ſimile deueniebant in cognitionem cauſarum, ſeu remediorum iuuantium.

Alterum exemplum

Hac ratione pariter Cnidij medici, vt refert Gal. lib. citato cap. 10. pulmones purulentos habentibus ſuccurrere tentabant vtentes tranſitu ad ſimile. Quoniam enim quicquid in pulmonibus eſt, per tuſſim extrudi compertum eſt, linguam exerentes, aliquid humoris in arteriam inſtillabant, quod tuſſim vehementer concitare poſſet, vt ex caſus ſimilitudine pus reijceretur. Symptoma autem hoc pertinet ad affectum locum: vnde vtentes medici iſti tranſitu ad ſimile vtendi modum eis ignotum inueniebant, quo purulentos expurgarent.

Ex huiuſmodi igitur vtilium ſymptomatum perceptione, ac ſimilitudine, tranſitus ad ſimile facultas exoritur. Quocirca rationales medici cognoſcentes, quæ nam ſint vtilia, & quæ inutilia ſymptomata: inſuper quæ cauſam morbificã demonſtrare poſſint, quę locũ affectum, & quæ facultatem: dum aliquid horum ignorant, ſymptomatum vtiliũ ſimilitudine innixi recte vti poſſunt analogiſmo, & per ſimilitudinem inuenire auxilii genus, quod cauſę ignotę occurrere valeat: aut cognoſcere modum prius ignotum, quo auxilio vti debeant: aut tandem eiuſdem auxilij menſuram, & quantitatem conijcere poſſunt.

Cur empirici non rectè vtantur analogiſmo & ideo fallax ſit eorum analogiſmus.

At empirici cum ſympomata vtilia ab inutilibus non diſtinguant, eorundẽque cauſam, ſiue fuerit cauſa morbifica, ſiue locus affectus, ſiue facultas, ignorent, hinc non rectè vti poſſunt tranſitu ad ſimile, cum innitatur ſimilitudine eorum ſymptomatum, quæ vtilia ſunt, quatenus cauſam, vel locum affectum, vel facultatem ſequuntur, & demonſtrant. Atque eò magis eos diſtinguere neſcire vtilia ſymptomata ab inutilibus apparet, quia in ſimili ſymptomatum concurſu eandem inſtitui debere curationem exiſtimant, in diſſimili verò diſſimilem; quod tamen quandoq; falſum eſt. Quoniam vt dictum fuit capite antecedenti in ſimilitudine ſymptomatum non ſemper eadem adhiberi debet curatio, aut in diuerſitate eorundem diuerſa: quia ſimilia ſymptomata, aut diuerſa non ſemper ſimilem, aut diuerſum demonſtrant præter naturam affectum.

Empirici itaque in confuſo, aceruatoue ſymptomatum tam vtilium, quàm inutilium concurſu iuuantia obſeruantes, quid cui reſiſtere aptum ſit diſcernere nequeunt: id ignorantes tranſitu ad ſimile vti non poſſunt. Nam qua de cauſa iuuans proſit, & ipſi ſe ignorare fatētur, vt concludit Gal. lib. de opt. ſect. citato cap. 18. ergo non poſſunt vti analogiſmo cum ſit comparatio, & per-

ceptio

ceptio causarum iuuantium per similitudinem. Quæ tamen similitudo prius attenditur penes symptomata vtilia: hæc etenim propositum indicans vtile demonstrant, ex symptomatum deinde similitudine inferimus etiam causarum, à quibus producuntur similitudinem, & ita oritur analogismus, quo rectè vti nequeunt empirici, cum non distinguant vtilia symptomata ab inutilibus, & causas rerum omnium contemnant, atq; ignorent.

Quare concludendum hanc esse differentiam inter rationalium, & empiricorum analogismum: quod scilicet analogismus empiricorum innititur ijs, quæ tantùm nota sunt secundum sensum, & ideo transitus ad simile, quo ipsi vtuntur, ratiocinationem non includit, quæ tamen necessariò in analogismo requiritur. At dogmatici vtuntur transitu ad simile procedente per ea, quæ nota sunt natura, & intellectu. Secundo empiricorum analogismus, cum oriatur à similitudine symptomatum tam vtilium, quàm inutilium, cumq; ea distinguere nesciant, & eorundem causam ignorent, fallax est, quare nec ipso rectè vtuntur: secus verò accidit in rationalium analogismo.

De indicantium diuisione.

Cap. XIX.

Medendi methodus ex Gal. 6. meth. cap. 1. in hoc consistit, vt inueniamus remedia, & inuentis rectè vtamur: quare duo sunt illa, quæ ad rectam medendi rationem requiruntur, nempe quid agendum, & rectus agendorum vsus. Non possumus autem inuenire remedia, & quid agendum sit, nec cognoscere qua ratione rectè sint administranda, nisi à quibus hæc omnia indicentur cognouerimus. Cum itaq; indicans, & indicatum relatiua sint, seu opposita, atq; quid agendum, seu auxilij genus, quod qualitate, & quantitate determinatur, amplius recta agendorũ administratio, quę respicit medicamentorum dosim, vbi, quando, & quomodo agendum, hæc inquam omnia sint indicata, ergo necessariò ab indicantibus indicabuntur. De indicantibus igitur agendum, & considerandum quæ nam, & quot sint illa, quę indicare dicuntur, quoniam medendi ratio huic cognitioni tota innititur. Atq; eò magis indicantia contemplanda sunt, quia cum hactenus de indicatione actum fuerit, quæ est comprehensio iuuantis, idest indicati, seu præsidij, simul cum comprehensione nocentis; hoc est indicantis, reliquum est, vt agamus de indicantibus, & indicatis simul: vnum etenim sine altero cognosci nequit. *Cur de indicantibus agendum.*

Quæ tamen omnia in pręsenti solummodo in vniuersali consideranda sunt; quoniam vniuersalis, & confusa cognitio singularem, & distinctam semper præcedere debet: hanc autem sequentibus libris prosequemur.

Quatenus itaque ad nomen pertinet, interim illa omnia indicantia voco, quæ ad affectuum præter naturam ablationem, seu ad sanitatem deperditam introducendam aliquid indicant, quomodocunque id pręstent, omissis interea indicantibus illis, quæ ad sanitatis tutellam pertinent, quando nunc de medendi, non de tuendę sanitatis methodo sit sermo. Quæ sanè indicantia, cum non habeant vnum commune genus vniuocum, ideo, in commu- *Quid nomine indicantis intelligendũ sit.*

ni definiri nequeunt, quare per diuisionem inuenienda sunt, & singula in vniuersali tamen declaranda.

Indicantiū diuisio

Indicantia itaque omnia ad duo capita reduco. Nam quædam indicant, quid agendum sit, siue præsidia: quędam verò rectam pręsidiorum administrationem pręscribunt. Et rursus, quæ remedia ipsa indicant, seu quid agendum, sunt in duplici discrimine. Nam alia sunt indicantia verè, & propriè dicta, à quibus indicatio propriè accepta desumitur, atq; hęc tria tantùm sunt, nimirum morbus, morbi causa, & vires; quædam verò communiter, & impropriè indicantia dicuntur, quę de se nihil indicant, sed solum alia ratione necessariò tamen concurrunt ad affectuum præternaturalium ablationem, & virium conseruationem, atq; hæc plura sunt.

De indicantibus propriè dictis quæ, & quot sint. Cap. XX.

ILla dicuntur esse vera, & propriè dicta indicantia, quę de se aliquid indicant ex Gal. 3. meth. cap. 1. Quicquam etenim magis potest indicare de se quàm de alio, quare quę de alio indicant impropriè, & communiter indicantia appellari possunt. Illa autem de se indicare dicuntur, quæ vel sui ablationem, vel sui conseruationem indicant. Nam ex Gal. lib. de opt. secta ad Trasyb. cap. 45. quicquid indicat, vel sui custodiam, vel sui ablationē indicat. Quot autem hęc sint inuestigandum.

Quot sint indicantia propriè dicta.

Tria tantùm esse propriè dicta indicantia docuit Gal. 10. meth. cap. 1. & 2. exemplo febrium putridarum, nempe morbus, morbi causa, & vires. Inquit enim tres primos esse scopos, qui in propositis ob putredinem febribus agendorum indicationem nobis præbeant, vna febris ipsa, altera effectrix eius causa, tertia vis ipsa naturalis. Vnde 9. meth. cap. 9 affirmabat pręcipuam faciendorum indicationem esse, quæ affectum ægrotantis amouendum suadet, æquè vt in sanis primam esse, quæ statum eorum seruandum monet. Cætera verò, vt corporis temperies vnà cum consuetudine, tum regio, tum anni tempus, tum cæli status, & similia conferunt ad auxiliorum inuentionem.

Et animaduertendum Gal. per ægrotantis affectum intelligere tum morbum tum morbi causam, quoniam morbus sine causę ablatione (dummodo ipsa præsens sit) auferri nequit. Quare prima, & præcipua agendorum indicatio, vel Gal. teste desumitur à morbo à morbi causa, & à viribus, quæ tam in sanis, quā in ægrotantibus sui conseruationem indicant, sicuti morbus, & morbi causa sui ablationem, vt testatur idem Gal. 11. meth. cap. 3. Ita vt hęc tria solùm sint indicantia verè, & propriè dicta: cætera verò, quę ad auxiliorum inuentionem conferunt impropriè, & communiter indicantia appellantur, cum de se nihil indicent licet necessaria sit illorum consideratio in morborum curatione, & virium conseruatione, vt clarius ex dicendis in sequentibus libris fiet manifestum.

Indicantiū numerus ratione ostenditur.

Idem suadet, & ratio desumpta ex fine medendi methodi. Nam interim relicta methodo tuendę valetudinis, cuius finis est conseruare introductam sanitatem, certū est finem medendi methodi esse deperditā sanitatē in humanū corpus introducere, tunc autē sanitas est deperdita, quādo morbo corpus afficitur,

quoniam

quoniam hæc sunt duo contraria, quorum proprium est versari circa idem subiectum, & mutuò se de eodem subiecto pellere. Quapropter non poterit medicus deperditam sanitatem introducere, nisi per morbi & rerum præter naturam sublationem, ac rerum naturalium conseruationem. Erunt itaq. duo indicantia in genere, nempe res præter naturam, quæ sui ablationem per contraria demonstrant, & res secundum naturam, nempe vires, quæ sui conseruationem per similia indicant. Quod sensit etiam Gal 1. ad Glauconem 1. vbi docuit ad medendi methodum reducenda esse illa omnia, quæ sunt secundum naturam, & ea omnia, quæ sunt præter naturam.

Et rursus res præter naturam, quæ indicant, sunt duæ, morbus, & morbi causa, quoniam symptomata etiamsi præter naturam sint, non indicant, vt dicemus suo loco, nisi quatenus induunt rationem causæ, sed ad ablationem morbi, & causæ auferuntur. Ex Gal. enim libro de opt. secta ad Thrasyb. cap. 18. Curatio est admotio remediorum causis symptomata generantibus aduersari valentium.

Solus itaq; morbus, & morbi causa verè indicant: & morbus indicans curatorium appellatur: Causa verò morbi indicans præseruatorium, vt colligitur ex Gal. 9. meth. cap. 14. & 10. meth. cap. 1. At ægrotantis virtus dicitur indicans vitale, quando viuere ipsum nobis ex harum custodia constet, vel Galen. teste 9. meth. cap. 13.

Indicans curatoriũ. *Indicans præseruator um.* *Indicans vitale.*

Quot conditiones requirantur, vt aliquid verè indicans appellari possit. Cap. XXI.

TRia solummodo esse illa, quæ verè indicantia vocari possunt, ex Galen. mente in antecedenti capite ostensum fuit. Nunc considerandum, quot conditiones in communi requirantur, ad hoc vt aliquid verè indicans appellari possit.

Quapropter præter iam dictas conditiones: quòd scilicet vera indicantia indicent aliquid vtile de se non de alio: quòd deinde indicent, vel sui custodiam, vel sui ablationem, quattuor aliæ conditiones requiruntur. Prima est, vt indicans sit notum natura, & intellectu, non autem sensu, & nobis notum. Secunda conditio est, vt vnum indicans non possit indicare nisi vnum. Tertia, vt indicans sit præsens. Quarta, & vltima, vt indicans reperiatur in humano corpore.

Quot conditiones requirãt vera indicantia.

Verumtamen, antequam vnaquæque istarum conditionum declaretur, notandum est, eas conuenire quidem omnibus indicantibus propriè dictis, non tamen solis, quoniam harum quædam, vel omnes etiam conuenire possunt alijs indicantibus: siuè indicent rectum agendorum vsum, siue impropriè, & communiter indicantia vocentur, vt ex dicendis in sequentibus libris manifestum fiet. Attamen præcipuè considerantur in ijs, quę verè indicare dicuntur, cum necessarium sit, vt omnes in vnoquoque indicante propriè dicto reperiantur.

Notãdũ 1

Noto secundo illas duas conditiones in antecedenti capite declaratas conuenire omnibus & solis indicantibus propriè dictis; cum omnia, & sola aliquid vtile de se indicent, & non de alio, atque indicent vel sui ablationem, vel custodiam.

Notãdũ 2.

Qua-

1. *Conditio.* Quatenus modò pertinet ad primam conditionem, & proprietatem, ea clara eſt ex Galen lib. de opt. ſecta ad Thraſyb. cap. 8. vbi fatetur rationales medicos ab occultis vtilia indicari exiſtimare. Nam cum à cauſis indicationes ſumantur, cauſæ verò vt cauſæ ſunt, euidentes non ſint: iam conſtat apud eos ab euidentibus indicationes non fieri, ſed iſta eſſe præuia, & veluti manu ducere ad eorum, quæ indicare poſſunt, notitiam: cauſæ verò ſunt natura, & intellectu notæ.

Vlterius longa oratione libro primo cap. 4. demonſtratum fuit principium medendi methodi eſſe naturam, eſſentiam, & definitionem tum rerum præternaturalium, tum rerum ſecundum naturam. At eſſentia, & definitio vniuſcuiuſque rei nota eſt natura & intellectu, non autem ſenſu: quare indicans erit natura, & intellectu notum.

2. *Conditio.* Secundam conditionem optimè declarauit Galen. 9. meth. cap. 12. dicens, quicquid pro ſua natura indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam. Atque id vnum, quod indicationem facit, ſi ſimplex eſt, ipſum quoque indicatum ſimplex erit: ſin illud eſt compoſitum, hoc quoque erit compoſitum. Idcirco ſimplex intemperies ſimplicem indicationem præbet, veluti caliditas frigiditatem: non ſimplex verò indicationem ſuggerit non ſimplicem. Nam calida ſiccaque intemperies indicat ea, quæ humectent, & refrigerent.

Et iure merito. Siquidem indicans & indicatum ſunt relatiua, ſiue contratraria, vnum autem vni tantùm contrariatur, quoniam pluribus vnum eſſe contrarium nequit ex Galen. lib. de opt. ſecta ad Thraſyb. cap. 45. Quot tamen intelligendum eſt ſecundum eandem rationem, quia vnum ſecundum diuerſas rationes poteſt plura indicare, vt docuit etiam Galenus lib. citato cap. 44. dicens abſurdum eſſe exiſtimare idem nullum diſcrimen accipiens diuerſa indicare: at nihil prohibet ſecundum diuerſas rationes vnum indicare poſſe plura, quod oſtendit exemplo bilis loco citato. Hæc etenim quatenus grauat, & copia peccat, expulſionem indicat: quatenus mordet, vt temperetur oſtendit: quatenus calida eſt, frigida requirit.

3. *Conditio.* Tertia conditio eſt, vt indicans ſit preſens, non preteritum, non futurum. Cauſam exiſtimo, quoniam indicans, vel indicat ſui ablationem ſi fuerit præter naturam, vel ſui conſeruationem, ſi fuerit ſecundum naturam, at quod præſens non eſt, neque auferri, neque conſeruari poteſt, ergo indicans debet eſſe præſens. Vnde Galen. 4. meth. 3. affirmabat à nullo eorum, quæ ad huc non permanent, poſſe ſumi indicationem eius, quod ex vſu ſit: quare ſi ab ijs, quæ non permanent, non poteſt ſumi indicatio, ergo ab ijs, quæ permanent, ideſt quę preſentia ſunt, ſumi poterit indicatio. Quod infert etiam Galen. illo eodem capite dicens: quoniam ergo non ab hac perſpicuum eſt ab ea, quę preſens eſt, indicationem fore.

At difficultas emergit ex illo capite. Nam dicit Galenus rei pręſentis eſſe
Dubitatio. curationem, eius autem, quod futurum eſt prouidentiam, quare futurum indicabit.

Solutio. Reſponſio facilis eſt. Nam prouidentia indicatur à cauſa, quæ licet morbum preſentem adhuc non produxerit, ea tamen præſens eſt, & morbum producere poteſt: indicatio igitur deſumitur non à futuro, ſed à præſenti, vt per eius ablationem prohibeamus, nè futurus, & imminens morbus ab ea generetur.

Quar-

Quarta deniq.& vltima conditio est,vt indicãs sit in humano corpore: hinc Gal.4.meth.3 dicebat à nulla causa externa sumi indicationem. Quòd si 9 method.cap.14.fateri videtur, indicationes curatorias desumi etiã ab ambiente nos aere: hoc qua ratione intelligendũ sit libro sequenti dicemus. Non etenim aer verè,& propriè indicare potest,cum de se non indicet.

Quarta cõditio.

De indicantibus rectam agendorum administrationem, atque etiam de indicantibus communiter acceptis. Cap. XXII.

IN antecedentis libri cap.17.ex Hipp.mente de agendorũ numero actũ fuit: atq; horũ quædã remediorum inuentionẽ,alia verò eorundẽ rectam administrationẽ respicere ostensum est.Hæc autẽ omnia sunt indicata,ergo ab aliquo indicante indicata. Quare cum supra cap.20.docuerimus,à quibus remediorũ inuentio,seu eorũ qualitas,& quantitas,aut quid agendũ sit,propriè indicetur: & ideo tria tantũ esse propria dicta indicantia morbũ scilicet,morbi causam, & virtutẽ declarauerimus. Reliquũ est,vt præsenti capite agamus de indicãtibus, quæ vel rectã agendorũ administrationẽ indicant , vel licet propriè indicantia non sint,aliquo tamen alio pacto ad remediorũ inuentionem concurrunt : atq; in vniuersali,& in confuso quot,& quænam sint hæc omnia contemplemur.

Quattuor illa sunt,quæ constituunt rectũ pręsidiorũ vsum,nimirũ quantùm agendum,seu medicamentorũ dosis,vbi,quando,& quomodo agendũ. Ex quo factũ est,vt nonnulli præclarissimi medici cõmenti fuerint quattuor indicantia illis opposita,quæ indicantis essentiã consequuntur,quæq; esse dicunt indicantis,seu nocentis actionẽ,pasśionẽ,subsistentiã,& præsentiã. Actionẽ aiunt indicare medicamenrorũ dosim,pasśionẽ vtendi modũ , subsistentiã vbi agendum præsentiã deniq; quãdo agendũ Quotuplex enim est indicatũ,seu rectus vsus, totuplex debet esse indicans,sed vsus, vt dictũ fuit,est quadruplex , ergo indicans erit quadruplex.

Quot sint indicantia rectum vsum aliorũ opinio

Nolo ego interim disputare aduersus hanc sententiã. Propterea quod ex dicẽdis in sequẽtibus libris,quãdo sermo erit de recta pręsidiorũ administratione , siue modò præsidia hæc inuenta,indicatafuerint ab indicãte curatorio,siue præseruatorio,siue vitali,ostendã ex Gal.mente,à quibusnã rectus remediorum vsus indicetur. Na mesto interea actionẽ indicantis dosim, subsistentiam vbi agẽdum, & præsentiam quando agendũ præscribere posse:attamen vtendi modus nõ à pasśione,sed à quampluribus indicari potest: vt ab affectæ partis , situ,atq; figura dignitate,structura, seu compositione, & ab alijs etiam , sicuti suo loco dicetur,nè eadem bis repetere cogamur , & vt quantùm fieri potest confusionem euitemus. Indicari autempotest vtendi modus à pluribus quoniam non est vnicus,sed varius,atq; diuersus,& adeo diuersus , vt non habeat vnum commune genus.

Auctoris opinio.

Denique communia indicantia quamplurima sunt, quæ ideo communia appellantur,quia de se nihil indicant , sed solùm de alio,siue modò tanquam signa,siue tanquam causæ, siue alia ratione id præstent : Considerantur tamen à Gal.tanquam indicantia,quia necessario cognosci debẽt à medico rationali, cum conferant ad remediorum inuentionem . Hæc autem exempli gratia sunt aer ambiens,regio,cęli constitutio,anni tempus,temperies, vitæ studia,consuetudo,ætas,sexus,corporis habitus, morborũ tẽpora , symptomata, & similia.

Cõmunia indicãtia quæ.

Ex·

Excusatio, cur adeo accuratè de nominibus disseruerit auctor, etiamsi de ijsdem minimè sit solicitus. *Cap. XXIII.*

Prima causa cur de nominibus fuerit solicitus auctor.

VT finem imponam huic libro, coronidis loco Lectorem admonendum, & causam afferendam esse censeo, cur adeo accuratè de nominibus hucusque egerim, licet Gal. vestigia sequens de ijsdem sim parùm solicitus: atque huius rei duplicem causam reddo.

Prima est vt Gal. à calumnijs, quas ei præcipuè infert Argenterius, tueri possim. Dum enim exempli gratia libro sequenti ex Gal. sententia ostendero indicationes curatorias à tribus desumi, nimirum à morbo, à temperamento, & ambiente nos aere: quinimo à consuetudine, ætate, anni temporibus, regione, cęli constitutione, & similibus. Hæc videri poterunt præter rationem dicta, cum alij adeò solicitè nominibus addicti omnino caueant ab hoc loquendi modo existimantes à solo morbo curatorias indicationes desumi debere, & piaculum esse, credere temperiem, aerem, cõsuetudinem, ætatem, & reliqua huius census curationem indicare. Ptopterea vt demonstrare possim Gal. doctrinam veram, ac solidam esse, eumque minimè de nominibus solicitum rei veritatis inquisitionem semper, ac solam prę oculis habuisse, & horum omniũ considerationem ad curandos affectus, seu ad remediorum inuentionem esse necessariam: de diuisione indicationum, ac indicantium, deq. eorundem nominibus sedulò in hoc libro disputaui, vt essent tanquam fundamenta eorum, quæ in sequentibus libris sunt explicanda.

2. causa.

Secunda causa est, ne si in posterum nominibus improprijs, & communiter acceptis interdum vsus fuero, (dummodo rei veritatem assequar,) præter rationem, & iniustè reprehendar ab illis, qui nomina hæc ideo formidant, vt longius tempus in nominũ declaratione, quàm in veritatis inquisitione conterant. Semper enim lectorem admonent indicationes non posse per exemplum desumi, nisi à tribus; à morbo scilicet, morbi causa, & viribus: hæcque sola indicare, permittere, & prohibere, seu contraindicare posse, reliqua verò ad id præstandum minimè esse idonea. Ego versa vice nè cum ijs; qui egressi ex eo, quod in arte est vtile, in logicam disputationem veniunt à Gal 9. meth. cap. 7. redarguar, minimè vero nominibus, quibus libitum sit, vti, dummodo meminerint artis vtilitatem esse inuenire auxilia, quibus æger sanetur, ad quarum inuentionem quicquid conducere quomodolibet videbitur, id fatendum est, ad curationem esse necessarium.

DANIELIS CARMENII DE MEDENDI METHODO

Liber Tertius.

Quid actum superioribus libris, & quid in præsenti considerandum. Cap. I.

Connexio cum superioribus.



AVREA est Aristotelis, & philosophorum doctrina, impossibile esse propria benè speculari ignoratis communibus, quod præsertim ab ijs obseruandum est, qui aliquid methodicè pertractare volunt. Propterea ne ab hac recedam, cum hactenus in vniuersali de medendi methodo, quid sit, quotuplex, & qua ratione in vnaquaque procedendum sit, docuerim. Amplius de agendorum numero pertractauerim declarans, quot, & quænam sint. Ad hæc considerauerim illa omnia, quæ ad instrumenta, quibus remedia inueniuntur, nempe ad indicationem experientiam, & analogismum pertinent. Et denique tria tantum esse propriè dicta indicantia, morbum videlicet, morbi causam, & virtutem: atq. morbum indicans curatorium, morbi causam præseruatorium, & virtutem vitale vocari ostenderim. Operę pretium iam esse duco ad magis propria, & particularia descendere, & seorsim agere de vnoquoque indicante. Nam circa hæc tria indicantia versatur tota medendi methodus.

Dicendorum ordo.

Exordium itaque sumens ab indicante curatorio, de quo toto hoc libro pertractatur, dicam in primis quid sit indicans curatorium, ac quid indicet in genere, & vtrum aliquid vtile indicet, cum Gal. sibi contradicere videatur. Post hæc considerabo à quibus capiantur curatoriæ indicationes, quæ cum ex Gal. sententia à tribus desumantur, nimirum à morbo, à temperamento, & ab ambiente nos aere: ideo contemplabor quid indicet morbus non tantùm secundum propriam essentiam consideratus, sed etiam secundum magnitudinem, & morem, & motum. Insuper Argenterij rationes aduersus Galen. sententiam in medium afferam, & soluere conabor, & ostendam ex Gal. mente, qua ratione temperies, & aer indicent in morborum curatione: & præter hæc quomodo etiam consuetudo, ætas, vitæ studia, anni tempus, cæli constitutio, regio, & huiusmodi indicare dicantur. Amplius neque despiciendam esse ægrotantis corporis ineffabilem proprietatem cum Gal. demonstrabo. Insuper quas indicationes pręstet affecta pars docere contendam. Pręterea sermo erit de indicantibus rectam agendorum administrationem. Denique exemplis quibusdam omnia declarabuntur, ex quibus apparebit, qua ratione in curatione morborum remedia inueniri, & inuenta rectè administrari possint, & à quibus tam quid agendum sit, quàm rectus præsidiorum vsus indicetur.

Quid ſit indicans curatorium, & quid indicet in genere.

Cap. II.

Quid nomine indicantis curatorij intelligatur.

NOmine indicantis curatorij Gal. 10. & 12. meth. cap. 1. & alibi, necnon medici omnes intelligunt morbum ipſum, quatenus contradiſtinctus eſt à morbifica cauſa, & à ſymptomatibus: & curatorium indicans vocatur, quia per eius ablationem, qui vtitur medendi methodo, conſequitur vltimũ finem, quem intendit, qui ſanè finis eſt ſanitatis introductio. Nam cum morbus, & ſanitas ſint contraria, quæ mutuò ſe de ſubiecto pellunt, ergo morbi expulſio erit ſanitatis introductio, hanc autem curationem appellant: quare morbus, cum indicet ſui ablationem per contraria, vt ſanitas introducatur, iure dicetur curatorium indicans.

Quid ſit indicãs curatorium.

Quocirca hoc indicans ſic definiri poteſt, quod ſit primum propoſitum, ſeu primum indicans in medendi methodo, quod ſui ablationem indicat per contraria, vt docuit Gal. 9. meth. cap. 10. Et iure dicitur primus ſcopus inter ea, quæ ſunt præter naturam, & quæ ſui ablationem indicant. Siquidem cum hæc ſint tantùm tria morbus, morbi cauſa, & ſymptomata; atq; ſymptomata non indicent; cauſa verò morbi non primò conſideretur, ſed in gratiam ipſius morbi, cum medicus intentus ſit ablationi cauſæ, vt morbus auferatur, vel non generetur, quia ille eſt, qui primò, & per ſe actiones lædit, & ſanitati contrariatur, ergo morbus medico proponitur tãquam primus ſcopus, qui ſui ablationem indicat: ſicuti in methodo tuendæ valetudinis primus ſcopus, ad quem omne conſilium dirigitur, eſt virtus ipſa, & naturalis ſtatus, qui ſe cuſtodiendum demonſtrat. Erit igitur indicans curatorium primum propoſitum, ſeu indicans in medendi methodo.

Quid indicet in genere.

Porrò ſi curatorium indicans eſt primum propoſitum, quodnam indicabit? Certum eſt ipſum in genere indicare ſui ablationem per contraria, cum ſit præter naturam. Rationem reddit Gal. tum 9. meth. cap. 15. tum lib. de conſt. artis med. cap. 12. Quoniam ſanatio ipſa nihil aliud eſt, quàm præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio: Cum autem contrarij hi affectus ſint, quia mutuò ſe de ſubiecto pellunt, neceſſe eſt, per contraria fiat eorum alterius in alterum tranſlatio. Vnde exempli gratia reditus ex immoderata intemperie ad temperiem naturalem in omnibus erit ab immoderatione contraria, vt tandem ſit neceſſe, id, quod pręter naturam affectum eſt, dum ad naturalem ſtatum redit, illam eandem quaſi viam incedere, quam prius confecerat, præterquam ordine contrario, ſed ſi contrario ordine, per contraria igitur præſenti affectui erit ille reditus, & proinde is erit omnium curandorum morborum communiſſimus, generaliſſimusque ſcopus, contrarium inquam. Quemadmodum, & ab Hippocr. in lib. de flatibus traditum eſt, contraria contrarijs remedio eſſe. Atque hac ratione vna ſola erit curationum maximè generalis indicatio, nempe contrarietas.

Et 11 meth. cap. 2. idem quoq. fatetur, primam omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo, qui curatur, morbo accipitur, contrarietatem præſcripſiſſe.

psisse. At quoniam morborum plura sunt genera, cuique eorum sua erit cōtrarietas. Tot enim sunt medendi rationes, quot sunt morborum ideæ Gal. teste 2. meth. cap. 6. Quilibet igitur morbus indicat sui ablationem per contraria, & indicat quid agendum, nempe remedium contrarium, quod scilicet habeat vim, & facultatem auferendi illum morbum. Exempli gratia si morbus fuerit intemperies calida, hæc indicabit, quid sit agendum, videlicet refrigerandum esse remedio, quod habeat vim refrigerandi, & calidam intemperiem remouendi.

At oritur difficultas, an indicatio contrarietas vocari possit. Nam dictum *Difficultas.* est ex Gal. mente vnam solam esse curationum maximè, generalem indicationem, nempe contrarietatem.

Argenterius more solito lib. 2. de officijs medici cap. 5. pluribus rationibus *Argenterius cōtradicit Gal.* probare contendit contrarietatem non indicare, neque indicationem esse. Non indicat, quia contrarietas neque morbus est, neque causa morbi, neque indicat sui conseruationem, vel ablationem. Non est indicatio, quoniā indicatio est perceptio contrarietatis, non contrarietas. Hæc, & multa alia addit, quæ consultò tanquam leuia, & puerilia prętermitto, & miror virum quendam celeberrimum, & in Galen. doctrina versatissimum istis Argenterij nugis longa admodum oratione respondisse.

Quare paucis me expediens dico Galenum nusquam asseruisse contrarie- *Respondetur Argēterio, & soluitur difficultas.* tatem indicare. Quòd si dixit indicationem à morbo desumptam esse contrarietatem, verum dixit. Nam si exempli gratia intemperies calida, & remedium frigidum sunt contraria, & eatenus etiam relatiua dicuntur, quatenus remedium est indicatum, & intemperies indicans: atque relatio, seu contrarietas, quam habet indicans ad indicatum, intellectu cognita, & comprehensa, nil aliud sit, quam indicatio, cum sit comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis, & iuuans ea ratione iuuare dicatur, secundum quam nocenti opponitur: ergo indicatio erit contrarietas, seu comprehensio contrarietatis illius, quæ est inter iuuans, & nocens, inter indicans, & indicatum, inter morbum, & remedium. Atque quidnam quæso discriminis interest inter contrarietatem, & inter contrarietatis perceptionem ab intellectu factam? Nullum aliud sanè, nisi illud, quod intercedit inter rem intelligibilem, & eius rei conceptum. Quocirca contrarietas, quæ est inter morbum, & præsidium, ante quam ab intellectu cognoscatur, est intelligibilis potentia, cum verò ab intellectu est apprehensa, est intelligibilis actu, & eadem cum intellectu, est tamen semper illa met contrarietas, aliter veritas non esset adequatio mentis cum re intellecta, vt passim omnes philosophi fatentur. Ex quibus vnusquisque videre potest, quàm vana sint hæc, quę Argenterius contra Galenum scripsit.

Contradictio apparens in Galeno vtrum morbus vtile indicet.

Cap. III.

Difficile admodum est soluere contradictionem quandā in Galeni diuersis locis apparentem, vtrum morbus vtile indicet. Siquidem libro de

opt. secta ad Trasyb. passim docet ab affectu vtilem indicationem non sumi, nec morbum docere, quid sit agendum: at in libris methodi totum oppositum asserere videtur.

Quòd ab affectu non sumatur vtilis indicatio.

1. Gal. ratio.

Et quòd ab affectu vtilis non sumatur indicatio, non solum affirmat, sed etiam ratione confirmat. Nam cap. 9. & 23. libri de opt. secta ad Thrasyb. ad hoc demonstrandum vtitur ijsdem rationibus, quibus vtebantur methodici, vt ostenderent symptomata esse inutilia. Quod ab affectibus (inquit) conferentium indicatio non proueniat, per hęc demonstrare licet. Eodem affectu, exempli gratia phlegmone differentes corporis sedes occupante, vt oculos, aut iecur, aut gulam, non eadem curatione, sed diuersa vtendum. Oculo namque inflammato opium conuenit, gulæ autem, vel ori ventriculi, & iecori aliud quippiam: insuper oleum oculo nocet, in alijs verò inflammatis partibus dolorem mitigat. Ex his manifestè concluditur ab affectibus conferentia non indicari: idem enim in omnibus eidem affectui remedium admoueretur, siquidem affectus conferentium esset indicatiuus.

2. Ratio.

Hoc pacto etiam methodicorum placitum demoliri possumus. Eodem affectu eundem locum vexante pro causarum differentia differente curatione homines indigent. Vt in vrinę suppressione, si calculus sit in causa excidimus: si phlegmone cataplasma illinimus: si vesicę supra modum distentio, fistulam, quam Catheteram nominant, imponimus. Quod si ab affectibus conducibilium indicationes fierent, vnus cum est affectus, eiusdem quoq; vtilis eædem forent indicationes, non sunt autem, non igitur affectus indicant.

3. Ratio.

Item si ab affectibus indicationes orirentur, non vtique diuersi affectus idem indicarent, at cum vna est causa, licet affectus dissideant, idem curandi genus admittimus, ergo affectus non indicant, quod fit ex vsu. Choleram namque, & arquatum morbos dissimiles esse omnes confitentur, in vtroque tamen fit bilis inanitio. Quare affectus non indicabunt vtilia, & conferentia. Et toto illo capite 23. hoc idem probat, vt quilibet apud ipsum videre potest.

Conclusio à Gal. allata.

Vnde capite 28. sequenti concludit affectum, non quid agendum sit, sed suam ipsorum sublationem, destructionemque indicare: & cap. 25. subdit. Quin & ex adhibitis auxilijs non morbos, sed causas medellam indicare agnoscendi facultas dabitur. Auxilia namq; non factis, sed facientibus aduersantur, vt euacuatio multitudini contraria est, morbo verò nulli, vt inflammationi, aut febri: multitudine igitur euacuatione subtracta simul & genitus per eam morbus tollitur: sed non propterea quod simul cum efficiente causa morbus recedit, auxilium morbo aduersari dicendum est.

Quod à morbo sumatur vtilis indicatio.

1. Gal auctoritas.

Ex altera parte in libris methodi passim docet à morbo indicationes desumendas esse, quæ, quid agendum sit, insinuent. Nam vt ab vniuersalioribus incipiam, 2. meth. 1. inquit inter omnes conuenire ad affectum, qui functioni obest, curationis consilia dirigi. Æger etenim sanitati restituitur, modò quis affectui commodis præsidijs occurrat: hic namq; est, quem alterare, mutareq; & prorsus submouere oportet. Et 2. meth. 3. ait, non functionis vitio, sed morbo ipsi, idest affectui præter naturam, qui actioni incommodat, applicanda esse remedia.

2. Auctoritas.

Verùm ad particularia descendamus. Non ne idem Gal. 2. meth. cap. 4. affirmat, si ventriculus refrigeratus fuerit, calefaciendũ esse, si humẽtior effectus siccandum, pari modo, si immodicè incaluit, refrigerãdum, si siccatus, hume-

ctandum esse? Atque hæ quattuor simplices curationis rationes sunt, aliæ quattuor compositæ: quare octo ventriculi ipsius affectus in intemperie existunt, octo igitur erunt medendi rationes, ergo à morbo vtilis sumitur indicatio, Vlterius nonne 10.meth. cap. 1. & 2. febrem ipsam indicare, quid agendum sit, docuit, & alibi millies?

Quinimo lib.de opt.secta ad Thrasyb.cap.23.citato, vbi demonstrare conatur contra methodos ab affectibus non esse sumendas indicationes, quę sint ex vsu, veritate coactus fatetur morbum vtile indicare, cum dicat, si vrinę suppressio pendeat à calculo, hunc per incisionem extrahendum esse: calculus autem est morbus in numero, ergo dum tentat demonstrare morbum non indicare aliquid vtile, inconsiderate id fateri videtur. Quare sibi ipsi manifestè contradicit Gal. *3. auctoritas.*

Qua ratione alij contradictionem prædictam soluere tentauerint, & eorundem opiniones reijciuntur.

Cap. IV.

VIderunt quamplurimi allatam contradictionem, &, vt Gal. nullo pacto sibi contradicere ostenderent, eam soluere conati sunt. Vtrum autem Gal.mentem fuerint assecuti, ex dicendis apparebit.

Nonnulli itaque dixerunt Gal.lib.de opt.secta ad Thrasyb.non negasse ab ipsis morbis, seu affectibus sumendam esse primam indicationem, quod fatetur etiam 3.meth.cap.1. Verùm cum indicatio hæc communissima sit, adeo vt etiam plebi pateat, cum morbi non nisi eorundem sublationem indicent, at quod vtile sit, seu quibus remedijs auferri debeant, nequaquam indicare valent: &, ob hoc indicationem hanc volebat Galen. loco citato non esse ipsius artis medicæ adhuc portionem, aut sanè nec magnam, nec propriam, neque eadem tanquam vniuersalissima existente, quicquam, quod vtile sit, cognosci posse. Vnde contra methodicos, qui existimabant communitates, quas fluxum & adstrictum affectum, seu ex vtrisque mistum appellabant, vtile aliquid indicare, demonstrauit affectum, seu morbum non posse indicare quicquam, quod sit ex vsu, & quid agendum sit. Non tamen negauit illam primam indicationem ab affectibus perpetuò sumendam esse, cum sui ablationem vnusquisque affectus indicet, vt docuit in libris methodi: at quibus remedijs auferantur morbi non docent, sed ab eorundem causis vtile indicatur, cum lædentes causæ sibi contraria demonstrent, ac, quod conducit, aperiant. Hęc itaque sunt, quæ nonnulli afferunt, quibus contradictionem se sustulisse existimant. *Proponitur prima opinio.*

Verum enim vero quantùm à veritate aberrauerint, facili negotio demonstrari potest: quoniam hac ratione sequeretur nullum morbum aliquid vtile indicare posse. Quorsum igitur Gal.millies docuit febrem indicare remedia refrigerantia, & humectantia? An forsan hæc non est vtilis indicatio, nec docet, quid agendum sit pro febris ablatione? Nemo enim, vt arbitror, etiam parùm versatus in rebus medicis hoc asserere auderet. Rursus non ne ventriculi frigida intemperies, indicat aliquid vtile, & quid agendum sit, nempe refrigerandum esse? Et pariter cęteræ intemperies idem docent, nimirum sui ablationem per contraria, &, quid agendum sit, insinuant; atque indicationes *Reijcitur horum opinio.*

ab

ab ipſis deſumptæ vtiles omnino ſunt, quando reperiatur materia horum præſidiorum, quæ habeat facultatem, vel refrigerandi, vel calefaciendi, vel humectandi, vel ſiccandi.

Inſuper cum hectica febris ſit intemperies calida, & ſicca independens à cauſa, qua ratione indicationes à cauſa ſumere poterimus, vt febris hæc, aut etiam aliqua alia intemperies, quæ cauſam non habeat, auferatur, ſi cauſa non eſt præſens? Ergo à morbo deſumendæ erunt indicationes, quare affectus indicare poterit aliquid vtile.

Amplius cur Gal. ſeorſim in libris methodi, & præcipuè toto 3. meth. & 9. meth. cap 14. & 15. loquitur de indicante curatorio, ſi indicatio, quæ à morbo, qui eſt indicans curatorium, deſumitur, eſt omnibus etiam plebeis nota, & manifeſta? Quare, vt opinor, hac ratione contradictio tolli nequit.

2. opinio. Alij dixerunt Gal. lib. de opt. ſecta locutum fuiſſe de morbis illis, quorum adhuc efficientes cauſæ præſentes ſunt: cum perpetuò verum ſit in ſingulis morbis efficientes cauſas habentibus conducibilia, ac auxilia non ab ipſis morbis, quà morbi ſunt, ſed ab eorum cauſis indicari. Etenim morbi ea ratione, ſecundum quam morbi ſunt, nihil particulatim vtile, neque particularia remedia indicant, ſed eorum ſublationem duntaxat, cauſæ verò, quæ particulatim agenda ſunt, & quæ ſibi ſunt contraria perpetuò demonſtrant, ac quod conducit, aperiunt.

Reprobatur 2. opin. Cæterum hæc opinio aduerſatur Gal. doctrinæ, nec vera in totum docet, neque contradictionem ſoluit. Nam eſto, prout verum eſt, cauſas morborum præcipuè demonſtrare, quid agendum ſit, non tamen ſequitur morbum, cuius cauſa adhuc præſens eſt, nunquam aliquid vtile indicare poſſe. Quandoque enim derelicta, aut ſaltem poſthabita cauſa morbo occurrere ſumus coacti, vt videre licet apud Galen. 10. method. cap. 1. cum dicat, contingere poſſe, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem, niſi occurras, afferat, quo caſu oportebit hac prius ſubmota, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere. Et paulò ante in illo eodem capite ait putredinem febris cauſam primam ſanandam eſſe, ſed nec interim extinguendæ febris, quæ per eam iam accenſa eſt, ratio non habenda. Quo circa ex his iure inferre poterimus, etiam quando cauſa efficiens morbum præſens eſt, interdum ſumendam eſſe indicationem à morbo, quæ particulariter doceat, quid agendum ſit. Id quod paſſim obſeruant medici in curatione febrium putridarum, dum adhibent remedia, quæ vno, & eodem tempore non ſolum cauſæ febrem producenti occurrant, ſed etiam quæ febri aduerſentur.

3. opinio. Nonnulli autem exiſtimarunt Galen. lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. locutum fuiſſe de indicante generico, quod cum genericum ſit, indicat etiam quid agendum genericum. Vt febris quatenus morbus eſt, indicat ſui ablationem: hoc autem eſt quid agendum genericum, quod ex ſe nihil confert. Quod verò confert, & vtile eſt, dicitur quid agendum ſpecificum, & hoc non indicatur ab indicante generico, ſed ſpecifico, vt febris, cum ſit intemperies calida, indicat refrigerantia.

Cum etenim, vt ſæpius dictum eſt, indicans, & indicatum ſint relatiua, & ideo ſi vnum eſt genericum, alterum quoque genericum eſſe debet, ſi vero vnum eſt ſpecificum, alterum quoque ſpecificum ſit, oportet. Vnde

Vnde cum ab affectu generico non poſſit indicari remedium ſpecificum, quod conferat, & vtile ſit: idcirco Gal. lib. citato de opt. ſecta ad Traſyb. dicebat ab affectu, quatenus eſt indicans genericum, conferentia non indicari. id eſt non indicari ſpecifica indicata, quę iuuare poſſint, & quę indicãtur ab eſſentia morbi ſpecifica, de qua locutus fuit Gal. in libris methodi.

Reſponſio hæc licet ad veritatem proximè accedat, cum verum ſit indicans genericum indicare tantùm quid agendum genericum, & ſpecificum quid agendum ſpecificum: attamen hæc reſponſio quoque aliquid habet, quod obijci poſſit. *Reÿcitur et tertia opinio ſecũdũ aliquã partem.*

Nam datur etiam indicans curatorium ſpecificum, quod tamen nihil vtile indicare poteſt. Exempli gratia obſtructio eſt morbus, & eſt morbi ſpecies quædam ſpecialiſſima, cum nullas ſub ſe differentias contineat, in quas amplius diuidi poſſit: quare erit indicans ſpecificum, indicabit igitur remedium ſpecificum nempe deobſtruens, aut obſtructionem remouens: hoc tamẽ remedium non morbo ideſt obſtructioni per ſe aduerſatur, ſed cauſis obſtructionem facientibus: quare non ab obſtructione, etiamſi ſit indicans ſpecificum, conferentia indicantur, ſed à cauſis obſtructionem facientibus. Nam ſi obſtructio fiat à copia humorum euacuatio illam ſanabit, ſi à viſciditate, craſſitie, aut eorundem lentore, medicamenta incidentia, attenuantia, & detergentia erunt ex vſu. Quapropter etiamſi indicans curatorium ſpecificum fuerit, non ſemper ab ipſo conferentia indicantur, ſed à cauſis.

Nec dixeris obſtructionem non eſſe indicans ſpecificum, cũ rurſus patiatur diuiſionem, quando alia fiat à multitudine humorum, alia verò à craſſitie, lentore, & viſciditate eorundem. *Obiectio.*

Quoniam diuiſio hæc reſpicit cauſas, ex Gal. verò 9. meth. cap. 14. affectus, quatenus eſt indicans curatorium, non eſt aptus diuidi in cauſas, ſed in differentias. Nam ſi in cauſas diuideretur: iam fieret tranſitus ab indicante curatorio ad indicans præſeruatorium. in pręſenti autem loquimur ſolùm de indicante curatorio, nempe de morbo, non de morbi cauſis. Quare obſtructio cum nullas alias differentias ſub ſe contineat, ideo eſt morbi ſpecies ſpecialiſſima, & indicans ſpecificum, quod tamen nihil vtile indicat. *Reſponſio.*

Hoc idem pariter oſtendi poteſt exemplo à Gal. ſupra propoſito, quo probauit ab affectu vtile non indicari. Nam inflammatio eſt morbus, & eſt morbi ſpecialiſſima ſpecies, cum non amplius diuidi poſſit in alias differentias, (loquor de inflammatione propriè dicta;) quare erit indicans ſpecificum, quod indicabit remedium ſpecificum, nempe inflammationem remouens; attamen nil vtile indicat, quoniam ſi de ſe aliquid vtile indicaret, ergo, cum diuerſas corporis partes occupat, eadem tamen curatione tolleretur, ſed non poſſumus vti eadem curatione, vt ſupra dictum fuit, licet affectus ſit idem, cum differentes partes corporis obſideat, ergo inflammatio ſecundum ſe nihil indicat, quod conferens ſit, & tamen eſt indicans ſpecificũ, ac morbi ſpecifica eſſentia. Quare aliter tentandum eſt tollere prædictam contradictionem.

Supradictæ contradictionis ſolutio ab auctore allata.

Cap. V.

VT omnino appareat Gal. nulla ratione ſibi contradicere circa indicationes à morbo deſumptas, etiamſi interdum dicat ab affectu non poſſe ſumi

sumi indicationes, quæ sint ex vsu: nonnunquam verò ex aduerso morbos vtilia, & conferentia præsidia indicare affirmet, quædam prius declarare oportet.

Quæ fuerit methodicorum opinio circa indicantia, & indicationes.

Sciendum itaque in primis est Gal. lib. de sectis cap. 6. methodicos (ita enim vocabantur, quia soli artem methodo tractare credebant) existimasse neque locum affectum vtile quippiam ad curationem indicandam habere, neque causam ipsam, neque ætatem, nec tempus anni, neque regionem, nec virtutem ægrotantis considerandam, aut eiusdem naturam, habitumue; amplius vitę studia assuetudinesque reijciebant, cũ dicerent se esse contentos indicatione eius, quod conferat, quę ab affectibus solis trahatur: ac ne ab iis quidem per species, sed communiter, & generatim. Dicebant enim morborum omnium communia esse illa, quę vbique in singulis affectibus reperiuntur: hæc autem sunt tria, adstrictio, laxatio, & ex his mistio, adeo vt morbum omnem aut adstrictum, aut fluentem, aut ex vtroque mistum esse opinarentur. Nam si naturales suppressę sint corporum excretiones adstrictum vocabant: sin magis ferantur, fluentem affectum: sin autem & suppressę sint, & ferantur, mistionem oriri dicebant: quemadmodum si oculum inflammatio, simulque fluor occupet, siquidem ex inflammatione, quę adstricta affectio est, & ex humorum in illam partem affluxu suboritur affectus quidam mistus.

Indicationes verò, quæ conferunt, dicebant esse laxitatem in adstrictis, influentibus constrictionem, in mistis autem ei affectui, qui magis vrget, incumbendum esse asserebant: atque ad hæc tria capita omnes morborum qualiumcunque curationes reducebant.

Gal. cõtra methodicos disput.

Contra hos disputat Gal. lib. de opt. secta ad Trasyb. citato, & demonstrat ab affectibus non sumi conferentium indicationem, vt ipsi credebant, sed præcipuè à causis. Atque ad tollendam eorum opinionem sat fuit Gal. vno, vel altero exemplo desumpto ab affectibus, quos illi appellabant vel adstrictos, vel fluentes, vel ex vtrisque mistos, ostendisse ab affectibus nihil vtile indicari. Quoniam ad tollendam vniuersalem propositionem, & ad demonstrãdam eius falsitatem sufficit vnum tantùm, vel alterum particulare.

Notandũ.

Atque animaduertendum est, (vt rectè intelligi possit Gal.) nonnulla exempla ab eo proposita, quibus contra methodicos demonstrauit affectus non indicare aliquid vtile esse desumpta non omnia à morbis, sed quædam à symptomatibus. Siquidem suppressio vrinæ est symptoma, nempe actio læsa: cholera est symptoma, nimirum excretum mutatum: morbus arquatus, seu regius propriè loquendo non est morbus, sed symptoma, qualitas videlicet corporis mutata. Attamen Gal. loco citato confundit nomina, & quæ symptomata sunt morbos appellat. Ratio est hęc, quoniam disputatio erat contra methodicos, qui morbos, seu vt melius loquar, affectus omnes præter naturam diuidebant in adstrictos, laxos, & ex vtrisque mistos, nullum ponentes discrimen inter morbos, & symptomata.

Quib⁹ exẽplis redarguerit Gal. methodicorum communitates.

Vnde Gal. vt eos redargueret pro exemplo assumpsit tum inflammationem, quam, dummodo ei humorum affluxus adiungatur, dicebant esse morbum mistum ex adstrictione, & fluxu: tum vrinæ suppressionem, & morbum arquatum, quos affectus adstrictos appellabant: tum choleram, qui erat affectus in laxatione consistens, & demonstrauit omnes hosce affectus non posse aliquid vtile indicare, vt falsò existimabant methodici, sed causas eorum illas esse, quæ conferentia indicare possunt, nec solùm causas, sed etiam locos affectos esse considerandos. Hinc cap. 23. illius libri contra methodicos, qui nec causam, nec

locum

locum affectum considerabant, concludit hisce verbis. Quapropter quoniam sublatæ causę affectus auferunt, positę constituunt: ac pręterea diuersę causę, quanuis ijdem sint affectus, diuersam, eædem, licet affectus euarient, eandem tamen curationem postulant, non injuria nos, & causas, & affectus, & passos locos exploramus.

Ex quibus non est difficile soluere apparentem contradictionem, & ostendere Galen. nulla ratione sibi contradicere. Verissimum enim est libro de opt. secta citato dixisse à morbo non sumi conferentium indicationem, non tamen ab omni, sed à morbo quatenus est indicans genericū, secundū quā significationē sumebatur à methodicis, quia cōmunitates solùm considerabant. Si itaq; hac ratione morbus capiatur, nihil vtile, sed tantūmodo sui ablationē indicabit, quę est prima, & maximè generalis curationū omniū indicatio, vt dictū fuit supra ex Gal. 3. meth. cap. 1. quæq. non est medendi methodi magna pars, vt methodici existimarunt, sed minima, & tantùm initium. *Quomodo tollēda sit apparēs cōtradictio ī Gal.*

Non tamen ob hoc inferendū essentiam morbi specificam semper aliquid vtile indicare, quia hoc falsum esse supra probauimus exēplo inflammationis, & obstructionis. Attamen neq; ideo sequitur nullum morbum posse aliquid vtile indicare. Nam vtræq. vniuersales propositiones contrariæ sunt falsæ, nullum scilicet morbum conferentia indicare, & omnem morbum conducibilia insinuare, cum sint in materia contingenti. Quare sub contrariæ vtræque verę erunt, quendam videlicet morbum indicare quid agendum sit, & aliquid vtile: quendam verò morbum non indicare quicquam, quod sit ex vsu, sed tantùm sui ipsius ablationem.

Atq; hæc visa fuit etiam Gal. sententia lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 32. dicentis: particulares igitur causæ, aut morbi saltem, non autem communitates quatenus communitates sunt, vtile indicabunt. Nam per illa verba, *aut morbi saltem*, asserere videtur causas quidem semper, quando pręsentes sunt, quod vtile est, indicare, morbos verò non semper, sed aliquando, cum non omnes morbi vtile indicare valeant.

Quòd si ita sentiendum est, non omnem morbū indicare id, quod sit ex vsu: non ideo tamen generalis illa curationum omnium indicatio spernenda est. Nam licet sit minima artis pars, & tantùm initium, atq; nota omnibus, & plebi etiam communis, quinimo & belluis, vt docuit Gal. libro toties citato cap. 24 neq; doceat aliquod vtile: attamen ab hac tanquam à generica initium sumendum est. Si etenim ex Gal. 2. meth. cap. 7. id, quod curatur morbus est, ratio sanè postulat, vt primum quæ generalis, communisque morborum omnium indicatio sit, inquiramus, & ab hac deinde ad alias speciatim descendamus. Quare etiamsi non ab omni morbo sumatur conferentium indicatio, à morbi tamen cognitione semper incipiendum. Funditus namq; logicam sectā subuertent ex Gal. 2. meth. cap. 5. qui ignorato affectū, curationis tamen facultatem abundè sibi superesse dicant. *Notandū.*

Non igitur Gal. sibi contradixit, cum non omnis morbus vtilia indicet, sed solùm quidam, vt ex auctoritatibus, & exemplis hinc inde allatis patere potest. Nunquam etenim affirmauit Gal. nullum morbum indicare vtilia, aut omnem morbum indicare conferentia: sed solùm quendam indicare id, quod conferat, quendam verò minime: quare nulla contradictio. *Conclusio.*

A quibus curatoriæ indicationes sumantur.

Cap. VI.

CVratorias indicationes à morbo desumendas esse nemo in dubium reuocauit: sed verùm ab alijs etiam desumendæ sint maxima est controuersia. Nam qui rei natura derelicta nominibus, & logicis disputationibus sunt addicti pertinaciter dicunt à solo morbo eas desumi debere: Galenus verò aliter sentire videtur. Quocirca proponam prius Gal. sententiam de curatorijs indicationibus ostendens eas à tribus fontibus capiendas esse, nempe à morbo, à temperamento, & ab ambiente nos aere: deinde quomodo horum vnunquodq; vel in differentias, vel in causas diuisum alias præbeat indicationes, in præsenti capite ita in confuso docebo, vt omnia hæc distinctè, & diligenter in sequentibus capitibus examinare, & Gal. à calumnijs ei iniustè illatis defendere possim.

Indicationes curatoriæ à tribus desumuntur.

Galenus itaq; 9. meth. cap. 14. & 15. loquens de indicationibus curatorijs, inquit ipsas à triplici fonte desumi, nimirum à morbo ipso, à corporis temperamento, & ab ambiente nos aere. Quòd si (subdit) aliæ quædam antea positæ sunt, vel postea non hæ modò, verùm etiam aliæ dicentur, omnes tamen ex ijs in partes diuisis natæ videbuntur.

A morbo.

Nam si de morbo loquamur, hic diuidi debet in differentias, non autem in causas, quoniam indicatio, quæ desumitur à causa, est præseruatoria, non curatoria, interim autem loquimur de curatoria indicatione. Cæterum morborum differentiæ plurimæ sunt, quæ vel desumi possunt ab eorundem essentia, vel magnitudine, vel more, uel motu. Tot enim ex Gal. sententia 3. de crisibus cap. 4. consideranda sunt pro morborum exacta cognitione. Quare hæc omnia etiam contemplari debemus, qua ratione indicent, & quid indicent: adeo vt indicationes à morbo desumptæ in plures differentias partiantur.

A temperamento.

Insuper corporis temperies, quæ illo tempore fuit, quo ægrotare cæpit aliquis, necessariò consideranda est. Nam cum ex Gal. 9. meth. cap. 15. non satis sit exempli gratia calido affectui admouisse frigida, nisi id debita fiat mensura: ideo non solùm cognoscere debemus, quòd sit refrigerandum, sed etiam quantùm refrigerandum: dum alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur: si modum excedas, contrarium genus morbi inducas. Qui enim supra quam par est, calidum morbum refrigerat, is sanitatis mediocritate transmissa, alium excitabit morbum, qui sit frigidus. Quod quò minus accidat, naturam curandi corporis scias, oportet, vt quantùm morbus ab illius symmetria discesserit, intelligens, mensuram refrigeranti præsidio imponas. At fieri non potest, vt quantùm à se inuicem distent, inuenias, nisi compertum habeas, quàm esset corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum, aut siccum, cum valeret, quantùmq; ex his excesserit, postquam ægrotauit.

Verùm quoniam corporis temperies, qua quis præditus erat, antequam in morbum incideret, talis esse potuit, vel natura, cum scilicet à primordijs generationis sortitus fuerit hoc, vel illud temperamentum, aut propter alias causas, vt puta propter ætatem, consuetudinem, aerem ambientem, & similia. Hinc indicatio à temperamento desumpta in alias indicationes ab omnibus istis captas diuidi potest: atque ideo hæc omnia in curatione considerari

debent,

debent, quatenus ex ipsis ægrotantis corporis temperies, vel talis reddita, vel cognita nos docet, quantùm recesserit morbus à naturali statu, vt inde ex hoc recessu cognoscamus, quantùm calefacere, frigefacere, humectare, vel exsiccare debeamus. Nā ex Gal. 11. meth. cap. 1. morbus ex iis, quæ sibi contraria sint, adhibenda remedia indicat: laborantis verò temperies vnà cum ipso morbo contrarietatis mensuram definit.

Tertio denique ab aere nos ambiente sumi debēt indicationes. Propterea quod cum materiæ reliquorum præsidiorum omnium electio in nostra potestate sit: eius verò, quam ambiens præstat, in nostra manu non sit, ratio expostulat, vt ex hoc quoque propriam quandam indicationem sumamus. Aer itaq; sæpe cum iis, quę morbus facienda suadet, est concors, sępe discors. Habebit igitur ambiēs rationē modò materiæ sanātis, modò causæ morbum fouentis: quippe cū humectari, refrigerariq; expleri gratia morbus postulat, si hæc pręstat, sanātis materię rationē obtinet: sin calefaciat, & siccet, morbificis causis est annumerandus. Vbi igitur cum medendi indicationibus consonat, pro gratia id est habendum, sic vbi aduersatur inhibenda eius noxa est. *Ab aere.*

Porrò aer ambiens talis redditur tum propter regionem ipsam, tum anni tempus, tum cęli statum. Quo circa indicationes quoque ab his omnibus elici debent, cum, quid agendum sit, nobis aliqua ratione insinuent.

Concludamus igitur cum Gal. 9. meth. citato curatorias, indicationes ab istis omnibus iam enarratis desumptas reduci ad tres tantùm, quatenus scilicet desumuntur vel à morbo, vel à corporis temperamento, vel deniq. ab ambiente nos aere. Quinimo huius rei rationem reddit dicens, non posse plura esse prima genera indicationum, quæ ad medendum pertineant, quàm tria, quæ modò diximus, ex ipsa rerum substantia manifestum esse. Nam morbus, & sanitas corporis sunt affectus, ille se tollendum, hæc se tuendam indicās: Ambiēs verò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest: hìc igitur causę sine qua non obtinet rationem. At verò cum id, quod ægrotat, alteramus, nisi constat, quousque sit mutandum, vtique quando sit ab alterando desistendum, non intelligemus: cognoscemus autem id, cognito totius corporis, & partis temperamento. Generatim igitur in omni curatione agendorum indicationes in his ad summum tribus consistunt. *Rō à Gal. allata cur indicationes curatoriæ ad tres reducatur.*

Quid indicet morbi essentia.

Cap. VII.

A Morbo, à temperamento, & ab ambiente nos aere desumendas esse curatorias indicationes in antecedenti capite ex Gal. mente ostensum fuit. Horum itaq. vnumquodque singillatim contemplari oportet, atque à morbo incipiendum est, tanquam ab eo, à quo pręcipuę faciendorum indicationes desumuntur. Et rursus quoniam morbus considerari potest vel secundum propriam essentiam, quam etiam ideam appellant, aut secundum magnitudinem, vel morem, vel denique motum: ideo seorsim de horum singulis agendum.

Morbus igitur secundum propriam essentiam consideratus, cum sit pręter naturam, absque dubio indicat sui ablationem per contraria: atque ab hac *Ab indicatiōe à morbo desūpta ppetuò auspicandum esse.*

indicatione perpetuò auſpicari oportet, vt teſtatur Galen. 4. meth. cap. 4. Illud pro comperto habentes primum ſcopum, quo medicus tendat, affectum ipſum, qui curari deſideret, indicare, ex hoc verò & reliqua omnia ſumi, vel eodem Gal. teſte 4. meth. 3. Atque omninò animaduertendum, ne in hac prima indicatione committatur error, quoniam multa deinde ſequentur abſurda. Siquidem vt dicebat Gal. 11. meth. cap. 13. cum in primis indicationibus aliqui lapſi fuerint, multò profectò magis in ijs, quæ ſecuturæ erant, decipi debebunt. Nam ædificijs fundamenta firma iacere oportet.

Verùm ne in primis iſtis indicationibus à morbi eſſentia deſumptis decipiamur, & medendi methodo firma, ac ſtabilia fundamenta iacere valeamus, ante omnia affectus, cuius curationem aggredimur, ſpecifica eſſentia inquirenda, cum illa eſſe debeat, à qua perpetuò auſpicari oportet: hoc autem aſſequemur methodo diuiſiua, quemadmodum lib. 1. declaratum fuit.

Differētiæ ab eſſētia morbi petitæ.

Morbi itaque eſſentia conſiſtit, vel in partibus ſimilaribus, vel in inſtrumētarijs, vel vtriſque partibus communis dicitur. Ac in ſimilaribus quidem, vel ſimplex eſt intemperies, vel compoſita: in inſtrumentarijs verò morbus eſt, vel penes partium conformationem, aut numerum, aut magnitudinem, aut ſitum. Quæ ſanè differentiæ in alias quamplures diuiduntur, quas tamen omnes conſultò prætermitto, quoniam hoc eſſet egredi methodi limites, & ex aliàs traditis ſupponi debent.

Quid indicet morbi eſſētia quælibet.

Quare his ita ſuppoſitis id pro certo habendum quamlibet morbi eſſentiā ſpecificam indicare quid agendum ſit, nimirum ſui ablationem per contraria præſidia.

Obiectio.

Neque dicant ſophiſtæ, quoſdam morbos, vt puta in magnitudine aucta, vel diminuta, aut in numero ſuperabundante, vel deficiente, non habere contraria; quoniam ſunt quantitates vel continuæ, vel diſcretæ; quantitati autem ex Ariſtotelis mente in prædicamentis nihil contrariatur.

Solutio.

Nam interim prętereo falſum eſſe in Gal. doctrina vllum morbum eſſe quantitatem, cum quilibet morbus ſit de genere qualitatis, & reſpondeo nomine cantrariorum, vt dictum fuit etiam lib. 1. cap. 5. nos intelligere oppoſita quacunque ratione opponantur, dummodo aliquam contrarietatis vmbram præſeferant. Quo circa cum medicina ex Hipp. mente libro de flatibus ſit additio, & ablatio: additio quidem eorum, quæ deficiunt; ablatio verò eorum, quę ſuperflua ſunt. Hinc factum eſt, quòd magnitudini adauctæ quodammodo opponatur remedium illam imminuens, & ad naturalem ſtatum traducens, imminutę verò præſidium, quod imminutam partem augēdi facultatem habeat; pariter numero ſuperexcedenti opponitur id, quod numerum illum ſuperexcedentem, & præter naturam auferre poteſt, deficienti, quod addere id, quod deficit, ſit idoneum. Perpetuò igitur verum erit dicere in quacunque morbi ſpecifica differentia indicari id, quod aliquo pacto ei opponitur; & ita opponitur, vt virtute huius oppoſitionis aptum ſit ad morbi illius ſublationem. Hæc etenim eſt contrariorum, ſeu quocunque modo oppoſitorū natura, vt mutuò ſe de ſubiecto pellant.

Non quælibet morbi eſſentiam indicare vtile præſidium.

Illud tamen notandum eſt, eam intereſſe differentiam inter morborum ſpecificas eſſentias, quòd ſicuti morbus quilibet in genere, & quatenus eſt indicans genericum nil vtile indicat, ſed tantummodo ſui ablationem; quæ ſanè indicatio eſt tantùm minima pars, & initiū huius methodi, & nota omnibus etiam plebeis; ita datur quædam morbi ſpecifica differentia, quæ nil indicat,

quod sit ex vsu: quædam verò vtiles præbet indicationes, & vtile præsidium insinuat, vt ostensum fuit supra cap. 5.

Porrò vtile præsidium, seu remediũ appello illud, cuius materia reperitur, vt per exemplum est refrigerans, calefaciens, humectans, exsiccans: inutile verò illud dicitur, cuius materia non inuenitur, vt puta remouens inflammationem, vel obstructionem. Propterea quod remediorum materiæ, quæ vel ad inflammationem, vel obstructionem tollendam sunt idoneę, non morbum ipsum, sed causam efficientem vel inflammationem, vel obstructionem respiciunt. Vtcunque tamen semper auspicari debemus ab ea indicatione, quam morbus suggerit, siue vtilis, siue inutilis extiterit, cum indicatio hæc sit fundamentum cæterarum, & qui in hac lapsus fuerit, longè magis in alijs decipi sit necessarium. *Quod nam dicatur vtile, & inutile præsidium.*

Ex istis igitur iam inferre poterimus morbi essentiam indicare quid agendum sit, seu pręsidium, genericum quidem si generica fuerit, specificum, si specifica, vt morbus in intemperie indicat alterans, at frigida intemperies indicat calefaciens, hoc specificum, illud est genericum pręsidium. Id quod intelligi debet de cuiusq; morbi essentia. Non enim omnes morborum differentias percurrere oportet, & docere, quid singula indicet. Nam etiamsi in singulis morbis priuata quędam methodus sanandi videatur, cum cuiq; eorũ sua sit contrarietas, & tot sint medendi rationes, quot sunt morborum ideæ ex Gal. 2. meth. cap. 6. non tamen qui medendi methodi, & indicationum naturam in vniuersali contemplatur, qua ratione singuli morbi curandi sint docere debet: Siquidem id pertinet ad particularem morborum tractationem. Verum cum vnum sit medendi methodi in omnibus curationibus principium, tum via, quæ ab eo principio ad finem vsque ducit, in omnibus particularibus similis: ideo sat est vniuersales medendi regulas proponere, & illas aliquo particulari exemplo illustrare, vt facilius innotescere possint.

Noto morbos quosdam passim à medicis vocari occultos, seu à tota substantia, quia illorum essentia non est cognita, nec quid re vera sit explicari potest, vt exempli gratia est lues venerea, canina rabies, & huiusmodi. De morbis istis in præsenti non est sermo, quoniam iuuantia in similibus affectibus non indicatione, sed experientia fuere inuenta: interim autem nos loquimur de ea medendi methodo, quæ per indicationes perficitur. *Notandum*

De magnitudine morbi proponuntur Galeni dissentientia loca.
Cap. VIII.

QVid magnitudo morbi in specie indicet, cognosci nequit, nisi prius huius indicantis natura, atq; differentiæ notę fuerint: quare dicendum esset, quid, & quotuplex sit morbi magnitudo. Verum quoniam res hęc longiorem requireret disputationem, & eò magis, quia Galenus videtur varius, & inconstans, dum de affectus magnitudine pertractat, & qui eum declarare tentarunt, in diuersas sententias abierunt, atque hac de causa si hęc omnia diligenter examinare vellem, hoc profectò esset egredi methodi limites. Idcirco tractationem hanc in alium opportuniorem locum diligentius examinãdam reijciens interim aliorum opinionibus pretermissis ea maiori breuitate, *Morbi magnitudo cõsideranda.*

quâ

qua potero, quid Gal. senserit de magnitudine morbi, & qua ratione eius dissentientia loca conciliari possint, & quotuplex sit ex eiusdem sententia magnitudo affectus, declarabo, vt deinde, quid indicet, cognosci possit.

Auctoris excusatio de digressione circa morbi magnitudinē.

Quinimo si hæc etiam, quæ dicturus sum, alicui fortasse longiori oratione, quam par sit, exarata videbuntur: is, velim, sciat me inuitum circa rem hanc digredi, duplici tamen de causa id præstare coactus sum. Prima est, quia cum ego dissentiam ab aliorum opinionibus de morbi magnitudine, & præsertim circa modum, quo Gal. intelligendus sit: neq; occasio sese hucusq; obtulerit, qua sententiam meam aperire potuerim, quid sentiam de magni morbi differentijs, nunc in medium proponere operæpretium esse duxi, vt deinde quid vnaquæq; indicet, declarare valeam. Secunda, & potior causa est, quia non poteram ex Gal. mente demonstrare, quid singulæ magni morbi differentiæ indicarent, nisi prius eius opinio de magnitudine affectus manifesta foret, & eò magis, quia in hoc tractatu de medendi methodo omnia Gal. loca ad hunc spectantia, difficiliora tamen, declarare, & explicare intendo, vt tum postea ad eius mentem aliorum esto iudicium.

Gal. videtur inconstās dū loquitur de magnitudine affectus

Galenus itaq; loquens de magnitudine affectus, & docens quot modis morbus aliquis magnus dicatur, non videtur omnino sibi constare. Quocirca varia sunt proponenda loca, in quibus mentionem facit huius magnitudinis, vt concilientur, & ostendatur Gal. sibi semper constantem fuisse.

1. locus.

Primus igitur locus est 4. meth. cap. 6. vbi ex professo pertractat de morbi magnitudine, atq; eam ex Hipp. etiam mente triplicem esse statuit, nimirum vel propter afflictę partis pręstantiam, vel propter affectus magnitudinem, aut propter malignitatem.

2. Locus à primo diuersus.

At 7. meth. 12. tres alias magnitudinis differentias proponit dicens eam triplicem esse, aliã, quæ ex lęsę actionis præstantia spectatur: aliam, quæ ex propria affectus essentia: & tertium præter has, quę ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. Ex quibus duobus locis vnusquisq; videre potest, quomodo Gal. diuersimode senserit de morbi magnitudine, cum vtrobiq; nō proferat eandem sententiam.

Contradictio in Gal.

Insuper 4. meth. citato ait, morbum interdum magnum esse propter malum morem, seu malignitatem, cum tamen 3. de crisibus cap. 4. contradistinguat morem morbi ab eiusdem magnitudine. Quare non solum inconstans, & varius esse, sed etiam sibi contradicere videtur.

Alter locus diuersus.

Ad hæc libro de totius morbi temporibus cap. 5. morbum magnum dupliciter tantùm dici contendit, vno modo ratione propriæ substantiæ, altero modo ratione virium, cum tamen 4. & 7. meth. citatis tres afferat magni morbi differentias.

Duo alia loca.

Præterea 3. de sanitate tuen. cap. 9. magnitudinem morbi ex duobus desumendam esse docet, nimirum ex dignitate, & ex propria essentia. Atq; hanc eandem sententiam attulit 8. meth. vlt. & addit magnitudinem ex propria essentia desumptam ex conferendo cum mediocri, & quod secundum naturam est, accipiendam esse.

Altera auctoritas.

Verum 11. meth. cap. 3. aliter rem hanc determinare videtur, cum dicat cōsiderandam esse indicantium scoporum tum magnitudinem, tum dignitatem: ac dignitatem quidem eorum vel vitę, vel sanitatis respectu indicandam: magnitudinem verò duplicem esse, vel propriæ substantię ratione, vel declinationis à naturali habitu.

Duæ contradictiones ex prædictis locis emergētes 1.

In quibus locis non vnico, sed duobus modis sibi contradicere, & inconstās esse videtur. Siquidem 8. meth. & 3. de san. tuen. citatis constituit magnitudinem tanquam genus, quod sub se comprehendit tam illam magnitudinem, quæ ex dignitate eorum, quę indicant, iudicatur, quàm illam, quæ ex propria substantia spectatur. At 11. meth. contradistinguit magnitudinem à dignitate, quasi dignitas affectus non contineatur sub ipsa magnitudine, vt dixit locis præcitatis.

2\. Insuper 8. meth. ait, magnitudinem ex propria substantia affectus accipiendam esse ex conferendo cū mediocri, & quod secundum naturā est. Quod sensit etiam primo ad Glauconem primo dicens ad tantam magnitudinem peruenire morbum, quantùm vnumquodq; à naturali statu recedit, ita vt morbi magnitudinis ratio consistat in magno recessu à naturali statu. Attamen 11. meth. duplicem esse magnitudinem affirmat, vnam ex propriæ substantiæ ratione, alteram verò ab ea diuersam ex declinatione à naturali habitu desumptam: quasi non omnis magnitudo ex propria substantia affectus iudicetur ex recessu à naturali statu.

Gal. incōstans videtur dupliciter. 1.

Amplius cur citatis locis 8. nempe meth. 3. de san. tuen. & 11. meth. duplicem tantùm magnitudinem agnoscit ex dignitate vnam, alteram ex propria substantia, cum tamen 4. & 7. meth. triplicem magnitudinem statuat? licet etiā vtrobiq; non eadem magnitudinis tripartita membra, sed diuersa enumerauerit, vt supra adnotatum fuit. Inconstans itaq; apparet.

2\. Ad hæc difficultas crescit, cum neq; 4. neq; 7. meth. vbi ex professo loquitur de magnitudine morbi, & docet quot modis morbus aliquis magnus dicatur, mentionem fecerit de magnitudine illa, quam ex dignitate desumendam esse dixit locis citatis.

Argenterius Gale. carpit.

Hęc itaq; illa sunt, quæ Gal. inconstantem, & sibi contradicentem demonstrare videntur. Hinc Argenterius sumpta occasione, vt sui moris est, libro de morborum differentijs cap. 7. Gal. carpit, & inquit varium, & inconstantem esse, dum de morbo magno agit, cum nec quid sit, nec qua ratione magnus censeri debeat, apertè ostendat.

Quot modis morbus magnus dicatur ex auctoris sententia.
& explicatur Galeni locus 4. meth. 6.

Cap. IX.

QVi Galeni vestigia sequuntur, non ita facilè tanto crimine, quòd videlicet inconstans sit, & sibi contradicat, tantum virum accusandum esse existimant, sicuti quamplures parum versati in Gal. doctrina, illum sępissimè petulanter redarguunt. Quare dissentientes eiusdem locos de magnitudine morbi, in antecedenti capite propositos inter se conciliare contendunt. Vtrùm autem eius mentem assecuti fuerint, nolo interim disputare, quoniam hoc esset omnino pręter methodum. Propterea dicam solùm ex propria sententia Gal. tamen doctrinę innixus, quot modis morbus magnus dicatur. Nam supposita hac veritate ex natura rei desumpta, facilè postea erit dissentientia Gal. loca interpretari, & conciliare.

Quid nomi

Recta docendi ratio expostulat, vt, priusquam magnitudinis morbi differentiæ

ne magni morbi intelligendũ sit.

rentiæ explicentur, breuibus doceam, quid nomine magni morbi intelligere debeamus, & quid sit magnus morbus. Magnum itaq; & paruum, si Aristoteli in prædicamentis, & Gal. 2. de dignot. pul. cap. 2. & veritati credimus non absolutè dicitur, sed in relatione ad alterum, quod videlicet mediocre sit in eadem specie. Quapropter eum magnum morbum dicemus, qui comparatus cum morbo eiusdem speciei mediocriter operationes lædente eum excedit, quia multum lædit, qui autem infra illam mediocritatem positus est, cum paruam læsionem afferat, morbus paruus dicetur. Est etenim hęc ratio formalis morbi lædere operationes ipsas.

Quid sit morbus magnus.

Quocirca illum esse morbum magnum dicemus, qui magnopere operationibus obest. Nam si hæc est essentia, & ratio morbi, vt primò, & sensibiliter operationes lędat, ergo à magna, vel parua, vel mediocri operationum noxa, morbum, vel magnum, vel paruum, vel mediocrem appellabimus.

Quot sint magni morbi differẽtiæ.

Hac supposita veritate dico tot esse differentias magni morbi, quot sunt causæ, ob quas morbus multum lędit operationes, sed hæ sunt tantùm tres; duæ per se, & vna per accidens, quare tres tantùm erunt magni morbi differentiæ, & sunt illę met, quę propositæ fuerunt à Gal. 4 meth. 6. per se quidem dupliciter, vel propter afflictæ partis præstantiam, vel ob affectus magnitudinem, & iure merito. Nam cum morbus dupliciter considerari possit, vel respectu propriæ essentię, vel respectu partis affectę, hinc duplex illi accedit magnitudo, vna ratione subiecti, cui necessariò inhæret, & cuius operationes lædit, altera ex propria natura.

1. Differẽtia respectu partis affectæ.

Si itaque consideretur morbus respectu partis lęsę, tunc dicetur magnus, quotiescunq; occupauerit partem aliquam pręstantem, quia fieri nequit, vt dum similem partem affligit, magnam operationum læsionem non afferat. Necessariò etenim lęsa aliqua parte principe sequitur magna actionum noxa. Atq; hęc est prima differentia magni morbi proposita à Gal. 4. meth. cap. 6. dum ait morbum magnum esse, *aut propter afflictæ partis præstantiam*: vt exempli gratia si obsederit, vel cerebrum, vel aliam partem principem, aut etiam principi inseruientem, dummodo sit magni momenti, vt pulmo, aut illam in consensum trahentem, sicuti os superius ventriculi, & huiusmodi.

2. Differẽtia à magnitudine affectus desumpta.

Magnitudo ex propria substãtia affectus duplex

Altera verò differentia magnitudinis desumitur à propria natura, & essentia morbi, nullo amplius habito respectu ad partem affectam: atq; hęc proponitur à Gal. loco citato cum subdit, *aut propter affectus magnitudinem*. Hanc autem ex eiusdem Gal. mente 11. meth. cap. 3. duplicem esse dico, vnam ratione declinationis à naturali statu, alteram ratione proprię substantię. Nam per morbi essentiam, seu formam duo possumus intelligere, nimirum, vel essentiam, & formam genericam, illam inquam, quę communis est omni morbo, quatenus morbus est, quę in hoc consistit, vt sit constitutio pręter naturam sensibiliter lędens operationes: vel possumus intelligere essentiam, & substantiam huius, vel illius morbi, secundum quam vnus ab altero distinguitur, vt puta, febris ab hydrope pleuritis ab angina, cancer ab œdemate, & sic de singulis: quę sanè forma, & essentia specifica proprijs signis cognoscitur, quam Gal. 3. de crisibus cap. 4. morbi ideam vocauit.

Ex hac duplici essentia generica videlicet; & specifica duplex illa magnitudo oritur, cuius meminit Gal. 11. meth. Vna enim à forma generica, altera à forma specifica originem trahit: hęc magna dicitur secundum se, & quatenus talis, non autem quatenus recedit à naturali statu, cum quatenus talis valde lędat

lædat operationes: illa verò cum sit constitutio, siue affectus præter naturã, magna tunc vocatur, quando est cum magno recessu à naturali statu.

Quod declaro exemplo. Pleuritis secundum formam specificam, & quatenus pleuritis, quæ est membranę subcingẽtis costas inflammatio est morbus magnus, quia vt pleuritis est, valde solicitos nos reddit, & magnam affert actionum lęsionem: at si magnitudo notabilis illi accedat, vt scilicet sit cum magno recessu à naturali statu, tunc duplex illi aderit magnitudo; vna quia pleuritis est, altera, quia est cum magno recessu à naturali statu.

Exemplum pleuritidis; de duplici magnitudine.

Atque doctrina hęc desumi potest ex Gal. 8. method. vltimo, vbi manifestissimè rem hanc declarare videtur. Loquens etenim de contrarijs indicationibus, quæ interdum in victu febricitantibus instituendo occurrunt, cum scilicet febris ex vna parte victum refrigerantem, & humectantem postulet, quem ex altera parte sentiat natura, consuetudo, temperamentum, ætas, regio, & alia huius census, ait indicationem à febre desumptam esse, quidem numero inferiorem, magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunque appellasse libet, spectatur, vtique superiorem esse, potissimum si longè à natura recessit: quippe duplex tunc magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus est communis, & quæ propria, suaque ipsius est. Siquidem, & quia febris plus cæteris omnibus solicitos nos habet: & quia, præterquamquod febris est, etiam magnitudo illi notabilis accessit. Nescio an clarius Galenus semet ipsum declarare potuisset de duplici hac morbi magnitudine, altera scilicet ratione propriæ substantiæ, & altera ex declinatione à naturali statu.

Ostenditur Gal. auct.

Colligo igitur duas illas magni morbi differentias à Gal relatas 4. meth. citato, vel respectu afflictę partis pręstantię, vel respectu affectus magnitudinis, quæ tamen duplex est, vt ostensum fuit, morbo intrinsecas esse, & de eo per se prędicari, cum fluant ab illius natura: siue morbus consideretur ratione subiecti, cui necessario inhæret, vel ratione propriæ substantiæ, tum genericę, tum specificę.

Et quòd istę duę magnitudinis differentię ab inuicem necessariò distingui debeant, ex eo facilè conuincitur: Propterea quod paruus morbus ex propria essentia euadit magnus, dum occupat partem nobilem: & è contra magnus secundum propriam formam paruus interdum iudicatur, & ferè negligitur ratione partis affectę, quam obsidet. Vt exempli gratia parua inflammatio, paruum erisypelas si occupauerit, vel cerebrum, vel pulmones, vel hepar, aut similem aliam quampiam partem magnus morbus iudicabitur: ex aduerso inflammatio satis insignis, aut erisypelas si occupauerit crus non solicitos admodum nos reddit, cum ratione partis affectæ paruus censeatur morbus. Quare iure vna magnitudo ab altera à Gal. distinguitur.

Verùm alia adest morbi magnitudinis species, ratione cuius valde lędere potest operationes, quę tamen magnitudo morbo potius accidere, & extrinseca esse videtur, cum illi non conueniat per se, & quatenus morbus est, & malignitas dicitur. Atque hęc est tertia magnitudinis morbi differentia à Galeno proposita loco citato, cum dicit, *aut propterea quod sunt cacoethe*. Et quòd malignitas sit quoddam morbo extrinsecus adueniens expositione declaro.

Tertia magnitudinis differẽtia à malignitate petita

Laboret aliquis per exemplum febre continua, quę efficiatur à bile putrescente: si contingat bilem acquirere prauam qualitatem, iam febris illa maligna efficietur, quæ malignitas accidit illi febri, cum ei non conueniat, quatenus febris est tertiana continua, sed quia accidit bilem mala qualitate affectā esse. Insuper laboret pars aliqua vlcere, atque vlcus hoc efficiatur malignū, id illi eueniet ab extrinseco, quotiescunque scilicet pars affecta contraxerit malam quandam dispositionem, secundum quam etiamsi, quod ad illam partem confluit, bonum sit, in malum succum conuertit, & corrumpit, vt colligitur ex Gal. 1. de comp. med. per gen. cap. 18. Ex quibus patere potest malignitatem morbo extrinsecus aduenire. Vnde Galen. 3. de crisibus cap. 4. dicebat malignitatem cognosci ex symptomatibus superuenientibus, quæ nō sunt propria illius morbi, cum non sequantur illius ideam, quam ideo à malignitate distinxit.

Conclusio. Concludendum igitur Galen. 4. meth. cap. 6. rectè diuisisse morbi magnitudinem in tres differentias, quia scilicet morbus grauis est, aut propter afflictæ partis præstantiam, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius malignitatem. Neque datur alius modus, secundum quem morbus magnus dicatur: & si alij modi reperiuntur, omnes ad hos tres reducuntur tanquam ad tria prima genera magnitudinis morbi.

Declaratur alter Gal. locus 7. meth. 12. de affectus magnitudine.

Cap. X.

GAl. 7. meth. cap. 12. tres alias magnitudinis affectus differentias proposuit, quæ videntur esse diuersæ ab illis, quæ 4. meth. ab eodem Gal. propositæ fuerunt. Affectus magnitudo, inquit, triplex est, alia, quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur; alia, quę ex propria affectus essentia: & tertia pręter has, quæ ex facultate, quę læsum corpus gubernat, æstimatur. Quas magnitudinis differentias nonnulli ostendere conati sunt easdem prorsus esse secundum significationem, licet verbis distinguantur, cum illis, quę proponuntur 4. method. 6. & quæ in antecedenti capite declaratę fuerunt. Horum tamen opinionibus interim pretermissis existimo eas esse quodammodo ab illis diuersas, neque ideo inferendum Gal. sibi inconstantem fuisse, neque plures tribus esse morbi magni differentias, quarum 4. meth. mentio facta fuit.

Tres aliæ magnitudinis species

Quod vt clarum fiat, sciendum est diuersam fuisse Gal. intentionem, quam habuit 4. meth. ab illa, quam sibi proposuit 7. method. vt inde mirum non sit, si diuersarum etiam magnitudinum mentionem fecerit. Nam 4. method. considerauit magnitudinem morbi, quatenus est indicatrix magni remedii, & pręsertim purgationis, & venę sectionis; quod demonstrauit auctoritate ipsius Hippocr. & exemplo ab vlceribus desumpto. At 7. method. loquitur de curationis ordine, quem in affectibus complicatis obseruare debemus, vt declaratum fuit lib. 1. cap. 13. Quando enim ab aliquo affectu non leue periculum instat, ad id, quod vrget, dirigi primum curantis consilium debet: atq. in

Gal. diuersa intentio 4. meth. & 7. meth.

hoc consilio, quod ab vrgente initur, affectus magnitudinem perpendam esse docet. quæ triplex est, vt diximus.

Ex quibus apparere potest Gal. minimè inconstantem fuisse. Propterea quod etiamsi 2. meth. videatur diuersas proponere affectus magnitudinis differentias, non tamen sequitur plures tribus esse magni morbi species, & sunt illæ, quæ 4. meth. propositæ fuerunt, ad quas reducuntur etiam eæ, quarum meminit 7. meth. non ita tamen, vt sint eædem cum illis, sicuti alij senserunt, sed quia ad illas reducuntur tanquam riuuli ad suos fontes.

Magnitudo affectus dupliciter consideratur.

Nam morbi magnitudo dupliciter considerari potest, vel absolutè, & quatenus est indicatrix magni auxilij, quo pacto consideratur 4. meth citato, & hæc triplex tantùm est, vt declaratum fuit, neque plures tribus, aut pauciores differentiæ inueniuntur: vel consideratur respectiuè, & tunc morbus potius dicetur maior, quàm magnus; dum scilicet vnum affectum cum alio comparamus, vt inde iudicemus vter eorum maior sit, aut maius ægrotanti periculum minetur, secundum quam significationem sumitur à Gal. 7. meth. Id quod obseruandum est in curatione affectuum complicatorum, in qua initium curationis perpetuò sumendum est ab eo, quod magis vrget, & ægrotum in vitæ discrimen adducit. Tripliciter autem cognoscere possumus, vt inquit Gal. qua ratione vnus affectus altero maior dicatur, vel scilicet ob pręstantiam actionis læsę: vel ob affectus propriam essentiam: vel tertio ob facultatem, quæ lęsum corpus gubernat.

Quocirca illæ eędem magnitudinis differentiæ, quarum mentionem facit Gal. 4. meth. si non amplius absolutè considerentur, sed respectiuè, ita vt siue vna cum altera ab ipsa diuersa comparetur, siue cum altera, quę sit eiusdem speciei, tunc maior iudicetur, & maius periculum ægrotanti minari dicatur tripliciter, aut quia scilicet lędat pręstantiorem actionem: aut quia secundum propriam essentiam sit maior: aut tertio quia superat facultatem, quæ læsum corpus gubernat. Quinimo vnica tantum magni morbi species ex illis, quæ 4. meth. propositæ fuerunt, vt puta ob pręstantiam partis affectę, potest omnibus illis tribus modis 7. meth. propositis maior cæteris appellari, & maius periculum afferre. Nam vno, & eodem tempore lędere potest actionem aliquam pręstantem: & potest etiam talis esse ob propriam affectus essentiam: & tertio potest quoq; superare facultatem, quæ vniuersum corpus gubernat, per quam præcipuè vitalis facultas intelligenda est, quę omnium ad vitam necessarijssima existit.

Omnes magnitudinis differentię reducũtur ad enarratas 4. met.

Sunt igitur semper tres tantùm magnitudinis morbi differentię, sed diuersimodè consideratę plures, & diuersę apparent: omnes tamen ad illas tres 4. meth. enarratas reducuntur. Siquidem nusquam morbus magnus dici poterit, vel ob pręstantiam actionis lęsę, vel ob propriam essentiam, vel quia superet facultatem, & vires, aut quouis alio modo, nisi magnus fuerit vno, vel pluribus ex illis tribus modis 4. meth. propositis: adeo vt differentię magnitudinis, quarum 7. meth. facta fuit mentio, necessariò fluant ab illis tribus iam dictis, & omnes ad illas reducantur.

Declarantur reliqua Galeni loca de morbi magnitudine, & sibi minimè contradicere ostenditur.
Cap. XI.

SVnt etiam alia Galeni loca de magnitudine morbi, quæ declarare, & conciliare oportet, vt inde Gal. semper suis principiis consentientem, neque sibi contradicere, aut minimè inconstantem esse appareat.

Contradictio in Gal.

Erat itaq; prima contradictio, quam Gal. Argenterius etiam obijcit lib. de morb. diff. cap. 7. quòd videlicet 4. meth. asserat interdum morbum magnum esse ob malignitatem, seu malum morem, cum tamen 3 de crisibus cap. 4. contradistinguat morem morbi ab eiusdem malignitate.

Soluitur hæc cõtradictio.

Sed facilè tollitur huiusmodi apparens contradictio ex his, quæ supra dicta fuerunt. Siquidem certum est morem à magnitudine morbi contradistingui. At sciendum magnitudinem esse morbi passionem, quæ vel per se illi inest, & ex propria natura, vel interdum etiam ab extrinseco illi aduenit. Magnitudo per se morbo inexistens est, quòd magnus dicitur, vel propter partis prestantiam, vel propter affectus magnitudinem: at per accidens magnus vocatur, si illi accidat malignitas, quæ sanè magnitudo ob malignitatem contracta diuersa est ab illa, quam talem dicimus ob propriam morbi essentiam. Vnde Gal. nedum 3. de crisibus cap. 4 distinguit magnitudinem à propria morbi essentia desumptam à malo more eiusdem, sed etiam idem asserit 4. meth. cum contradistinguat affectus magnitudinem ab illa, quæ talis dicitur, quia morbus malignus est.

Explicabitur alter Gal. locus.

Quòd si Gal. lib. de de totius morbi tẽp. cap. 5. morbum magnum dupliciter tantùm dici affirmat, vno modo ratione propriæ substantiæ, altero modo ratione virium: cum tamen 4. & 7. meth. tres afferat magnitudinis differentias, non ideo inferendum est, eum inconstantem fuisse. Siquidem eius intentio libro citato non fuit docere morbi magnitudinis species, sed diuidere morbũ magnum ex propria substantia in lethalem, & salubrem, hic a viribus euincitur, ille vires superat. Quinimo morbus ratione virium non dicitur magnus, vel paruus, sed potius maior, vel minor. Quæ omnia nota erunt legenti locum illum.

Galen. sibi cõtradicit, & inconstans est.

Quæ verò contradictiones, & inconstantię desumebantur ex variis aliis locis, nimirum ex 3 de san. tuen. cap. 9 & 8. meth. cap. vlt. atque 11. meth 3. multæ erant. Siquidem Gal. in omnibus istis locis duobus modis non solum diuersa sentire, sed etiam sibi contradicere videtur harum singulæ soluendæ sunt.

Soluitur 1. contradictio.

Prima contradictio erat, quòd 8. meth. & 3. de san. tuen. constituit magnitudinem tanquam genus, quod sub se comprehendit tam illam magnitudinẽ, quæ ex dignitate indicantium iudicatur, quàm illa, quæ ex propria substantia spectatur. At 11. meth. contradistinguit magnitudinem à dignitate, quasi dignitas affectus non contineatur sub ipsa magnitudine. Facile soluitur huiusmodi contradictio. Nam Gal. 8. meth. & 3 de san. tuen. magnitudinis nomen sumpsit tanquam commune genus vtriusq; magnitudinis, tam illius scilicet, quæ iudicatur ex dignitate indicantium, quàm alterius, quę ex propria substantia desumitur. At 11. meth. licet vtatur nomine generis, specificè tamen

men capit magnitudinis nomen pro ea magnitudine, quę ex propria affectus substantia desumitur, vt eam cōtradistinguat à m gnitudine capta à dignitate indicantiū: non tñ negat magnitudinem vniuersaliter sumptā tanquam genus esse vtrisque communem. Et iure ita soluitur contradictio, qm̄ differentia aliqua addita generi illud contradistinguere potest ab altera differentia, seu specie, quæ sub ipso continetur. Ac si dixisset Gal. magnitudo specificè sumpta pro ea magnitudine, quæ desumitur à propria affectus substantia distinguitur ab illa, quæ iudicatur ex dignitate affectus.

Secunda contradictio ex prædictis locis emergens erat, quòd 8.meth.dicit magnitudinem ex propria substantia affectus desumptam consistere in magno recessu à naturali statu. At 11.meth duplicem esse magnitudinem affirmat, vnam ex propriæ substantiæ ratione, alteram verò ab ea diuersam ex declinatione à naturali habitu petitam. Quare non omnis magnitudo ex propria substantia affectus accepta iudicatur ex recessu à naturali statu. Soluitur hæc contradictio ex ijs, quæ supra cap.9. dicta fuerunt de duplici morbi essentia, generica videlicet, & specifica. Nam 8.meth.& 3.de san. tuen. locutus fuit de magnitudine morbi, quæ desumitur ab eiusdem forma generica, quæ nulla alia ratione morbum magnum constituit, nisi quando est cum magno recessu à naturali statu. At 12.meth. vtriusque magnitudinis meminit, & illius, quæ talis est ratione propriæ substantiæ specificæ, & illius, quæ iudicatur ex declinatione à naturali habitu. Vtraque tamen reducitur ad proprium genus, nempe ad magnitudinem illam, quam affectus magnitudinem vocauit Gal. 4 meth.cap.6.

Tollitur 2.contradictio.

Insuper non sibi constare videbatur Gal. cum 8.meth. 3 de san. tuen. & 11.meth.citatis duplicem tantùm magnitudinem agnouerit, ex dignitate vnā, alteram ex propria substantia, cum tamen 4.& 7.meth diuersimodè senserit. Respondeo ob diuersam intentionem, quam habuit Gal.in diuersis locis, diuersas etiam videri attulisse magnitudinis affectus differentias: attamen omnes ad tres illas species 4 meth.propositas reducuntur. Ibi etenim absolutè loquitur de morbi magnitudine, quatenus remedium magnum expostulat, & eam triplicem esse dixit, vt declaratum fuit. Istis autem tribus locis citatis loquitur de magnitudine affectuū comparans eorum magnitudinē inter se, dum simul contrarij affectus complicantur, vt sciamus quanam methodo procedendum sit in illorum curatione, & inquit tunc eligendas esse eas indicationes, quas scopi digniores, maioresque præscribunt.

Soluitur 1.inconstantia.

Quibus in locis licet duas tantùm proponere videatur magnitudinis differentias, alteram scilicet ratione propriæ substantiæ affectus, alteram ratione dignitatis eiusdem, non tamen inferendum est sibi non constare. Siquidem non erat necessarium, vt proponeret illas easdem magnitudinis differentias, quas proposuit 4.meth.quando in locis istis non loquatur de magnitudine absolutè, sed comparatiuè inuestigans in contrariorum affectuum complexu, qualis affectus maior altero sit, & cur talis dicatur. Et quia hoc præcipuè cognoscitur vel ex propria affectus essentia, quando scilicet aut talis est per se, aut multùm recedit à naturali statu, vel ex eiusdem dignitate, quæ iudicatur vel vitæ, aut sanitatis respectu eo modo, quo declaratum fuit lib.1. cap.15. atque insuper istis duobus modis in contrariorum affectuum complicatione facilius cognoscamus, quinam illorum magis vrgeant, & quibus magis sit incumbendum, quàm si dixerimus morbum esse magnum vel propter afflictæ partis prę-

stantiam,

ſtantiam, vel propter malignitatem. Ideo Gal. qui locis nuper citatis intentionem diuerſam habuit ab ea, quam 4. meth. propoſuit, diuerſimodè etiam de affectus magnitudine locutus eſſe videtur, & illum magnum iudicauit, qui vel talis eſt ratione propriæ ſubſtantiæ, vel ratione dignitatis.

Tollitur 2.

Tandem dicebatur, augeri difficultatem, & Gal. inconſtantem rurſus videri, cum neque 4. neq. 7. meth. vbi ex profeſſo loqui videtur de magnitudine morbi docens quotuplex ſit, mentionem fecerit de magnitudine illa, quam locis citatis ex dignitate deſumendam eſſe dixit. Reſpondeo magnitudinem morbi ex eiuſdem dignitate deſumptam reduci ad illas tres magni morbi differentias ſæpe dictas, & 4. meth. propoſitas. Siquidem nullus morbus magnus ob dignitatem dici poteſt, qui idem magnus non ſit, vel propter partis pręſtantiam, vel ob affectus magnitudinem, vel propter malignitatem. Ex quibus manifeſtum vnicuique iam eſſe poteſt, quomodo Gal. ſemper ſibi conſtans fuerit, & quòd tres tantùm ſunt magni morbi differentiæ, neq. plures, neque pauciores, & ſunt illæ, quas propoſuit 4. meth. Quæ autem alibi propoſitæ fuerunt, dum diuerſam habuit intentionem, apparent quidem ab illis diuerſę, ſed tamen omnes ad illas tres reducuntur, tanquam ad tria prima capita differentiarum magnitudinis morbi. Quæ omnia ſi cognouiſſet, vel cognoſcere voluiſſet Argenterius, & ſi quis alius eſt, qui Gal. tanquam inconſtantem, & ſibi contradicentem redarguat, profectò non dixiſſet eum varium eſſe, dum de morbo magno agit, cum nec, quid ſit, nec, qua ratione magnus cenſeri debeat, apertè oſtendat.

Duo notanda circa affectuum magnitudinem.
Cap. XII.

Cvm tres in humano corpore ſint pręter naturam affectus, quorum vnuſquiſque magnus vocari poteſt, nimirum morbus morbi cauſa, & ſymptoma.

Notandũ 1.

Notandum eſt Gal. 4. meth. 6. locutum pręſertim fuiſſe de magnitudine morbi, quatenus contradiſtinctus eſt à cauſa morbifica, & à ſymptomatibus. At alijs in locis, & pręcipuè 7. meth. 12. confundit omnes pręter naturam affectus, ſiue fuerint morbi, ſiue cauſæ morbificę, ſiue ſymptomata: & hos omnes magnos appellat, dum vel tales ſint ſecundum propriam eſſentiam: vel quia lędant aliquam pręſtantem actionem: vel quia ſuperent facultatem, quæ vniuerſum corpus gubernat; ſicuti oſtendit exemplum ab eo allatum loco citato, & vnuſquiſque apud ipſum videre poteſt.

Notandũ 2.

Noto ſecundo me interim mentionem tantummodo facere de magnitudine morbi, quoniam tunc ſolùm ſermo eſt de indicante curatorio: hanc autem cum Gal. triplicem eſſe dico, aut propter afflictę partis pręſtantiam, aut ob affectus magnitudinem, aut denique propter malignitatem.

Morbus ratione sui tripliciter magnus dicitur.

Et licet recentiores quidam medici exiſtimauerint morbum ratione ſui tripliciter magnum dici, ſcilicet ratione propriæ eſſentiæ vel quia pendeat à cauſa, quę ſit magnę actiuitatis, vel ratione magnitudinis ſymptomatum: attamen arbitror ego hęc omnia mutuò ſe conſequi, neque vnum ſine altero eſſe poſſe, adeo vt vnicam tantùm magnitudinem conſtituant. Nam magnitudo morbi à propria eſſentia deſumpta, quam affectus magnitudinem appellat Gal. ſecum neceſſariò coniunctam cauſæ, & ſymptomatum magnitudinem habet. Qua ratione

tione

ctione enim fieri potest, vt morbus ex propria essentia magnus sit, & non habeat, aut non habuerit causæ magnitudinem, seu mauis dicere causam magnæ actiuitatis, & efficacię? Præterea si propria symptomata sequuntur morbi essentiam, ergo eiusdem morbi magnitudinem à propria essentia desumptam sequentur symptomata propria magna: sic dicebat Gal. 3. de crisibus cap. 4. magnitudinem morbi cognosci ex magnitudine propriorum symptomatum.

Interea tamen vt dixi omitto symptomatum, & causarum magnitudinem de hac suis locis opportunè tractaturus, & solùm considero morbi magnitudinem contradistinctam ab aliorum præter naturam affectuum magnitudine.

Quid indicet morbi magnitudo.

Cap. XIII.

His ita in superioribus capitibus determinatis de magnitudine morbi ex Gal. mente, cum aliam absolutam, seu magnitudinem, seu vehementiam, aliam verò respectiuam nonnulli appellent, & rectè: de respectiua in presenti non est sermo, quoniam hæc consideratur in affectuum tum diuersorum, tum contrariorum complicatione, de qua libro primo abundè actum fuit. Et rursus cum absolutæ magnitudinis tres sint differentiæ ex Gal. sententia: alia ob afflictæ partis præstantiam: alia ob affectus magnitudinem: & alia deniq; ob malignitatem, dico harum magnitudinum quamlibet in genere indicare magnum remedium.

Quid indicet affectus magnitudo ex propria essentia desumpta.

Id sensit Gal. 4. meth. 6. qui morbi magnitudinem tanquam indicatricem venæ sectionis, & purgationis, quarum vtraque inter remedia magna connumeratur, proposuit. Id quoq; sensit Hippoc. 1. aph. 6. dicens extremis morbis extrema conuenire remedia: & lib. de locis in homine fatetur medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare nō oportere, neq; paucitate medicamenti debilitatem ipsis faciendam esse, sed fortibus natura fortibus pharmacis vtendum, debilibus verò pharmacis non fortibus.

Morbi magnitudo in genere indicat magnū remedium.

Ex quibus aureis Hippoc. verbis illud obiter notare licet, perperam agere medicos illos, qui in morbis debilibus pharmaca fortiora in pauca tamen quantitate interdum exhibent. Id enim est contra Hippoc. mentem, qui paucitate medicamenti debilitatem ipsis minimè faciendam esse docet: & iure. Nam remedia fortia quantumuis minima dosi exhibeantur, nusquam esse poterunt æqualia debili morbo, cum magnum magno, paruum paruo aut debile debili dicatur æquale. Præter quamquod magna pręsidia etiam in pauca quantitate semper vim inferunt naturæ: hoc autem vitandum est, quantùm fieri potest, quare nisi morbi vehementia nos cogat, fugienda omnino sunt valida remedia.

Notādum ex Hipp.

Verumtamen consideremus seorsim vnamquanque magnitudinis speciem. Et quatenus pertinet ad eam, quæ desumitur a prestantia affectæ partis, iam dictum fuit morbi essentiam indicare præsidij qualitatem, quæ sanè essentia, si magna fuerit, magnum, eiusdem tamen qualitatis, præsidium indicabit, at tunc magna dicitur, quando occupat partem aliquam principem ratione partis affectæ, etiamsi de se magna non sit, quare morbo præstantem aliquam partem obsidenti ijs præsidijs occurrere debemus, quæ quidem naturæ morbi illius

De magnitudine respect. prestāti partis.

lius opponantur, sed magna sint. Ita Gal. 4. meth. 6. ex Hipp. sententia, dum vlcera partem aliquam principem male afficiunt, purgationem ea expostulare docet. purgatio autem reponitur inter magna pręsidia. Pariter in vulneribus quæ magna sint ratione præstantiæ affectæ partis, sanguinem per sectam venam mittendum esse affirmat. Idem sentiendum in alijs affectibus, vt puta in erisypelatę, aut inflammatione etiam parua nobile aliquod membrum vexante: ijs etenim validis præsidijs occurrere debemus. Nolo autem interim disputare qua ratione morbus magnus dicatur indicare purgationem, aut sanguinis missionem, nimirum vel tanquam signum, vt nonnulli senserunt, vel tanquam verè indicans, vt alij existimarunt: quoniam hoc est præter methodum, & aliàs determinabitur. Quare satis est interim ex Gal. & Hipp. auctoritate ostendisse, quinimo ex ipsa rei natura magnum morbum respectu partis affectæ magnum remedium requirere.

Quid indicet affectus magnitudo ex propria essentia desumpta.

Verùm si secundam morbi magni differentiam contemplemur; quam Gal. vocauit affectus magnitudinem, hanc duplicem esse diximus: alteram, quæ desumitur ab essentia generica morbi: alteram, quæ ex essentia eiusdem specifica iudicatur: prior consistit in magno recessu à naturali statu, idcirco quò magis à naturali statu recedit, eò vehementius remedium expostulat. Vnde Gal. 9. meth. cap. 15. dicebat, quod plurimum à naturali habitu recessit, id vehementibus egere contrariis, quod non plurimum, leuibus. At posterior magnitudo ab essentia specifica affectus desumpta specifica remedia requirit, quæ affectum illum debellare possint, sed magna, & vehementia esse debent. Vt per exemplum pleuritis, febris, cancer, & similes affectus, cum ex propria natura magni sint, ideo magna requirunt remedia: hinc in pleuritide copiosè sanguinem mittimus, in febribus ferè omnibus conuenit venæ sectio, & purgatio: cancer ferro, & igne curatur. Et sic de singulis morbis ex propria essentia magnis sentiendum est, vt magnis egeant auxiliis, quę illis opponantur, atq; quò maior fuerit vehementia morbi specifica, eò validius debet esse remedium. Propterea quod inter indicans, & indicatum, nempe inter morbum, & auxilium, debet esse proportio.

Quid indicet magnitudo ob malum morē.

Denique magnitudo morbi à malignitate eiusdem talis reddita requirit ipsa quoq; magna præsidia. Notandum tamen in hoc casu duo considerari debere, nimirum magnitudo, & malus mos. Nam licet morbus dicatur magnus ob malignitatem: attamen quatenus magnus est, magnis eget præsidiis: quatenus verò malignus illa remedia expostulat, quę malignitati occurrere possint de hac autem pauca in sequenti capite dicemus. Id certum sanè est ex Hipp & Gal mente vlcera, & vulnera maligna indicare venę sectionem, & purgationem, quæ sunt magna remedia, quoniam malignus morbus magnus est.

Quod nam dicatur magnum remedium.

Noto remedium illud magnum vocari, quod magnam actiuitatem, & efficaciam habet in operando, siue in euacuando, siue in alterando, siue quocunq; alio modo morbos debellare dicatur: quæ tamen vehementia habet latitudinem non paucam. cum pręsidiorum quędam magis, quædā mediocriter, quędam minus vehementia sint, & vtcunq; semper in latitudine quadam. Vnde Hipp 7. aph. vlt. dicebat, quęcunq; medicamentis non curantur, ferrum curare: quę ferro non curantur, ignem sanare: quę igne non curantur, ea existimare oportere immedicabilia. Quæ nam verò sint huiusmodi remedia magna, & vehementia, non est hic dicendi locus.

De

De morbi more, & motu, cur in curatione considerari debeant.

Cap. XIV.

QVi methodicè morbos curare volunt, pręter eorundem essentiam, & magnitudinem contemplari etiam debent morem, & motum, quoniam horum consideratio ad curationem rectè instituendam, nimirum ad remedia opportuna inuenienda, & ad eorum rectum vsum maximè confert, & summopere necessaria est.

Mos morbi considerãdus.

Quare si de morbi more sermo sit, huius respectu morbus dicitur vel benignus, vel malignus: si benignus fuerit, tunc eius mos non trahit medicum ad sui considerationem: at si malignitatem secum coniunctam habuerit, quid agendum sit, non adeò facilè cognosci potest. Nam etiamsi malus mos, cum sit quędam passio morbo inexistẽs, ratione cuius magnus, & periculosus euadit, indicet sui ablatiouem per contraria: attamen indicatio hęc est inutilis, quoniam indicatur pręsidium, cuius materia non reperitur, nimirum auferens malignitatem ipsam.

Malignitatis causæ duæ. Prima.

Quocirca inuestigandæ sunt malignitatis causę, vt ab ipsis vtiles indicationes desumentes cognoscere possimus, quid agendum sit pro morbi malo more auferendo: quę autem referuntur vel in morbificam causam, vel partem affectã: in morbi quidem causam, vt puta, in febribus putridis mali moris. Nam febres istæ interdũ malignę efficiuntur, q.a putrescentes humores vel malã qualitatem acquirunt, vel, cum eis minimè dominetur natura, sponte feruntur in aliquam partem, vt inde subsequantur symptomata nõ contemnenda, sicuti deliria, conuulsiones, syncope, & huiusmodi.

Secunda.

Rursus morbi maligni redduntur ratione partis: sic Gal. 4 method. 6. vulnera accepta in articulis maligna fieri ex ipsa vulneratarum partium natura asserit. Vbi etenim tendones, & nerui, & carne vacua, atque ossea loca sunt, hic doloris, vigiliarum, conuulsionum, & delirij periculum instat. Amplius 1. de comp. med. per gen. cap. 18. vlcera illa maligna vocat, quando pars affecta talem contraxerit dispositionem, vt etiamsi boni succi ad ipsam ferãtur, eos tamen corrumpat, & in prauos conuertat.

Cum itaque morbi malignitas pendeat à causa morbifica, aut à parte affecta, quid agendum sit pro morbi malignitate auferenda, vt omnia suis locis considerentur, & confusionem euitemus, partim ex affecta parte, partim ex morbifica causa desumendum erit. Quatenus ad affectam partem spectat, id illi contingit ob intemperiem non quacunque, sed insignem, vt docuit Galen. 4. method. 2. quare indicatio ab hac capienda. De morbifica autem causa sequenti libro agemus.

Cur morbi motus considerari debeat.

Denique si morbi motum contemplemur, hic etiam necessariò à medio in morborum curatione considerari debet, non quia aliquid indicet: siquidem cum neque sui ablationem, neque conseruationem indicet, ergo nihil indicabit. Ex Gal. etenim lib. de optima secta ad Thrasyb. cap. 45. omne indicans vel sui conseruationẽ, vel sui ablationẽ indicat. Verum ideo considerãdus est morbi motus, quia ex eius cognitione poterit medicus oppotunã arripere agendorum occasionem, circa quam, vt docuit Gal. 1. ad Glauc. 1. pręcepitem

P admo-

admodum existentem, cum præ omnibus cognitu sit difficillima, plerunque medicos non modo vulgares, sed etiam pręcellentes aberrare contingit. Vnde Hippocr.lib.de decenti ornatu dicebat, neglecta ea, quæ circa temporis occasionem administrare oportebat, impetu suo progressa occupare, ac perimere.

Quid agendu in morbis acutis.

Porrò ratione motus morborum quidam acuti, alii tardi dicuntur. In acutis acri iudicio, & subita, sed tuta deliberatione opus est, cum in istis temporis momento maximę fiant mutationes, & ideo agendorum occasio valde momentanea existit, vt qui eam opportunè arripere nouerit, optimus, atque eximius existimari possit medicus. Dicebat enim Hipp. 1. acutorum 8. maximè illum medicum laudari debere, qui in morbis acutis, vi quorum plurimi hominum enecantur, insigniter præ cæteris in melius procedat. Nam in acutis morbis sæpe contingit, vt illud idem præsidium, quod opportunè administratum ægrotanti salutem affert, si aut inopportunè adhibeatur, aut prætermittatur, sit causa necis. Hinc Hippocr. 4. aphorism. 10. iubebat in valde acutis eadem die medicari oportere, si materia turget. Tardare enim in talibus malum est.

Quę animaduertēda in morbis tardi motus.

Quare cum occasio sit adeo pręceps in acutis morbis, & ferè momentanea, oportet, vt dicebam, medicum esse valde occulatum, & acri iudicio præditum, vt illicò, sed tutò determinare possit, quid sit agendum. Quoniam nonnunquā tota benè agendi uis in momento posita est, vt semel elapsa amplius arripi nequeat. Qua de causa Celsus lib. 3. cap. 1. eleganter scripsit, magis ignoscendum medico esse parum proficienti in acutis morbis, quàm in longis. Ibi enim breue spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, æger extinguitur. Hic & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet.

At in morbis tardi motus, cum dent indutias, & præ sui tarditate in ipsis nō sit præceps agendorum occasio, medicus non valde difficulter arripere poterit opportunum præsidiorum administrandorū tempus, cum latitudinem nō paucam habeat. Id tamen semper præ oculis habere, & animaduertere debet, nè morbos ex propria natura tardos inopportunè adhibitis remedijs celeriter curare tentet: quoniam non fiet voti compos, sed potius morbum contumaciorem reddet, & ægrotantis vires resoluet. Quæ causa fuit, vt Galen. 1. ad Glauc. 11. scripserit quartanas febres à principio mitius tractandas esse. Perperam igitur agunt, qui in morbis tardis curationem celeriter peragere tentant. Nam curatio celerior, quàm morbi tarditas exigat, morbum non aufert, sed vires eneruat, & interdum affectum ex sua natura tardè tamen ad salutem terminaturum adeo exacerbare potest, vt ante tempus mortem ęgrotanti afferat. Quare acuties, aut tarditas morborum curationes aut celeriter, aut tardè peragendas esse insinuant.

Qua ratione temperies in curatione indicet. Cap. XV.

TRia esse illa, à quibus curatoriæ indicationes desumuntur ex Gal. sententia ostensum fuit supra cap. 6. nimirum morbum, temperamentum, & aerem nos ambientem. De morbo hucusque egimus, nunc temperies consideranda, & videndum, quid indicet in morborum curatione.

Qua ratione tẽperies indicet aliorum opin.

Temperiem, siue totius, siue alicuius partis morbo laborantis necessariò considerari debere in affectuũ curatione omnes, qui Gal. doctrinam sequuntur, existimant: at qua ratione indicet, non omnes idem sentiunt. Siquidem nonnulli arbitrantur temperiem non indicare nisi sub ratione signi, quo cognoscentes, quantùm recesserit morbus à naturali statu, tantùm in oppositũ alterandum esse comprehendamus. Ex altera parte quidam credunt temperaturam interdum indicare sub ratione signi, nonnunquam verò sub ratione indicantis vitalis: atque dicunt hanc esse Gal. sententiam 9. meth. cap. 14. & 3. method. 9. Nam 9. method. respicit potius ad curationem febris, in qua temperies totius habet rationem signi: at 3. method. loquitur de curatione vlceris, in qua naturalis temperatura partis habet rationem indicantis vitalis.

Pro huius rei determinatiõe duo supponuntur.

Ego aliorum opinionibus prætermissis, vt quantùm fieri potest, tempus circa inutiles, & logicas quæstiones non conteratur, dicam solum, quid ex Gal. mente sentiendum esse existimem de indicatione à temperamento desumpta. Pro hujus autem rei faciliori intelligentia duo supponenda sunt.

1. Fundamentum.

Alterum est, interim cum Gal. temperiẽ naturalẽ siue totius, siue alicuius determinatæ partis, siue temperatam, siue intemperatam non considerari tanquam indicans vitale, sed tanquam indicans curatorium, quatenus scilicet ab ipsa curatorias indicationes desumendas esse docuit Gal. Fateor temperiem, cum sit vna ex rebus naturalibus, reponi debere inter indicantia vitalia, de quibus lib. 5. agam, & perpetuò in morborum curatione indicare sui conseruationem per similia. At interea hac vitali indicatione prętermissa, cũ de hac non sit sermo, sed solùm de indicationibus curatoriis, contemplari operę pretium est, qua ratione naturalis temperatura indicet in curatione morborum, & quomodo necessariò concurrat ad remediorum inuentionem.

2. Fundamentum.

Alterum, quod suppono est, naturale temperamentum diuersimodè indicare ratione diuersitatis morborum, quorum curationem aggredimur. Nam vel erunt morbi in intemperie, vel diuersi, quicunque deinde fuerint, siue in mala conformatione, siue soluta vnitate, dummodò tamen aliqua ratione indicent remedia, quæ etiam habeant vim calefaciendi, vel refrigerandi, aut quocunque alio modo corpus alterandi.

Temperies quando indicet solũ sub ratione signi.

Hoc stante dico temperaturam naturalem in morbis ab intemperie diuersis, qui tamen aliqua ratione nisi per se saltem ratione causę expostulent remedia, vel refrigerantia, vel calefacientia, aut humectãtia, aut siccantia, indicare sub ratione signi, ita vt sine temperiei cognitione non liceat inuenire remedia, quæ sint ex vsu. Hoc declaro exemplo.

Declaratur exemplo.

Laboret aliqua pars vlcere, quæ tamen seruet natiuam temperiem, siue modò temperies hæc temperata, siue intemperata existat. Certum est ex Gal. doctrina 3. meth. 3. in vlcere duo esse excrementa, vnum tenuius, alterum crassius, hoc detergentia, illud siccantia remedia expostulare. Certum pariter est ex eodem Gal. 3. method. cap. 9. primam medicationis indicationem desumi à solo affectu, remedia tamen inde inueniri non posse, nisi prius cognita afflictę partis temperatura. Quare cum siccantium medicamentorum, quędam magis, quædam minus, siccent, partim ex vlcerum diuersitate, partim ex ægræ particulę natura, quod expedit, de-

sumi debet. Vnde si qua sunt vlcera, quibus par est humiditas, quod in sicciore corporis membro consistit, vtique magis siccari postulat: quod in humidiore, hoc sanè minus, quò natura naturę interest. Et rursus si temperatũ fuerit corpus, nihil planè quantùm ad laborantis naturam attinet, in medicamentis nouare debemus: vbi verò vel siccius, vel humidius, vel calidius, vel frigidius iustò cernitur, eatenus intendere vires medicamentorum oportet, quatenus corpus ad naturalem intemperiem est versum. Quę omnia desumpta sunt à Gal. 3. meth. 3. & 9. quæq. docent tẽperaturam naturalem indicare sub ratione signi, quo cognoscere possimus, quantùm in vlceribus siccandum, aut etiã, si opus fuerit, calefaciendum, vel refrigerandũ sit. Quocirca, vt testatur idem Gal. 3. meth. 8. legitimi vlceratarum partiũ temperamenti, quoties eas, vel carne implere, vel glutinare, vel cicatricẽ inducere studes, maior tibi solicitudo erit.

Temperies quando indicet non solum sub ratione signi, sed et sub ratione indicantis.

Verùm si morbus fuerit in intemperie, tunc dico naturalem temperaturã, quæ illo tempore fuit, quo quis ægrotare incepit, in curatione huius morbosæ intemperiei indicare non solum sub ratione signi, sed etiam sub ratione indicantis eadem remedia, quæ à morbosa intemperie indicantur, licet contrario modo id præstet, vt colligitur ex Gal. 9. meth. 14. & 15.

Ostenditur Gal. authoritate.

Primo sub ratione signi.

Et quòd indicationem prębeat tanquam signum, omnes norunt, quia est impossibile, vt quantũ refrigerandũ, vel calefaciendum sit, cognoscamus, nisi nouerimus quantùm morbosa intemperies recedat à naturali temperamento. Vt iure dixerit Gal. in febrium curatione nos inuenire quantitatem auxilij ex conferendo cum naturali habitu morbum: quippe quantùm is à naturali habitu recessit, tantùm opus est, ægrum refrigeres, & humectes. Quare dicunt Gal. hoc in loco voluisse corporis temperamentum considerari debere tanquam signum recessus à naturali statu.

2. sub ratione indicantis.

At credo ex eiusdẽ Gal. sententia temperiem, tunc non solum habere rationem signi, sed etiam indicantis eadem remedia, quæ à febre indicantur, sed contrario modo, quia febris, cum sit pręter naturam, illa indicat, vt auferatur: temperies verò illa eadem requirit, vt ad pristinum, & naturalem statum reducatur.

Hoc autem colligo, vt dixi, ex Gal. locis citatis, vbi ait morbum, & sanitatem, (per quam, vt quilibet videre potest, ibi intelligit naturale temperamentum) esse corporis affectus, ille se tollendum, hęc se tuendam indicat; nõ potest autem temperies tueri, seu redire ad naturalem, & pristinum statũ, nisi per morbi ablationem. Quoniam nil aliud est ipsa sanatio, quàm pręsentis in corpore vitiosi affectus in naturalẽ habitũ mutatio: quælibet autẽ mutatio est à termino à quo ad terminũ ad quẽ, terminus à quo est morbus, nempe intemperies, (de hac enim in præsenti est sermo) terminus ad quem est naturalis temperies. Quare cum contrarij sint hi affectus, & termini necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio: ambo itaq. curationem, & sanationẽ indicant: sed alter, vt auferatur: alter vt conseruetur, seu ad pristinum reducatur statum.

Quopropter auxilia indicantur à morbo, & à naturali corporis temperamento, & necessariò ambo ad eorum indicationem, sed contrario modo concurrunt. Nam morbus auferri nequit, nisi temperies ad pristinam naturam reducatur: neque hęc in pristinum restitui potest, nisi per morbi ablationem: atque insuper quibus remedijs aufertur morbus, iisdem ad naturalem

statum

ſtatum traducitur temperies, ergo eadem remedia ab vtriſq. indicabuntur, diuerſimodè tamen, vt dictum fuit. Quare ex vtriſq. vt ait Gal. curationis indicatio prҿſtatur.

Concludendum itaq; eſt naturale temperamentum ſemper indicare ſub ratione ſigni in quibuſcunq; præter naturam affectibus, qui requirant remedia, vel calefacientia, vel refrigerantia, vel humectantia, vel exſiccantia aut per ſe, aut ſaltem ratione cauſæ. Propterea quod neſcire poterit medicus ponere modum alterantibus, niſi cognouerit natiuam, vel totius, vel partium temperaturam. At ſi affectus fuerint in intemperie ſiue ſoli, ſiue cum aliis diuerſis iuncti, tunc naturale temperamentum reſpectu morborum in intemperie non ſolū indicabit ſub ratione ſigni, ſed etiam ſub ratione indicantis illamet præſidia, quæ indicantur à gradibus præternaturalibus ſuperadditis, vel caloris, vel frigiditatis, vel humiditatis, vel ſiccitatis, quoniam iſti indicant remedia oppoſita, vt auferantur: naturales verò gradus illa eadem expoſtulāt, vt reducantur ad priſtinum ſtatum. *Conclusio veritatis.*

Ex quibus omnibus deniq; noto medicos maximè oculatos eſſe debere in exhibitione remediorum generoſiorum, quæ habeant maximam vim alterandi vniuerſum corpus, vel eius partes, vt quantùm fieri poteſt, cognita naturali temperie, ſciant ponere modum alterantibus auxilijs. Nam interdum ſimilia medicamenta adeo peruertunt, ſicuti in praxi ego obſeruaui, naturale temperamentum, vel totius corporis, vel alicuius determinatæ partis, vt in poſterum patientes inſalubrem vitam degant. Iure itaque Galenus dixit curatorias indicationes non ſolum ab affectu, ſed etiam à temperamento deſumendas eſſe. *Notandū.*

Proponuntur Argenterij rationes oſtendentes temperiem non indicare curationem.

Cap. XVI.

SI omnes, qui de facultate medica ſcripſerunt, ſolam veritatem ſibi ante oculos propoſuiſſent, atque contradicendi libidine perciti Gal. dogmata deſtruere minimè tentaſſent: ſed potius eius doctrinam, quҿ penè diuina exiſtens tot iam ſæculis ferè ab omnibus amplexa fuit, declarare conati fuiſſent: profectò artem hanc alioqui longam, atque difficilem cognitu, difficiliorem, & longiorem non reddidiſſent, ſed breuiorem, & faciliorem. Quoniam, præterquamquod maius lumen Galenicæ doctrinæ addidiſſent, non eſſent coacti, qui Gal. ſibi ducem elegerunt, tempus conterere in redarguendis eorum rationibus, vt eum à calumnijs tuerentur. Quemadmodum in præſenti cogor ego Argenterij rationes demoliri, quibus probare contendit temperiem non indicare curationem, vt in antecedenti capite ex Gal. mente declaratum fuit.

Prima itaq; Argenterij ratio oſtendens temperiem non indicare, quæ habetur lib. 2. de officijs medici cap. 7. talis eſt. Gal. 4. meth. 3. acerrimè inuehitur aduerſus methodicos, dum probare nititur, eos hallucinari, quòd ab externa cauſa, quæ morbos peperit, indicationem ſumerent, hoc argumento adductus, quòd à nullo eorum, quæ amplius non permanent, indicatio ſumi debeat. Fatetur tamen morbi cauſam externam oſtendere, qualis ſit affectus, quem ea excitauit. *1. Ratio oſtendens tēperiem nō indicarē.*

sitauit. Quod si ita est, cur ab eo scriptum est 9. meth. cap. 14. corporis temperamentum, quod fuit, antequam homo laboraret, curationem indicare? Nam si ratio hæc facit, quòd ea, quæ iam abierunt, & amplius non adsunt, indicare nequeant, temere igitur inter indicantia temperamẽtum, quod amplius præsens non est, enumerat.

2. Ratio. Secunda ratio idem demonstrans, quam cap. 10. eiusdem libri proponit, talis est. Cum Gal. 11. meth. 13. & passim alibi scribat, vnum semper vnum indicare, quoniam vnaquæq; res vnicam habet naturam: & eos, qui id ignorant, refert non posse medendi, & conseruandę sanitatis methodum constituere, quòd malis nitantur fundamentis: oportebat sanè huius principij eum memorem esse, nec vnum ad plura, diuersiq; generis indicanda assumere, aut alioqui huiusmodi methodum non aggredi, quæ (vt ait) hoc principio neglecto constare nequit. Quare, cum temperamentum sit secundum naturam, & nobis familiare, ex quo sequitur, id sui conseruationem, & tutelam perpetuò indicare, curationem, aut remedia, vel illorum quantitatẽ, aut qualitatẽ nequaquam indicabit: si modò idem sui ablationem, & conseruationem simul expostulare nequit. Nam quod secundum naturam est, nunquam non desiderat sui conseruationem. At quomodo curationem, quæ morbis debetur indicabit vnquam? Quomodo illa eadem, quę nobis sunt familiaria, indicabunt remedia, si conseruationem indicant, quæ victu peragitur, remedijs autẽ mutatio prioris status in alium contingit?

3. Ratio. Tertia ratio pariter continetur eodem cap. 10. & est huiusmodi. Quomodo quæso temperies curationem indicabit, si vires nullam indicationem curatoriam (vt ille 9. lib. meth. scribit) præbere possunt? Sunt enim similiter secundum naturam tum vires, tum ipsa naturalis temperies, vt non magis hæc, quã illę curationem indicare queant.

Soluuntur Argenterij rationes.
Cap. XVII.

QVI in Gal. doctrina versati sunt, & minimè logicis disputationibus, sed veritatis inquisitioni incumbunt, facilè cognoscere poterunt, quàm leues sint rationes ab Argenterio aduersus Gal. doctrinam propositæ in antecedenti capite, & quàm facilè solui possint.

Soluitur 1. ratio. Vnde ad primam rationem, cum dicitur, ex Gal. à causa externa non sumitur indicatio, quia præsens non est, nec amplius permanet, sed temperamentũ, quando aliquis ægrotat, non amplius permanet, ergo neq; ab ipso sumi debet indicatio, neganda est minor propositio: & ad probationem, quando additur ex Gal. 9. meth. cap. 14. dicente corporis temperamentũ, quod fuit, ante quàm homo laboraret, curationem indicare, ergo si fuit, non est amplius. Respondeo negandam esse consequentiam. Siquidem non abiit temperamentum, sed adest etiam, quando homo ægrotat: hæc autem est differentia, quòd antequam ęgrotaret, erat secundum naturam, non mutatum, non alteratum: at temperamentum, quod fuit secundum naturam illo tempore, quo ægrotare cępit, non est amplius secundum naturam ægrotationis tempore, sed alteratum, & mutatum secundum gradus. Nam temperamento naturali superadditi fuerunt alii gradus præter naturam, vel dempti naturales: Superadditi quidem,

vt si quis exempli gratia prȩditus naturali temperamento calido febre corripiatur, quia intẽditur calidum illud naturale temperamentum penes gradus: dempti verò, si contingat quempiam prædítum natiua temperie calida in morbum frigidum incidere, quoniam naturalis temperamenti calidi gradus auferuntur.

Ratio autem, propterquam dixit Gal. considerandam esse temperiem corporis, quæ illo tempore fuit, quo ægrotare cȩpit, est hȩc: nè quis scilicet arbitraretur in ȩgrotantibus contemplandam esse solùm moderatam, & optimam temperiem, ita vt quantùm ab hac recesserit morbus, tantùm sit alterandum. Non etenim hæc tantummodò consideranda est, sed præsertim contemplari debemus temperiem illam, quæ tunc temporis præsens est, siue talis fuerit ab origine, siue à consuetudine, vel ætate contracta, siue temperata, siue intemperata, dummodo sit intra sanitatis limites. Nam hȩc illa est, quæ in ȩgrotis seruari debet, quoniam præsens est licet mutata, & alterata, vt manifestè colligi potest ex Gal. 11. meth. 3.

Cur considerãda sit temperies, quȩ fuit ab initio ægrotatiõis.

Quare non est inferendum per verbum ilud, *fuit*, intellexisse temperamentum non amplius prȩsens esse, sed iam prȩterijsse. Quoniam nil aliud sibi voluit Gal. nisi quòd temperamentũ, quo prȩditus ȩgrotans fuit ab initio morbi, à medico considerari debet, quia illud est, quod adhuc prȩsẽte morbo prȩsens est, aliqua tamen ratione alterarum. Quocirca, vt ad pristinum statum redeat, indicat simul cum morbo gradum remedij alterantis, quod habeat facultatẽ remouendi morbũ, & reducendi temperamentũ ad naturalem statũ.

Respondetur 3. rationi.

Causa verò externa, quȩ morbum produxit, cum præsens non, sit nil poterit ex vsu indicare; quia cum sit præter naturam, si quicquam indicaret, profectò sui ablationẽ requireret. cum itaq. iam fuerit ablata, nõ amplius sui ablationem indicabit, nihil igitur indicare poterit, nisi tamquam signum. Nam externa causa cognita non conducit ad curationis indicationem, sed ad prȩsentis affectus cognitionem, vt infra lib 4. dicemus, dum de caussis erit sermo.

Causa externa cur non indicet.

Secundam rationem sic soluendam esse existimo dicẽs verissimum esse vnũ eodem modo consideratũ semper vnum indicare, non autem plura, & diuersa. Cum autem dicitur, si hoc verum est, quomodo igitur temperies, cum sit vnũ quoddam, & secundum naturam poterit indicare diuersa, nimirum sui conseruationem, & curationem; quando idem sui ablationem, & conseruationem simul expostulare nequeat?

Tollitur 2 ratio.

Respondeo vnum secundum eandem significationem captum semper indicare vnum: nil tamen vetat, quin diuersimodè sumptum diuersa possit indicare. Vnde quatenus ad rem nostram pertinet, temperies diuersimodè cõsiderata diuersa quoque poterit indicare, nimirum sui conseruationem, & curationem. Nam cum sit vel secundum naturam, vel præter naturam: quæ secundum naturam est, si consideratur, pro vt est indicans vitale, profectò indicabit sui conseruationem per similia, si verò consideretur tanquam signum quo cognoscimus, quantùm recesserit morbus à naturali statu, tunc curationem indicare dicetur, quatenus tanquàm signum necessariò concurrit ad remediorum inuentionem, vt scilicet cognoscere possimus, quantùm sit alterandum. Quòd si morbosa fuerit, iam illius gradus prȩternaturales, & superadditi, cum morbosi sint, indicabunt sui ablationem per contraria præsidia: gradus verò naturales illa eadem auxilia expostulabunt, sed contrario modo, vt scilicet ad pristinum reducantur statum.

Quomodo vnum indicare possit diuersa.

Patet

Patet igitur, quomodo vnum diuersimodè consideratum plura, & diuersa, indicare possit: & qua ratione vnum à pluribus diuerso tamen modo indicetur: insuper manifestum est, quo pacto temperies, etiam si remedia indicet ea non requirat, vt auferatur, sed vt traducatur ad naturalem statum, quare non sequitur eam indicare simul sui ablationem, & conseruationem. Fuit itaque Gal. semper suorum principiorum memor, & nusquam vnum ad plura diuersique generis indicanda assumpsit, nisi id diuerso consideretur modo.

Conseruationem interdum fieri per remedia.

Cum verò addit, quomodo illa eadem, quę nobis sunt familiaria, indicabunt remedia, si conseruationem indicant, quę victu peragitur? Respondeo in primis falsum esse cõseruationem omnẽ fieri ꝑ victum. Nam fit etiam per alia, quę remedij sustinent rationem, vt videre licet apud Gal. 11. meth. 15. lib. ad Thrasyb. cap. 40. 1. de san. tuen. cap. vlt. & alibi. Pręterea dico illa, quæ nobis familiaria sunt, quando sunt secundum naturam, nec vlla ratione mutata, vel alterata indicare sui conseruationem per similia: siue id efficiatur per alimenta, somnũ, vigiliam, quietem, motum, aerem, & si qua alia sunt huius generis: & quando sunt pręter naturam alterata, & mutata, indicant sui reductionem ad pristinum statum tum per rationem uictus, tum per remedia, quæ id pręstare possint.

Respondetur 3. rationi.

Soluitur tertia ratio, si concedamus quidem vires, & temperamentum esse secundum naturam, attamen non esse vtrorunque parem rationem. Nam à viribus ex Gal. 1. meth. 13. neq. vt valeamus, neq. vt à morbis liberemur, quicquam primùm desumimus, sed vt viuamus: temperies verò consideratur, vt à morbis liberemur, & vt sani simus. Insuper vires præcipuè considerantur in euacuatione facienda, hęc autem indicatur à causa morbifica, quę est indicans pærseuatorium, de quo libro 4. vbi considerabimus etiam, quomodo vires concurrant, & quam indicationem pręstent. At temperies consideratur pręsertim in morborum ablatione, non tamen omnium, sed eorum, qui in intemperie consistunt, aut si diuersi fuerint, alia saltem ratione alterantia remedia requirunt. Quapropter etiam si tàm vires, quàm temperies sint secundum naturam, & vtræq. indicent sui conseruationem: attamen in pręternaturalium affectuũ ablatione diuersam præbent indicationem, quia vires pręsertim in euacuatione considerantur, temperies verò in morborum curatione.

Quomodo ægrotantis natura, ætas, vitæ studia, & huiusmodi in morborum curatione indicare dicantur.

Cap. XVIII.

QVa ratione temperies sit vnum ex tribus indicantibus curatorijs, & quo modo indicet, ex dictis liquet. Verum quoniam ex hac in partes diducta alię suboriuntur indicationes, vt docuit Gal. 9. meth. 14. ideo considerandum quoq. est quę nam sint isthęc, in quę temperies diuidi possit, & quo pacto in morborum curatione indicare dicantur.

A Gal. itaque 9. meth. cap. 14. & 15. enumeratur ægrotantis natura, ætas, consuetudo, tota anteacta vita, quæ nimirum in uitæ exercitio, & victus ratione consistit: itẽ aer nos ambiens, siue conuersatio in hac regione, & hoc annì tempore, & hoc cæli statu. Quę sanè omnia, consuetudine excepta, de qua seorsim sequenti capite agemus, quomodo in affectuum curatione indicent, contemplari oportet.

Qua-

Quapropter cum Gal. dico hæc omnia iam enarrata ad morborum curationem dupliciter concurrere: primò tanquam signa demonstrantia qualis sit corporis temperies: secundò tanquam causas mutantes, & alterantes naturalem temperiem, & adscititiam inducentes.

Ætas, consuetudo, & huiusmodi dupliciter cōcurrunt ad morborum curationem.

Et primò quòd cōcurrant tanquam signa, quæ nos doceant, qualis sit temperies, qua præditus est ægrotans eo tempore, quo ægrotare cępit, ita vt indicent sub ratione signi, docuit Gal. 9. meth. cap. 15 vbi hæc habet. Cæterum, quoniam nosci ad vnguem oportet corporum temperamenta, id verò est planè difficile, vtique tentandum est tum ex ijs, quæ in libro de temperamentis sunt scripta ea inuenire, tum verò vltra hæc, quò magis scientifica notitia sit ex ætate, & tota anteacta vita, quæ nimirum in vitæ exercitio, & victus ratione cōsistit: præterea in hac regione, & hoc anni tempore, & hoc statu cęli conuersatione. Si nanque natura gracilis, & tangenti calidus, & biliosus, & propensus ad iram, & hirtus sit, calidus hic, siccusque natura est. Non tamen necesse est nunc quoque, cum ægrotare incepit, eundem planè habere affectum: fieri enim potest, vt in desidia vixerit, idque cum frigidis, humidisque potione, & cibis, adhęc etiam cum balneis post cibos, & multo somno, pręterea in regione humida & frigida, & in hyeme, in qua frigidus, & humidus exuperabat cęli status. Rursus fieri potest, vt horum pręcesserint contraria, idest calefacientia, & siccantia, idque per singula dictorum jam generum. Ergo, si quo ad pręsens temperamentum noscendum deficimus, id ex pręeuntibus ipsis supplebimus, ex illo verò inuento administrandorum indicatio suppeditabitur.

1. tanquā signa.

Insuper quòd ętas, & vitę institutum, seu conditio concurrant etiam ad morborum curationem, quatenus causę inducentes adscititiam temperiem, clarè docuit Gal. 11. meth. cap. 1. cum dicat aduentitiam temperiem ad efficientes causas reductam illis indicationem concedere, quare ad hunc modum ex ętate, & vitę instituto indicationem remediorum suggeri.

2. tanquā causæ.

Quomodocūque autem hęc omnia considerentur, apud rationales medicos eorum cognitio est maximi vsus ad remediorum inuentionem, non quia remedia indicent, sed quia temperamenti interuentu eorundem quantitatem doceant. Cum etenim nec dici, nec scribi, nec omnino percipi possit auxiliorum quantitas ex Gal. 3. meth. 3. hinc artificiosa coniectura vtendum est, vt quantùm fieri potest ad iustam eorum mensuram propè accedamus. Id autem assequemur ex cognitione temperiei, siue totius corporis, siue alicuius determinatę partis, cum hæc præscribere possit, quantus si recessus a naturali statu, vt inde quantùm alterandum sit cognoscere valeamus. At quoniam corporum tēperamentum ad vnguem nouisse impossibile est, siue fuerit naturale, siue adscititium, ergo tentandum est proximè ad veritatē accedere, considerando ægri naturam, ætatem, consuetudinem, vitam anteactam, regionem cæli statū, anni tempus, vt ex omnibus istis eo, quo possumus, modo ægrotantis corporis, vel partis temperaturam agnoscamus, quoniam ex huius notitia alterantibus pręsidijs mensurā imponere sciemus. Quare iure Gal. hæc omnia temperamenti interuentu remediorum indicationem nobis suggerere dixit, quādo ab omnibus istis sumatur aliqua agendi, seu sequentis insinuatio.

Cur ætas, consuetudo, vita anteacta cæli status, & similia neceßaria sint ad remediorum inuentionem.

Noto ex Galen. 11. meth. cap. 1. temperiem bifariam diuidi, nimirum in originalem naturam, & in acquisititium affectum. Sæpe anim ab Hipp. & Gal. præsertim in lib. de natura humana temperamentum natura nostra vocatur

Temperies bifariā diuiditur.

catur. Quocirca 9. meth. citato corporis temperiem ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere ortum habere dixit: vbi per naturam intellexit originalem temperiem, idest à generationis principijs contractam: quæ verò vel ætate, vel consuetudine, vel couuersatione in tali cęli statu, anni, tempore, & regione, vel vitæ studiis acquiritur, adscititia temperies dicitur ad differentiã originalis. Siue itaque natiua fuerit temperatura, siue acquisititia, qua pręditus est ægrotans eo, quo ægrotare cępit, tempore, illa est, quæ à medico considerari debet vnà cum eis, quę illi cognata sunt.

Notandũ. Notandum insuper in pręsenti nos loqui de indicante curatorio, ad quod omnia iam enarrata interim referri debent eo, quo diximus, modo: Id quod sentiendum est etiam de consuetudine, & de aere; de quibus sequentibus capitibus erit sermo. Nam quando de indicante pręseruatorio sequenti libro loquemur, & agemus de indicantibus euacuationem, tunc alio modo ad indicandum concurrere videbimus ętatem, naturam, & vitę institutum, amplius consuetudinem, aerem, cęli statum, regionem, & anni tempus. Tunc etenim hęc ad vires referenda erunt, nunc autem temperiem respiciunt.

De consuetudine quomodo indicet.

Cap. XIX.

VErùm longè difficiliùs est declarare, quo pacto consuetudo indicet in morborum curatione: id igitur diligenter considerandum, cum habeat consuetudo pręcipuam vim in medicina facienda. Adeo vt Hippocr. in iudicandi facultate tribuat ei secundas partes, natura videlicet, seu temperie primas occupante ex Gal. com. 3. de ijs, quę in medicatrina fiunt tex. 20. In cuius rei confirmationem 7. meth. cap. 6. dicebat non modo in conualescentium victus ratione, sed etiam in morbis magnam partem ad totius victus, medicamentorumque inuentionem ex consuetudine sumi.

Consuetudo tripliciter consideratur in morborũ curatione. 1. tãquam altera natura. Existimo igitur ex Gal. mente consuetudinem ad morborum curationem tripliciter concurrere, & considerari posse: primò tanquam aduentitiam, & alteram naturam, atque temperiem: secundò tanquam causam mutantem, & alterantem corporis temperamentum naturale, & adscititium introducentem: tertiò tanquam signum demonstrans corporis, seu partium temperiem.

Et in primis quòd ab Hipp. & Gal. sumatur nonnunquam consuetudo pro aduentitia, & tanquam altera natura patet ex pluribus locis. Nam com. 3. de iis, quę in medicatrina fiunt citato, & 2. de temp. cap. 4. consuetudinem adscititium temperamentum, & aduentitiam naturam vocat. Amplius est illud Hippocr. 1. aph 16. victum humidum conuenire iis, qui tali victu vti consueuerũt, cuius sententię meminit Gal. 8. meth. vlt, dicens ex ipsa consuetudine indicationem aliquam sumi, cum Hipp. seruare hanc quoque iubeat, perinde ac proprium ætatis temperamentum. Quare cum consuetudo sumitur pro altera natura, & adscititio temperamento, si consideretur, tanquam indicans vitale, indicabit sui conseruationem per similia, non secus ac ipsa temperies ex Gal. loco nunc citato. At quia interim de vitali indicante non est sermo, ideo in morborum curatione capta pro aduentitia temperie eandem prębebit indicationem, quam supra cap. 15. temperaturam præstare diximus.

Quòd verò consuetudo interdum consideretur à Gal. veluti causa efficiens adsci-

adscititiæ temperaturæ colligi potest ex 11. meth. cap. 1. vbi diuidit temperiē in originalem naturam, & in acquisititium affectum: atque addit adscititium temperamentum ad efficientes causas reductum illis indicationem concedere, & ad hunc modum ex ætate, vitæ instituto, & consuetudine indicationem remediorum suggeri concludit: quoniam scilicet aduentitia temperies talis efficitur, aut ab ætate, aut à vitæ studijs, aut à consuetudine, siue ab omnibus, siue ab aliquibus. Et 9. meth. 14. dicebat temperiem, quæ illo tempore fuit, quo quis ægrotare cępit ex natura, ætate, & consuetudine ortum habere. 2. *Veluti causa adsci titię tēperiei.*

Tertiò tandem concurrit consuetudo ad morborum curationem veluti signum demonstrans corporis, & partium temperamentum. Hoc habetur apud Gal. 9. meth. cap. 16. vbi ait, si omnes temperamentorum notas in vnum colligas, has longissimè abesse, vt parem ei, quam consuetudo præstat, fidem faciant. Et paulò infra addit: videtur enim, non sicut alia quędam, exiguam, leuemque sed maximam, & maximè principalem vim habere, vt quę singulorum corporum naturam ostendat. Insuper 9. meth. cap. 5. loquens pariter de frigidæ potu consuetudinem tanquam signum proposuit. Atque 11. meth. 13. inquit ad dignoscenda temperamenta conferre ętatem, & consuetudinem. 3. *tāquam temperamenti signum.*

Vnde consuetudo his duobus vltimis modis considerata, vel scilicet tanquam causa efficiens temperamenti acquisititij, vel tanquam signum (quocunque enim modo capiatur semper retinet eandem naturam) media temperie agendorum insinuationem aliquam præbet ad eundem sanè modum, quo ętatem, vitę studia, & conuersationem in tali cęli statu, anni tempore, & regione indicationem quandam faciendorum prębere diximus. Quę tamen omnia adhuc clarius innotescent, si difficultates quasdam contra iam dicta proposuerimus, & soluerimus.

Dubitationes contra prædicta proponuntur.
Cap. XX.

SI vnquam Argenterius aduersus Gal. doctrinam dubitationes mouit, quę aliquid roboris pręseferrent, eę profectò sunt, quę lib. 2. de officiis medici cap. 7. contra prędicta adduxit. Ideo necessarium est breue aliquod tempus impendere in proponendis, & soluendis istis difficultatibus, vt Gal. doctrina magis elucescat.

Prima itaque difficultas ab eo allata talis est. Gal. 4. method. 3. inuehitur aduersus methodicos docens à causa externa nullam sumi indicationem hoc argumento adductus, quòd à nullo eorum, quę amplius non permanent, nec aliqua re egent indicatio sumi debeat: fatetur tamen morbi causam externam ostendere, qualis sit affectus, quem ea excitauit. Quod si ita est, eadem ratione, nec consuetudo, nec viuendi cōditio per morbos aliquid indicare poterūt. Quippe cum assuetis per sanitatem rebus amplius non vtamur, & solita vitæ munia ob vrgentem morbum omnia sint intermissa. Quamobrem si hæc ratio facit, quòd ea, quę iam abierunt, & amplius non adsunt, nec vlla re opus habent, indicare nequeant, temerè hęc inter indicantia enumeramus: aut si ea admittimus, conuincimur pariter externas morborum causas recipere. *Prima difficultas aduersus Galen. doctrinam.*

Secundò si concedit Galen. externam causam conferre ad affectus excitatos in corpore dignoscendos, concedat etiam oportet ab ea indicarionē capi. 2.

Nam ab ætate,sexu,consuetudine,viuendi conditione,corporis habitu, alijsq; multis indicationes ducit,non alia quidem ratione, quàm quòd ex illis signa petamus,quæ,qualis sit corporis status , ostendere valeant . Quod & ipse 9. meth.cap. 16.apertè testatur,consuetudinem scilicet, ac ætatem temperamenti interuentu,quòd nimirum monstrent,qualis sit corporis temperies,suas indicationes præbere. Itaque si causa externa non indicat,nec ergo ea,quæ prædiximus,indicabunt,à quibus tamen ille indicationes passim sumit.

3. Tertiò nonne clarè 11.meth.13 causam externã perinde vt consuetudinẽ, ætatem ad affectus dignotionem facere, & ob id ab omnibus illis indicationes accipi scribit: contrarium planè quàm fecerit 4.meth.3.citato,in quo externam causam ab indicantium numero excludit?

4. Quartò si nec consuetudinem , nec ætatem , nec causam externam verè indicare quis dicat,sed coindicare , signaque prębere ad corporis statum dignoscendum,quod apertè ipsemet Gal.5. de san.tuen.cap.10. memoriæ prodidit,verum quidem sentiet. Sed interim cur potius vnum , quàm alterum ex his, quæ eandem vim habent inter indicantia ponit, alijs exclusis ? Cur consuetudinem,ætatemque curationem indicare censet,externam autem causam minimè , si ille coindicantia cum indicantibus nescio qua licentia confundit : cur idem alijs , quos hoc nomine ineptissimos iudicat,facere non licebit?

5. Adaugeo ego difficultatem. Nam si ætas,consuetudo, & id genus alia, eo nomine à Gal.indicare dicuntur,quia docent , qualis sit corporis temperies, quæ deinde nobis insinuat agendorum mensuram:cur etiam signa morbos, & morbificas causas ostendentia ea prorsus ratione indicare fateri non licebit, cum non minus nos deducant in indicantium cognitionem,quàm faciat ætas, consuetudo, & vitæ conditio ? Quod tamen ab omnibus absurdum existimaretur.

Soluuntur prædictæ dubitationes .

Cap. XXI.

NOn adeo facilè solui possunt difficultates ab Argenterio propositæ,quibus destruere tentat Gal.dogmata,vt fortasse nonnulli existimarunt. Propterea vt eas prorsus tollere,& Galen. tueri valeam, duo prius supponere decreui.

Primum suppositũ. Primò itaque suppono ex Gal.sententia 9.meth.cap.7. quicqnid conducere quomodolibet videtur ad auxiliorum inuentionem , id fatendum ad morborum curationem necessarium esse:seu malumus dicere illud omne,à quo aliqua agendi insinuatio desumi potest,remediorum indicationem quandã præbere.Nam hæc est cõmunissima indicationis significatio,quæ extenditur etiam ad illa,quæ non sunt inter verè , & propriè dicta indicantia connumeranda , sed,quò indicantia vocari possint sat est,vt agẽdorum aliquam insinuationem præscribant : siue modò indicantia aut quocunque alio nomine ea appellare volueris , spretis interim iuxta Gal.sententiam nominibus , quibus ne dum veteres,sed etiã nostri temporis medici tantopere addicti esse videntur. Quare exceptis morbo,morbi causa,& viribus,quę tria tantũ verè,& propriè indicãt, cũ de se,& nõ de alio indicẽt, quęcunq.ad remediorũ,seu inuentionẽ,seu rectã administrationẽ quomodolibet cõducunt,siue id præstẽt sub ratione signi,siue causæ,

causę, seu quocunq. alio modo, ea omnia à Gal. indicare dicuntur. Quæ verò agendorum aliquam insinuationem prębere nequeunt, à Gal. ab indicantium numero iure excluduntur.

Suppono secundò de ratione, & essentia signorum non esse vt scilicet quatenus signa sunt, ab ipsis aliqua indicatio agendorum sumatur, siquidem illorum ratio est, vt ea, quę occulta nobis sunt, manifestent. Propterea si hęc nō est signorum essentia, vt indicent, (sumpto indicationis nomine pro agendorum insinuatione) ergo id illis accidet, non igitur necessarium est, vt omnia, quæ signi rationem induunt, indicent, quare quædam tantùm indicare, quædam verò minimè indicare poterunt. Indicabunt ea, quæ ad auxiliorū inuentionem aliquo pacto conducere videbuntur, non indicabunt ea, quæ ad inuenienda remedia minimè concurrunt.

2. Suppositum.

His ita suppositis, vt prima tollatur difficultas, sciendum est Galen. 4. method. 3. non contra methodicos, sed contra empiricos disputare, & ostendere à causa externa nullam sumi indicationem curationis, aut prouidentię: non quidem curationis, quia hæc à morbo capitur: non prouidentiæ quoniam causa hæc externa, quæ morbum produxit, iam abiit, nec amplius præsens est: prouidentiæ verò indicatio desumitur à causa pręsente, fouente, & generante morbum: Quapropter cum externa causa, vt puta vigiliæ, immoderatus motus, iam abierit, nulla ratione indicare poterit, quia quod præsens nō est, neque sui ablationem, neque cōseruationem præscribere valet. Et re vera ita omnino sentiendum est.

Cur à ea causa externa nulla sumatur indicatio.

Et, quando infert Argenterius, ergo nec consuetudo, nec viuendi conditio aliquid indicare poterunt, cum amplius non adsint, respondeo Gal. non considerare consuetudinem, & viuendi conditionem tanquam causas, quæ iam abierint. Nam licet ægrotantes assuetis per sanitatem rebus amplius nō vtantùr, & solita vitæ munia ob vrgentem morbum prætermissa fuerint, permanet tamen dispositio, seu habitus, seu temperies ab istis in ęgrotantis corpus introducta, quæ neque perfectè cognosci, neque quam vim in indicando habeat sciri potest, nisi ex consuetudinis, & uitæ conditionis, & reliquorum huius census consideratione, quàm diu scilicet perdurauerint, & quam actiuitatem habuerint, manifestum fiat. Nam ex diutino, vel breui eorum vsu, aut magna, seu parua actiuitate cognoscimus temperiem ab eis introductam, qualis, & quanta fuerit, quando quis ęgrotare incepit: qualis scilicet, an calida, uel frigida, vel alia quæpiam: quanta verò, idest quantùm mutata, vel alterata natiua temperies, & per consequens quantū ad scititia ab ipsa euariet, vt inde modum alterantibus pręsidijs imponere sciamus. Rationabiliter igitur à Gal. statutum fuit hæc omnia temperiei interuentu remediorum indicationem præbere.

Soluitur prima difficultas.

At causa externa excitato morbo cum non sit amplius præsens, ideo nullam indicationem præbet, neque ex illius consideratione quicquam, quod vtile sit pro morborum curatione elicere possumus: sed solùm ad eos affectus, qui nostram notitiam fugiunt, externæ causæ cognitio est vtilis. Per exemplum, si quis laboret sputo sanguinis, neque certa adsint signa, quæ ostendant, an id eueniat, vel venę tunica diuisa, seu disrupta, aut aperto eius ore, percontantes de externa causa, si videlicet præcesserit vel casus ab alto, aut magna vociferatio, aut æger graue aliquod onus sustulerit, tunc certiores facti iudicabimus sputum sanguinis eriri à uenę ruptione, à qua deinde indicatio

Causa externa facit ad certiorem affectuum cognitionē.

agendorum

agendorum sumenda erit minimè verò à causa externa, cum hæc pro curatione nil vtile ostendat.

Tolitur secunda dubitatio

Secundæ dubitationi respondeo non esse parem rationem externę causæ, & ætatis, consuetudinis, uitę conditionis, & cæterorum. Nam externa causa sustinet tantùm rationem signi, quo affectus nobis ignoti manifestentur, qui si ex proprijs signis noti ferint, vt sępissime contingit, de externa causa nō essemus amplius soliciti. At prædicta non solùm tanquam signa, quæ tamen semper, & necessariò considerari debent, demonstrant pręsentem corporis tēperiem, sed concurrunt etiam tanquam causæ afficientes, vel de se permanentes, sicuti ętas, quæ præsens est, vel respectu habituum, seu temperiei adscititię, quam introduxerunt, & ita, eo quo dictum fuit, modo remediorum indicationem prębent. Siquidem hæc omnia interse consentiunt, & in idem prorsus conspirant, quare etiam horum omnium cognitio necessaria est pro agendorū inuentione. Id quod expressit Gal. 11. meth. cap. 1. hisce verbis. Sępe autem adscititia temperies ad efficientes causas reducta illis indicationem concedit. Ad hunc itaq. modū ex ętate, vitę instituto, & consuetudine indicationem remediorum suggeri diximus, consentireq. inter omnes iam dictas indicationes: siquidem in ijs, quæ magis sunt speciales, contineri semper, quæ magis sunt generales: agi verò in vsum, quę magis sint particulares, scilicet ex magis generalium sectione inuentas. Quod de morbo, & de causa externa, quæ eū excitauit, nec amplius adest, nulla ratione affirmari potest. Non itaq. inferendum, si causa externa non indicat, nec ea, quæ prædiximus indicare, cum omnium non sit par ratio.

Cōtradictio in signis ī Galen. quæ erat tertia difficultas.

At longè difficilius est soluere tertiam dubitationem, quę innititur contradictioni cuidam apparenti in Gal. qui 4 meth. cap. 3. ab indicantibus manifestè excludit causam externam at 11. metth. cap. 13. fateri videtur à causa quoq. externa indicationes desumi posse. Cum etenim ibi proposuerit omnia indicantia tam pręter naturam, quàm secundum naturam, à quibus desumi debent indicationes, quę in febris putridę curatione necessariò requiruntur, subdit, *Ad ista verò* (nimirum ad proposita indicantia) *dignoscenda, tum ætas tum consuetudo, tum omnes, quæ externæ morbo causæ fuere, contulerunt, vtiq. ortis hinc quoque indicationibus non paucis.*

A uarijs diuerso modo tollitur contradictio proposita. vna solutio.

Contradictio hęc à diuersis diuersimodè soluitur. Nonnulli enim dicunt Gal. post illa verba, *tum omnes, quæ externæ morbo causæ fuere, contulerunt* magno puncto clausa periodo, aliam incipere, ut in codice græco apparet inquiens: *ortis verò & deinceps. vel & hinc, aut exinde indicationibus non paucis.* Quibus verbis sermonem suum non ętati, consuetudini, ac causis externis refert, sed pędictis tam pręter, quàm secundum naturam indicātibus. Ex his namq. ortis indicationibus non paucis, medicus omnes spectare debet. Quare non dixit Gal. ab ętate, consuetudine, & causis externis sumendas esse indicationes, cum de his hoc in loco mentionem fecerit tanquam conducentibus ad dignoscenda ea, quæ secundum, & pręternaturam sunt duntaxat, non tanquā curationem, nec modum, aut ordinem pręsidiorum indicantibus.

Alia solutio.

Alii dicunt causam externam dupliciter considerari posse, vel quando pręsens est, & ad huc fouet morbum, vel quando iam abiit. Gal. 11. meth. citato inquit indicationes sumendas esse à causa externa manente, quæ præsens est. At 4. meth. 3. negauit à causa externa transeunte, nec permanente indicationes posse sumi.

Quidam

Quidam soluunt dicentes immediatè, & per se à causa extrinseca non esse capiendas indicationes; mediatè verò, & per accidens eam indicare posse autumant. *Altera solutio.*

Solutiones istas non cõtemno, eas tamen aliis considerandas relinquo, an sint ad Gal. aures. sed quid si dixerimus Gal. illa verba, *vtique ortis hinc quoq. indicationibus non paucis*, non retulisse ad externas causas, sed solùm ad ætatem, & consuetudinem? Nam non est meo iudicio necessarium, etiamsi enumerauerit ętatem, consuetudinem, & externas causas simul, vt ab omnibus istis indicationes desumendas esse per illa verba, inferre voluerit. Qm̃ cũ adeo clarũ sit apud Gal. ab externa causa non sumi indicationem, sed solùm eius usum esse, vt interdum in affectus notitiam nos deducat, ideo ibi loquens de ijs, quę faciunt ad dignoscenda indicantia, inter ipsa proposuit etiã causas externas. Verum quoniam ætas, & consuetudo nedum tanquam signa indicantium naturam nos edocent, sed etiam, vt dictum fuit ex Gal. mente indicationem aliquando nobis suggerunt: hic factum est, quòd verba illa tantummodo ad ætatem, & consuetudinem, non autem ad causas externas referri debere existimem. *Auctoris solutio.*

Vrget etiam quarta difficultas, cum Gal. pariter sibi contradicere videatur. Nam 5. de san. tuen. 10. loquẽs de ætate consuetudine, & externis causis inquit talia omnia ad certiorem affectuum notitiam nobis conducere, remediorum tamen insinuationem ex his non pręstari. At 9. & 11. meth. oppositum sentit, cum doceat ætatem, & consuetudinem tempetamenti interuentu agendorum indicationem aliquam pręberẽ. Respondendum arbitror, nusquam Galen. voluisse ætatem, consuetudinem, & reliqua supra enarrata indicare remedia, quoniam hęc indicantur à morbo, sed solùm eorum considerationem necessariam esse, vt cognoscere valeamus, quantùm recesserit morbus à naturali statu, & per consequens quantùm sit alterandum, sicuti abundè explicatum fuit. Quare iure 5. de san. tuen. dixit remediorum insinuationem ex his non pręstari. *Quartæ dubitationis solutio.*

Quòd si deinde hoc eodem jn loco asserit eandem esse vtilitatem, quam ex ętate cõsuetudine, & causis externis ad affectuum certiorem notitiam capimus, ita vt hęc omnia in eo conueniant, quòd rationem signorum sustineant, non tamen inferendum, aut omnia, aut nulla inter indicantia reponi debere: quoniam non est omnium par ratio, sicuti in solutione secundę difficultatis ostensum fuit.

Quando itaque Argenterius quærit, cur potius vnum quàm alterum ex his, quæ eandem vim habent, inter indicantia ponat Gal. alijs exclusis. Respondendum est, falsum esse hæc omnia habere eandem vim. Nam consuetudo, & ætas necessariò, & semper in morborum curatione considerari debent, causæ externæ non perpetuò, sed raro, & solùm ad affectuum certiorem notitiam cõtemplantur. Amplius ex ætate, & consuetudine aliqua indicatio sumitur, vt apparuit ex supradictis. At externa causa minimè ad morborum curationem, cum nullam agendorum insinuationem præbeat, concurrere potest. *Gal. iniustè reprehenditur.*

Quando verò Gal. redarguit, quia nescio qua licentia confundat coindicantia cum indicantibus, cum tamen alios hoc nomine ineptissimos iudicet: dico tantùm abesse, vt Gal. qui multoties monuit de nominibus nos minimè solicitos esse debere, quenquam reprehenderit confundentem coindicantia cum indicantibus (sicuti Argenterius ei tribuere videtur) vt potius 9. meth. cap. 7. totum oppositum senserit, minimè vetans nominibus, quibus libitum sit vti

posse,

posse, dummodo meminerint prę oculis semper haberi debere auxiliorum inuentionem, quibus æger sanari possit.

Soluitur vltima difficultas.

Vltima deniq. difficultas soluitur, quia de ratione signi quatenus signum non est, vt indicationem præbeat, sed solùm vt nos in indicantium notitiam deducat. Quare etiamsi ætas, consuetudo, & vitę conditio tanquam signa indicant, attamen id illis non contingit quatenus simpliciter signa sunt, sed alia etiam, eaq. potiori ratione, quatenus videlicet sunt causæ adscititij temperamenti. Vnde non sequitur, ergo hoc pacto signa causarum morbificarum, & morborum indicare poterunt. Præterquamquod hæc etiam interest differentia quia ætas, & consuetudo, & alia sunt causæ ipsius temperiei aduentitiæ, cuius interuentu indicare possunt: & signa vice versa sunt effectus ipsorum morborum, & causarum. Idicrco hęc nō indicant, illa aliquam agendorum insinuationem suggerunt.

Quòd si quis pertinaciter nominibus addictus hæc potius coindicare, quā indicare dixerit, id libenter illi concedo, vt nominibus ad libitum vtatur; dummodo cum Gal. hæc omnia nimirum ętatem, consuetudinem, vitæ conditionem, & conuersationem in tali cæli statu, anni tempore, & regione necessariò consideranda esse pro morborum curatione fateatur.

De Aere quomodo indicet in morborum curatione.

Cap. XXII.

Qvanuis suprà cap. 6. ex Gal. sententia dictum fuerit, qua ratione ab aere curatoriæ indicationes desumi debeant, attamen id diligentius considerandum, & eò magis, quia multa sunt, quæ difficultatem facere videtur, & multa etiam ab Argenterio proponuntur, quibus aerem nullam indicationem præstare probare contendit.

Aer dupliciter concurrit in curatione.

Si itaq. rectè considerauerimus Gal. opinionem 9. meth. cap. 14. & 15. intelligemus aerem dupliciter concurrere, & considerari debere, vt morbi auferantur. Primò tanquam causa sine qua non: secundò non solùm tanquam signū demonstrans corporis temperiem adscititiam, sed etiam tanquam causam eiusdem efficientem.

Notādum.

Illud tamen animaduertendum est, quando à Gal. dictum fuit ab aere desumendas esse indicationes, quoniam aer est tanquam causa, sine qua morbus auferri nequit, ipsum locutum fuisse de illa aeris temperie, quæ pręsens est, & in qua degit homo, dum ęgrotat: cum verò dixit aerem esse nedum signū, sed etiam causam efficientem adscititij temperamenti, sermonem habuisse de illo aeris statu, in quo diutius ægrotans versatus fuit, antequam morbo corriperetur. Verùm cum de hac diutina conuersatione in tali cæli statu, anni tempore, & regione respiciente corporis temperaturam in antecedentibus capitibus actum fuerit, reliquum est, vt in præsenti contemplemur, qua ratione aer, in quo necessariò degit homo, dum morbo afficitur, in eiusdem curatione indicationem aliquam prębeat.

Aerem indicare tāquam causam sine qua non.

Certum est ex Gal. loco nuper citato ambientem eum esse, sine quo, nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest. Hic igitur causæ, sine qua non, rationē obtinet. Ratio est, quia reliquas materias tum deligere, tum fugere licet: Quā

autem

autem ambiens præstat fugere non licet, imo necesse est præsenti cæli statu vti, idcirco huic quoque attenti esse cogimur, qui vtique sæpe cum ijs, quæ morbus facienda suadet, est concors, sępe discors, & qui contra moliatur. Habebit ergo rationem modò materię sanantis, modò causæ morbum fouentis. Quare cum aeris noxas fugere non liceat, & habeat interdum rationem causæ fouentis morbum, tunc necessariò indicat noxæ, quam infert, ablationem, vt morbus rectè curari possit.

Exempli gratia si quis laborauerit febre, hęc refrigerari, & humectari desiderat, dum aer hæc pręstat, sanantis materię rationem obtinet, & pro gratia est habendus: si calefaciat, & siccet, morbificis causis est annumerandus, & inhibenda est eius noxa. Hoc autem dupliciter pręstare poterimus: primò intensis, & adauctis reliquorum auxiliorum humiditate, & frigore: secundò arte aerem, quo ad fieri potest, qualem esse expedit, præparando. Hac itaque ratione aer tanquam causa sine qua non in curatione morborum indicationem pręstare dicitur: vt iure à Galen. propositus fuerit veluti alter fons, à quo curatoriæ indicationes sunt desumendæ. Et rursus quia ambiens talis redditur tum propter regionem ipsam, tum anni tempus, tum cæli statum: hinc omnia hæc in vnum conspirant, & eandem curationis indicationem nobis suggerunt. *Ostenditur exemplo.*

At dubitari contingit, vtrum, quando aer habet temperiem contrariam morbo, pro gratia sit habendus, vt inquit Galen. quoniam habet rationem materię sanantis. Siquidem hoc videtur falsum. Nam febris ardens difficilius hyeme curatur, & magis lethalis est; auctoritate eiusdem 2. aphoris. 34. & Aristotelis 1. sectione problem. 28. & sectione 14. probl. 3. Atque ratio est in promptu, quia frigiditas ambientis constipando meatus ipsius cutis necessariò impedit, quò minus febrilis calor, & fuligines transpirare possint, adaugetur igitur per antiperistasim calor, & retinentur fuliginosa excrementa: vnde mirum non est, si densato ab ambientis frigiditate totius corporis habitu febris maior, & periculosior reddatur. *Dubitatio.*

Quinimo hoc non solum in febre ardente, sed in omni febre, & morbo locum habere videtur. Propterea Gal. 1. aph. 12. dicebat in tertianis febribus, & alijs etiam singulis morbis æstatem addere celeritatem, hyemem verò tarditatem. Ergo caliditas ambientis in febribus, etiamsi sit similis morbo, habebit potius rationem materiæ sanantis, quàm causæ morbum fouentis, cum sit causa, vt morbus citius soluatur, & finiatur. Attamen, vt dictum fuit, 9. method. citato totum oppositum docet. *Confirmatur dubitatio.*

Amplius in dubium etiam reuocari potest id, quod ait Galen. quotiescunque scilicet aer habet similem temperiem morbo, augendam esse contrariam præsidiorum qualitatem, vt ostensum fuit exemplo febris. Siquidem hoc falsum alicui fortasse videri poterit. Nam si ex Galen. aer habet vim immutandi temperiem naturalem, ergo calidus aer ambiens temperiem naturalem calidiorem reddet. Hac autem calidiore existente, dum febris adest, mitiora refrigerantia conuenire videntur, quoniam in calidioribus naturis, quando morbo calido laborant, paruus est recessus à naturali statu, mitioribus igitur refrigerantibus egent, *Altera difficultas.*

vt ad pristinum statum redeant. Qua ratione ductus Hippocr. 2. aphoris. 34. dicebat in morbis minus periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum conuenit: siquidem in istis magnus, in illis paruus est à naturali statu recessus.

Soluitur 1. difficultas.

Hæc itaque sunt, quæ fortasse suspectam reddere possunt Gal. sententiam circa indicationes ab ambiente desumptas, quæ tamen si rectè intelligantur, nil prorsus ei officiunt.

Cur febris ardens hyeme difficilius sanetur.

Siquidem fateor ardentem febrem periculosiorem esse, & difficilius sanari hyberno tempore: non tamen id illi contingit, quia frigiditas ambientis febrem adaugeat, sed quoniam, vt inquit Galen. 2. aphoris. 34. citato, signum est causam, quæ febrem hanc excitauit, fuisse vehementissimam, & maximæ actiuitatis. Vnde eo loco reprehendit Dioclis, & eorum, qui illum sequuntur, sententiam, cum arbitrentur febrem ardentem factam hyberno tempore facilius posse sanari ea, quæ fit in æstate, non aduertentes, quòd vehemens dispositio causa est, vt febris ardens hyeme fiat. Neque enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset: cum igitur anni tempus cohibere non potuerit causæ magnitudinem, quamuis habuerit sanitatem sibi suffragantem, multò minus ipsam morbo iam facto superabit, non amplius assistente sanitatis robore. Sed & hoc est ipsa compertum experientia. Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa, quæ aduenit hyeme, est perniciosior, sicuti quando in calidiori temporis constitutione ortum quidem habuerit, subitò autem ad frigidum mutatio facta fuerit, non parùm iuuatur ab ambientis aeris frigiditate, cum ipsi vtraque temporis constitutio bona sit: prima quidem, in qua morbus factus est, tanquam signum: altera verò, in qua solutus est, tanquam causa. Hæc Galen. quare patet febrem ardentem hyeme genitam difficilius curari, non propter ambientis frigiditatem, sed ob causę vehementiam: Quò maior etenim est causæ morbificæ efficacia eò grauiorem, & curatu difficiliorem morbum producit.

Verùm non adhuc ex toto soluta videtur difficultas, quoniam illud insolutum remanet, frigiditatem videlicet ambientis non refrigerare calorem febrilem, sed illum potius per antiperistasim constringendo cutis meatus adaugere. Vnde, vt omne remoueatur dubium, dicendum arbitror, frigidum aerem inspiratum, & ab arteriarum motu per totum corporis ambitum attractum febrilem calorem remittere: quòd si deinde sua frigiditate meatus constipat, & prohibet, quò minus peccantes, & superflui humores fundantur, & per totum ferantur corpus, sed intus tanquam in latebris remaneant longitudinem morbi efficit: Hæc etenim causa est ex Galen. 2. aphoris. 25. propter quam morbi æstate breuiores sint, quàm hyeme. Officit itaque frigiditas ambientis causę morbificæ, non febri: quare inconcussa manet Gal. sententia temperiem ambientis morbo contrariam habere rationem materiæ sanitatis.

Cur morbi æstate sint breuiores.

Quę causa est cur à medicis, qui curatiuam methodum callent, hyeme multò mitiora refrigerantia in febribus adhibeantur: æstate verò audacius refrigerent, & humectent. Propterea quod, cum ambiēs, si calidus & siccus fuerit, habeat rationem causæ fouentis febrem, adauctis & intensis

reli-

reliquorum præsidiorum frigiditate, & humiditate, aeris noxas inhibere tentant.

Altera difficultas facilè tollitur: quoniam aer ambiens alterans temperiem naturalem corporis, & adscititiam introducẽs non est ille, in quo degit ęgrotans, dum iam morbo afficitur, & de quo in præsenti est sermo, sed ille, in quo diutius moratus fuit, antequam ægrotaret. Ad hoc enim, vt aer temperiem naturalem alterare possit, longum requiritur tempus. Quare, dum quis morbo laborat, non consideratur aer, quatenus mutat, seu alterat naturalem temperiem, sed quatenus, vel morbum adauget, si similem, vel materiæ sanantis rationem sustinet, si contrariam morbo temperiem habuerit. Et ab Hipp. loco citato non consideratur aer veluti causa morbum fouens, aut sanantis materiæ vicem gerens, sed tanquam signum demonstrans morbum, aut parùm, aut multùm à naturali statu recessisse, quare aut maius, aut minus periculum afferre. *Respondetur alteri difficultati*

Proponuntur Argenterij rationes, quibus ostendit aerem nihil posse indicare.

Cap. XXIII.

RVrsus labimur in difficultates ab Argenterio propositas, qui nescio qua ratione ductus omnem videtur mouisse lapidem, vt vbiq. Gal. doctrinã peruerteret. Quocirca vt Gal. tueamur, necessarium est in medium afferre rationes, quibus lib. 2. de officiis medici cap. 6. aerem nullo pacto indicare posse probare contendit.

Primo itaq. sic arguere videtur. Scribitur 3. meth. cap. 1. nihil esse posse, quod curationem indicet, quod non curetur, absurdumq. fore, si quis aliter statuat. Quamobrem cum aer non curetur, sed solus morbus, quomodo quęso ille curationis indicator fuerit. *Prima difficultas.*

Secundò cum aer à Gal. sumatur, vt instrumentum, & materia medica, qua vtimur tum ad naturales affectus conseruandos, tum ad eos, qui præter naturam sunt, propellendos, qua ratione aliquid indicare poterit? siquidem materia est, quæ indicatur, & non indicat, nimirum cum indicatio comprehensio sit iuuantis, & nocentis, quæ ab eo, quod iuuari debet, oritur. Alioqui si id, quod indicatur, vnquam, indicare posset, idem esset morbus & remedium, sanitas & victus, & idem, quod iuuat, cum eo, quod iuuatur: vt ergo nullum aliud remedium indicat, aut coindicat, vel contraindicat, aut correpugnat, sic nec aer aliquid horum efficere potest.

Tertio nec illud quidem aliquid facit, quod scribit Galen. ideo ab aere indicationem capi, quòd sine eo & morbus tolli, & retineri sanitas nequeat, quod in alijs rimedijs non contingit, quæ in promptu sunt, quorumque vsum euitare vnicuique licet. Neque enim omnes morbi egent aere, vt remedio, quales sunt, qui partes instrumentarias affligunt, quibus nihil aer confert.

Insuper addit: vt aere, sic cibo, & potu, somno, & vigilia sanitas cõseruatur, & morbi propulsantur. Nec minus sanè difficile est illarum noxas, quã quæ ab aere excitantur euitare: cum ea, quæ ab illis nascuntur, mala nullare sæpius

5. mitigari queant, aeris autem iniuriæ, vel loci mutatione, vel alia ratione promptè corrigantur.

Amplius multò minus illud videtur esse necessarium, quod ille statuit, vt scilicet præsenti cæli conditione semper vtamur. Quandoquidem per sanitatē, & leuiores morbos facilè in alium aerē migrare vnicuiq; liceat: in grauioribus autem malis, in quibus non licet id facere, non datur etiam prædictorum vitia fugere. Requirimus etenim ad morbos fugandos somnum, vigiliam, quæ aliquando nulla arte conciliare, aut arcere conceditur.

6. Quin & aquæ incommoda difficilius, quàm aeris intemperies emendantur. Nimirum cum tota vna regio eadem, aut parùm differente aqua, quoniam, & eadem terra, sæpe vtatur, aere autem diuerso. Siquidem in eadē domo variari videmus: quando in locis subterraneis alias habeat qualitates, quàm in altis: alias in apricis, quàm vmbrosis: alias in his, qui ad orientem, quàm qui ad occidentem spectant: & deniq; pro diuerso locorum situ diuersam naturam, & qualitates assumat, eas præsertim, quas in morbis tollendis eo loco quærit, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem.

7. Septimo tandem si illud concedamus, difficilius aeris noxas vitari, quàm aliarum rerum, quæ sanis, ægrisq; corporibus adhibentur, non tamen propterea huiusmodi difficultas indicandi causa esse debet: alioqui inter alia indicarent, quæ difficiilus corrigi possunt, par ergo in omni materia medica ratio. Indicat enim corporis affectus, qua re, & quali sit opus, quæ si adest, gratia illi est habenda, si minus ea arte parādā: etsi interim alia alijs facilius acquirantur, & magis, vel minus iuuent aut lędant. Tot igitur illa sunt, quę ab Argenterio aduersus Gal. doctrinam proponuntur.

Soluuntur Argenterij rationes.

Cap. XXIV.

SI Argenterius illo ingenij acumine, quo præditus erat, veritatis amore nō contradicendi desiderio ductus illa omnia, quę in antecedēti capite proposita fuerunt, rectè examinasset profectò Gal. non ita acerbè reprehendisset, nec tam leuia aduersus illius doctrinam attulisset. Quæ tamen soluenda sunt, ne cuipiam difficultatem pariant.

Soluitur 1. ratio. Vnde ad primam rationem, quando ait ex Gal. mēte nil esse, quod curationem indicet quod curetur, aer non curatur, sed morbus, ergo aer non potest indicare, dico neminem tam dementem esse, qui existimet Gal. dum dixit ab aere desumi indicationem curatoriam, arbitratum fuisse aerem curari. Hoc etenim esset valde absurdum. At meminisse oportet, quod lib. antecedenti cap. 19. dictum fuit, indicantium quædam esse verè, & propriè dicta indicancia, quæ indicant primò, & solùm de se, non autem de alio, quædam verò esse indicantia communiter accepta, quæ neque primò, neque de se indicant, sed tantùm de alio, in quorum genere reponitur aer, non tamen per accidens id præstat, quando necessariò concurrat ad morborum ablationem.

Aer indicat non de se, sed de alio. Quod colligitur ex illa eademmet auctoritate Gal. qua Argenterius vtitur aduersus ipsum. Inquit enim 3. method. cap. 1. absurdum esse aliud reperiri, quod curandi rationem pręscribat, aliud, quòd curetur, & causam addit, quia indicare de se quicquam magis potest, quàm de alio. Ex quo loquendi modo

innuit

innuit Gal. alia quoque pręter morbum reperiri, à quibus curatorias indicationes desumi debeant, licet hæc non sint propriè dicta indicantia. Nam verum indicans curatorium est morbus, qui de se indicat, & primò curandi rationem præscribit. Non tamen alia excludit de nominibus minimè solicitus, vt toties dictum fuit, & vt pręcipuè colligitur ex 9. meth. 7. aliàs citato, sicuti quibuslibet videre licet. Ergo reperiuntur etiã quędam à quibus desumuntur curatorię indicationes, non quia indicent de se, sicuti morbus, qui est ille, qui curatur, sed indicant de alio, idest necessario concurrunt ad remediorũ inuentionẽ, & ab illis quoq; sumũtur indicationes, (indicationis tñ nomine cõiter accepto) sine quibus impossibile foret rectè curare morbos, cuiusmodi est aer.

Confirmatur responsio Gal. authoritate.

Et hoc est illud idem, quod docuit Gal 3. meth. cap. 9. dicens, primam medicationis indicationem à solo sumi affectu, remedia tamen inde inueniri non posse, nisi prius ad corporum elementa sit ascensum, & ægri temperamentũ perpensum, non corporis modo vniuersi, sed etiam afflictæ particulæ, cum hoc quoque ambientis temperie æstimata, quę vtique tum ad pręsentes status, tum verò ad regiones extenditur. Hæc Gal. Quocirca concludendũ est indicationes curatorias primò à morbis desumendas esse tanquam ab illis, qui sui ablationem indicant: deinde etiam ab alijs, vt à temperie, & ab aere, & reliquis huius generis: licet ab istis curationis indicationes nõ primò, nec pro sui ablatione desumantur, sed secundariò, & quatenus concurrunt ad remediorum inuentionem eo, quo ostensum fuit, modo.

Respondetur 2. rationi.

Aer dupliciter consideratur.

Secunda Argenteri ratio demonstrans aerem nusquam indicare nitebatur huic medio, quoniam aer est materia auxilij, hęc autem indicatur, quare si aer indicaret, ergo idem esset indicans, & indicatum, morbus & remedium. Respondeo negando consequentiam: Nam aer potest considerari dupliciter, vel tanquam materia auxilij, vel tanquam auxilium, & iuuans: si consideretur tanquam auxilium, & iuuans, hac ratione solùm indicatur, nusquam autem indicabit: at si consideretur veluti auxilij materia, & tanquam causa sine qua non, ego dico eum non indicari, sed indicare posse aliquid pro morborum curatione. Distinguitur igitur materia ab auxilio, vt docuit etiam Gal. 11. method. cap. 1. dicens, profectò omnem materiam, quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore iuuat, auxilium dici.

Aer indicat tanquã materia, siue causa sine qua nõ.

Et quòd sumatur aer à Gal. tanquam materia auxilii, liquet ex modo loquendi, quo vsus fuit 9. meth. citato cap. 15. dum ait. Verùm cum materię reliquorum præsidiorum omnium electio in nostra potestate sit: eius verò, quam ambiens præstat in nostra manu non sit, ratio est, ex hoc quoque propriã quandam indicationem sumamus.

Quibus verbis non solùm fatetur Gal. aerem veluti auxilii materiam captũ aliquid indicare, sed etiam causam affert, cur solus aer indicet, reliquorum verò auxiliorum materiæ non indicent, quoniam scilicet harum electio est in nostra potestate: vnde eligimus solùm eam auxiliorum materiam, quæ iuuare potest, & tunc quatenus iuuans est, indicatur tantùm. At materia aeris, cum non sit in nostra manu, quandoque necessariò indicat, quia si contrariã morbo temperiem habet, vt ait Gal. è pręsidiorum numero vnus est, & pro gratia est habendus, & tunc indicatur solùm, quia iuuat, & sumitur tanquam pręsidium, & iuuans: si verò habet similem temperiem cum morbo, ægritudinalium causarum est vnus, & tunc quia aduersatur inhibenda eius noxa est, atque hac ratione indicat pro remediorum inuentione, vt dictum est.

Atque

Tollitur instantia. Atque ad instantiam, quam facere videtur Argenterius dicens aërem semper indicari, non autem indicare, quomodocunque capiatur, quia indicatio est comprehensio iuuantis simul cum comprehensione nocentis, dico iã ostensum fuisse libro antecedenti cap. 7. eum perperam declarasse indicationis definitionem, cum per nocens non intellexerit affectum præter naturam, seu indicans, sed remedium, aut remedii naturam, quę nocere potest, quod falsum est, quoniam indicatio est solùm comprehensio iuuãtis simul cum comprehensione nocentis, idest cum comprehensione non nocentis remedii, sed affectus præter naturam, qui nocet operationibus. Quapropter, cum aer, quando habet similem temperiem cum morbo, quoniam morbum adauget, sit vnus è numero causarum ægritudinalium, hac ratione aliquid indicabit pro morbi ablatione, vt voluit Gal. Neque ob hoc sequitur idem esse indicans, & indicatum, morbum & remedium, quia, quando indicat, non habet rationem auxilii & iuuantis, sed rationem materiæ, & causæ nocentis, & morbum fouentis.

Soluitur 3. ratio. Tertia ratio nil aliud ostendere tentat, nisi quòd aer non indicat in omnibus morbis, sed solùm in quibusdam, quoniam morbis, qui instrumentarias partes affligunt, nihil aer confert. Huic rationi respondeo verissimum esse aëris considerationem videri nullius vsus in morbis partium organicarum, quatenus organicę sunt. At fieri potest, sicuti sępe contingit, vt etiam pro horũ morborum ablatione requirantur medicamenta alterantia, nisi ratione morbi, saltem alicuius alterius gratia: quemadmodum in vlcere ratione tenuis excrementi remedia exsiccantia sunt ex vsu, atque tunc temporis aer aliquid cõfert. Insuper accidere potest, vt cum morbis instrumentalium partium iungantur etiam morbi in intemperie; sicuti obseruatur in tumoribus omnibus, & ita aer habet aliquem vsum. Quocirca & si non in omnibus morbis, in quamplurimis tamen ab aere indicatio sumi debet. Vnde licet quidam morbi sint, quibus parùm, vel nihil conducat indicatio ab aere desumpta, non omnino concludendum agendorum insinuationem, quam aer præstat, in omnibus esse inutilem.

Responde- tur 4. rõni Erat quarta ratio non minus sanitatem conseruari, & morbos propulsari aere, quàm aliis rebus non naturalibus necessariò ipsis quoque occurrentibus vt sunt cibus, potus, somnus, vigilia, & reliqua, quorum noxas non minus difficile est euitare, quàm quæ ab aere excitantur. Cui rationi sic respondendum esse existimo, Gal. solùm mentionem fecisse aeris, non autem aliarum rerum non naturalium, quia, licet etiam istis sanitas cõseruetur, & propulsentur morbi, non tamen continuò iis vtimur, sed per vices, sicuti continuò cogimur, velimus nolimus, & per inspirationem, & per transpirationem, quousque viuimus, aerem attrahere. Amplius possumus euitare noxas ab aliis rebus non naturalibus prouenientes, at fugere, quas aer infert, est impossibile. Nam etiã si sine cibo, & potu, somno & vigilia, inanitione, & repletione, motu & quiete, & animi accidentibus viuere nequeamus: attamen horum omnium noxas euitare possumus fugientes cibum & potum lædẽtem, & reliqua etiam nocentia; at aeris noxas nequaquam euitare valemus. Ideo Gal. solùm ab aere tanquam ab illo, qui est causa, sine qua non, indicantionem sumendam esse docuit, non autem à reliquis, cum horum noxas euitare possibile sit, quæ autem ab aere eueniunt, impossibile: quare hic solus indicat, non reliqua.

Ad 5. difficultatem. Addebatur quinto loco, in leuioribus morbis facilè aeris noxas vitari posse in alium aerem migrando: in grauioribus autem malis in quibus non licet id

facere

facere, nec etiam possumus fugere vitia aliorum, hinc somnum, & vigiliam aliquando nulla arte conciliare, aut arcere conceditur. Ad priorem huius rationis partem dico tantùm abesse, vt doceat aerem non indicare, quòd potius idem suadeat. Nam cur mutamus cęli statum in morbis, nisi quia aer pręsens, cum sit causa, sine qua morbus auferri, aut sanitas conseruari nequeat, indicat aliquid ex vsu, nempe sui mutationem? Quando verò additur in grauioribus malis non solùm nos non posse vitare vitia, & aeris incommoda, sed neque aliorum, quia nonnunquam somnus, aut uigilia cõtumax valde lędunt, & tamen somnum conciliare, aut arcere non possumus. Respondeo hæc esse symptomata, quę, quatenus symptomata sunt, nihil indicãt, nisi subratione signi, at quia sępissime induunt rationem causę uires prosternentis, ideo tunc indicant, sicuti libro vltimo dicemus, sed per hoc non sequitur aerem non posse indicare.

Sexta ratio nihil prorsus concludit. Nam esto aquę incommoda difficilius emendari, quando sunt inducta, at quia non continuò vtimur aqua, sicuti cõtinuò cogimur etiam inuiti tota die, & nocte respirare, & aerem attrahere, atq. aquę vitia vitare possimus, cum eius electio sit in manu nostra, aeris verò minimè: hinc dicimus cum Gal. aerem, non autem aquam indicare. Quòd si aer alias habet qualitates in locis subterraneis, quàm in altis, alias in apricis, quã in vmbrosis, alias in illis locis, qui ad orientem, quàm qui ad occidentem spectant. Quorsum hęc addit? & quomodo probat aerem non indicare? Hoc etenim est illud idem, quod docuit Gal. 9. meth. 14. dicens, vbi aeris intempe- ries aduersatur, inhibendam eius noxam esse dupliciter, aut scilicet auxiliorũ qualitate contraria adaucta, aut ambientem, quo ad fieri potest, qualem esse expedit, eligendo, & præparando, vt vnusquisque videre potest. *Soluitur 6. dubitatio.*

Vltima deniq. ratio paralogizat, & etiam falsa assumit. Falsa quidem assumit, quoniam inquit aerem indicare, eò quia illius noxæ difficilius vitari possunt, quod falsum est. Siquidem non ideo Gal. dixit aerem indicare, quia vitari difficilius possint eius læsiones, sed quia nulla ratione vitari possunt, quoniam est tanquam causa, sine qua non, & materię illius electio non est in nostra manu, sicuti materię cæterorum pręsidiorum. Insuper paralogizat, quoniam in conclusione vnum infert, quod in præmissis non continetur. Sic etenim arguere videtur. Cuius noxæ difficilius vitantur, illud per Gal. indicare dicitur, aeris noxæ difficilius vitantur, ergo aer indicare dicitur, quod si hoc verum est aerem indicare, quia illius noxæ difficilius vitari possunt, ergo infert inter alia illa indicabunt, quæ difficilius corrigi possunt, par ergo in omni materia medica ratio, quod minimè sequitur. Nã debebat inferre, ergo inter alia illa indicabunt, quorũ noxæ difficilius nõ corrigi, sed vitari possunt. Aliud enim est noxas difficilius vitari, aliud difficilius iam inductas corrigi posse. *Vltima difficultas enodatur.*

Verùm dato etiam aerem indicare, quoniam illius vitia difficilius vitari possint, licet hęc, vt dictum fuit, non sit Gal. intentio; attamen non poterimus inferre reliquorum pręsidiorum materiam indicare, quia falsa erit minor, si dixerimus, sed aliorum præsidiorum materiæ damna difficilius vitari possunt, alsa, inquam, est hęc propositio. Siquidem cum aliorum auxiliorum materię electio sit in potestate nostra: aeris verò materia non sit in nostra manu, hinc ssequitur, quòd difficilius aeris, quã aliorũ remediorũ noxas euitare possimus. quoniam has fugere possumus, illas verò nequamquam euitare licet. Quamobrem aer dicitur indicare, non autem reliquorum præsidiorum materia.

Quod

Quod cuiusque hominis sit propria curatio, & de ineffabili ægrotantis proprietate in curandis morbis, quo ad fieri potest, cognoscenda. Cap. XXV.

DIsputans Gal. 3. meth. cap. 7. aduersus methodicos, qui suis solis communitatibus contenti erant, dicebat existimare communem quandā esse omnium hominum curationem, extremæ esse dementiæ.

Non curatur homo cõmunis, sed nostrũ quisque.

Siquidem non curatur homo communis, & generalis, sed nostrum quisq. alius videlicet aliud temperamentum, naturamque obtinens. Propterea in exacta medendi methodo loco citato perspicuum planè esse asseruit, tum ægri naturam considerari debere, tum cuiusq. hominis propriam esse curationem, tum supra hęc illud tertium, nempe cuiusq. naturæ ineffabilem esse proprietatem quandam.

Quapropter cum hucusque considerauerimus morbi naturam, magnitudinem, morem, & motum: Insuper temperiem, & ambiētem nos aerem cum omnibus, quæ illis cognata sunt, sicuti ætatem, consuetudinem, vitæ, conditionem, cęli statum, & reliqua. Atque qua ratione ab omnibus istis indicationes curatoriæ desumendæ sint ex Gal. placitis docuerimus. Paucis etiam declarandum est, quid sibi voluerit Gal. dicens cuiusque hominis esse propriā curationem, & quid intellexerit per naturæ proprietatem ineffabilem. Nam de ægrotantis natura, nimirum de temperie iam actum fuit.

Aliorum opinio.

Existimarunt quidam Gal. dum hæc tria proposuit, nil aliud sibi voluisse, nisi quòd ab ægrotantis natura desumi debeat iuuans subalternum, seu genericum: exempli gratia in febre, si ægri natura est frigida, cuiusmodi est natura senum, hoc est signum febris vehementis, quoniam est cum magno recessu à naturali statu. Quando verò addit, cuiusque esse propriam curationem, tunc dicunt insinuasse quid agendum specificum, vt quia nos cognoscimus hominem non modo esse calidum, sed esse calidum in primo, hęc propria hominis temperatura nobis significat determinatum temperamenti gradum, & per consequens determinatum recessum febris, à quo determinato recessus gradu indicatur quid agendum specificum, vt puta, refrigerandum esse vt duo. Denique dum Gal. proponit proprietatem ineffabilem, crediderunt eum per hęc verba nobis insinuare voluisse non solum remedium specificum, & frigidum in secundo gradu, verùm etiam, quid agendum specificum in tali mansione: per exemplum, si febris est intemperies calida in secundo, & in prima mansione, indicat auxilium frigidum in secundo, & in prima mansione.

De aliorũ opinione auctor non interponit iudicium suum.

Ita quidam interpretantur Gal. supra dictum auctoritatem, & fortasse non omnino pręter rationem. Nolo etenim (quantùm rei veritas permittere potest) grauissimorum virorum, qui Gal. dogmata sequuntur, quos omnes suspicio, opiniones infringere: sed alijs hoc iudicium relinquens, qua ratione Gal. verba intelligenda esse existimem, liberè dicam.

Quid per ægrotãtis naturam intelligendum sit.

Certum, & indubitatum apud me est Gal. per ægrotantis naturam intelligere temperiem. Nam Hipp. & Gal. temperamentum naturam vocarunt, tū passim in lib. de natura humana, tum 2. aph. 34. tum 3. aph. 2. amplius 2. acutorum 47. 3. de temp. 4. 3. meth. 3. & ne omnia loca compillasse videar, alibi millies id fassi fuerunt. De qua tamen temperie hactenus cur considerari

debeat

debeat in morborum curatione, & quomodo ad remediorum inuentionem concurrat supradictum fuit.

Cuiusque hoīs esse ꝓpriā curationem aduersus methodicos.

At quando addit cuiusq. hominis esse curationē propriā, nil aliud, vt arbitror sibi uoluit per hæc verba, nisi docere, quanto in errore versarentur methodici, cum solas communitates cōtemplarentur. Tantùm enim abest, vt possit curari homo in genere, quòd neq. etiā detur curatio secundū speciē specialissimā, itaut diuersorū hominū eadē morbi specie laborantiū eadē prorsus esse nequeat curatio, cū hęc medica facultas versetur circa īdiuidua, & partcularia.

Cur cuiusq. hominis sit propria curatio.

Ratio autem, ob quam cuiusq. hominis sit propria, & indiuidualis curatio, hęc est, vt existimo. Necessariū est in quocunq. ægrotante considerare nedum morbi naturam, magnitudinem, morem, & motum, & ægroti tēperamentum, verum etiā ætatē, consuetudinem, vitę conditionē, sexum, corporis, habitum, anni tempus, regionem, cęli constitutionem, amplius causarum, & symptomatū omniū concursum. Quę sanè omnia simul sumpta, & eiusdem prorsus cōditionis, cū impossibile sit, vt in alio eodē morbo laborante inueniātur, curationē euariant, & faciunt, quòd cuiusq. hominis sit propria, & indiuidualis curatio, Atq. hoc est quòd Gal. methodicis opponit, qui communitates, non proprietates respiciebant, tanquam communem, & generalem hominem nō particulares curarent.

Aduersus empiricos

Quinimo hoc idem empiricis quoq. vitio verti potest, cum fieri nequeat, vt tot rerum præternaturalium, & naturaliū concursus idem prorsus in pluribus obseruetur, quando neq. in duobus tantùm idem omnino esse possit, quare neque experientia sufficiet, sed necessariò ratio requiritur, vt possimus coniectura consequi, quę sint cuiusq. propria remedia. Vnde idem Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 20. aduersus empiricos dicebat obseruationem, qua ipsi vtebantur, ratione carentem esse prorsus inutilem, & subsistere nequeuntē: cum non semper idem concursus emergat, genus inquam symptomatum, & numerum eundem, & magnitudinem, & ordinem, & temporis opportunitatem, & id genus alia. Hęc itaque causa est, cur Gal. nedum contra methodicos, verum etiam contra empiricos dixerit cuiusque hominis esse propriam curationem.

Damnātur secreta.

Ex quo obiter noto eos in errore versari, qui sua secreta, & specifica remedia iactant, quorum tamē causam reddere nequeunt. Nam si ex Gal. sentētia cuiusq. hominis est propria curatio, ergo eadē secreta remedia, quę ipsi specifica dicunt, queq. etiam in diuersis specie morbis vsurpant, non poterunt omnibus nedum diuersis, sed neq. etiam eodem morbo laborantibus cōuenire. Quare medicę facultatis pręsidia verè arcana consistunt in perfecta medendi methodi cognitione, quā qui ignorauerit, quantumuis secretis vtatur, si contigerit, quod ex ipsis aliquod ęgrotantibus iuuamentum adueniat, id potius fortunę beneficio, quàm suis remedijs arcanis adscribendum erit.

Ineffabilis proprietas quotuplex.

De ineffabili verò proprietate, ita statuo, eā ex Gal. sententia duplicem esse: alteram, quam methodo, si non consequi, saltem ad eam proximè accedere liceat alterām, quæ vel ex sola ęgrotantis relatione, aut experiētia nota esse potest: prioris meminit Gal. 3. meth. 7. iā citato, posterioris verò 7. meth. 6. vtraque, quantùm fieri potest, cognoscenda.

Vnde si de priori sit sermo, hanc referre possumus non solum in indiuiduale tēperamentū, sed etiā in proprietatē quandam particularē cōsurgentē ex multorū concursu, ratione cuius vnū indiuiduū dicitur ab altero differre, ita tamē vt interim consideretur tantùm cōcursus eorum, quæ vel recuperandę, vel con

seruandę sanitati conducibilia sunt: aliter hoc esset egredi medicinę limites.

Cur cuiusq. temperies ineffabilis sit.

Et quatenus ad indiuiduale temperamentum pertinet cum ratione ineffabile vocari potest. Nam licet nouem tantùm sint temperamentorum differentię, attamen eorundem gradus penè sunt infiniti modi, ita vt infinita ferè videãtur hominum temperamenta. Causam hanc esse arbitror. Ex quattuor elementis, quæ sunt principia remota, seu ex quattuor humoribus, qui sunt principia proxima, interse mistis constat homo, ex quorum deinde mistione, & proportione consurgit temperies. Hæc omnia sunt corpora, continua igitur, quare diuisibilia in semper diuisibilia, infinitis ergo ferè proportionibus misceri possunt, vnde infinita penè oriuntur temperamenta. Qua de causa Gal. 1. de san. tuen cap. 5. dicebat immensum esse temperamentorum discrimen. Propterea, cum qualis sit ad vnguem cuiusq. tẽperies exactè cognosci nequeat, ineffabilis iure di.

Cuiusq. ẽsse ineffabilem proprietatem.

At præter temperamentum cuiq; etiam homini proprietas quędam indiuidualis inest consurgens ex multorũ concursu, quæ in nullo alio præter quã in eo, in quo sunt, & cuius naturam statuunt, reperiri possunt. Nam ex temperamento nedum totius, sed etiam partium, & pręsertim principalium, ex calido innato tãto, ac tali, insuper ex certa partiũ cõformatione, magnitudine, & figura, ex ætate, sexu, corporis habitu, consuetudine, vitæ studiis, & similibus emergit huius, vel illius naturæ proprietas quædã, quæ à Gal. ineffabilis iure appellatur. Propterea quod est indiuidualis natura, quã sciẽtia assequi nõ licet, sed solũ artificiosa quadã cõiectura, quando de particularibus nõ sit certa cognitio.

Hæc itaq. ni fallor ego, est illa cuiusq; naturę proprietas ineffabilis, quam in exacta medendi methodo considerandam esse docuit Gal. 3. meth. 7. citato, cuius cũ exactissima scientia haberi nequeat, ideo existimauit eũ esse optimum cuiusq. particularis ęgritudinis medicũ, qui iam methodũ quandã cõparauit, ex qua, & dignoscere naturas possit, & coniectura consequi, quæ sint cuiusque propria remedia. Atq. eodem capite subdit. Si cuiusque priuatim naturam explorare ad vnguem scirem, vtique qualem fuisse Æsculapium mente concipio, talem me esse putarem, sed quoniam id fieri non potest, certè vt, quoad homini licet, quàm proximè accedam, tum ipse me exercere decreui, tum alios, vt idem faciant, adhortator.

Proponitur methodus, qua naturæ proprietas cognoscitur.

Porrò methodus, qua vniuscuiusq. naturę proprietatẽ dignoscere licet tãgitur à Gal. 3. meth. 3. & 1. ad Glauconem 1. & est diuisiua methodus, quã ideo lib. 1. cap. 8. tantifaciendam esse demonstrauimus. Hac etenim mediante proprium à communi secernimus: quantòq. plura quis discreuerit, limitaueritque artificiosè ratiocinans, eò propius coniectura quadam ad proprietatem accedet. Licet ipsum ad vnguem proprium nec scribi omnino possit, nec dici.

Quænam sit ineffabilis proprietas, quæ methodo cognosci nequit.

Deniq si respexerimus eã ineffabilẽ proprietatem, quæ nulla methodo cognoscitur, sed vel sola ęgri relatione, vel sola experientia innotescit huic etiam intenti esse debemus. Exẽplum habemus apud Gal. 7. meth. cap. 6. Noui enim (inquit) quosdam, qui, si quod vigilantiũ opus noctu obire fuissent coacti, dormire pręterea non poterant. Talibus igitur, vt noctu bibant, consulendũ non est, ne videlicet ea occasione vigilare coacti maximam inde noxam sentiant. Siccat nãq. totũ corporis habitũ vigilia, eoq infensissima est ijs, qui ex siccitate laborãt. Quare in huiusmodi ægrotãtibus ex Gal. mẽte cauendũ erit, ne per noctẽ medicamẽta, vel alimẽta, cuiuscunq. generis offerãtur, ne in vigilias incidãt, & vires collabantur. Amplius sunt, & qui, si ptisanam gustent protinus nauseent: eadem in quibusdam facilè acescit, quare in istis, etiam si aliis de causis

sis

sis conueniret, à ptisana abstinere oportet. Esse vero aliquos, qui facilè carnem bubulam concoquant præterea alios esse, qui ad alios cibos, potusque recte se aut non rectè habeant, clarum est.

De indicationibus à parte affecta desumptis.
Cap. XXXVI.

Pars affecta curãdi rationẽ immutat, & cur.

DEnique multi faciendæ sunt indicationes, quæ desumi solent à parte affecta. Siquidem multùm vniuersalis illa curandi ratio respectu afflictæ partis euariat, & iure. Nam si pars illa est, quæ morbo afficitur, & illa eadem, quæ curatur, neq. partium eadem sit dignitas, idem situs, eademq. figura, structura pariter sit diuersa, alijsque insuper rationibus membra inter se differant, profectò pro partium diuersitate diuersa quoque medendi ratio suborietur.

Pars interim consideratur solùm respectu indicãtis curatorij.

Et quoniã interim loquimur de indicante curatorio, & pars affecta considerari potest tum respectu curationis, tum respectu indicantis præseruatorii, tum denique respectu propriæ naturalis constitutionis ratione cuius indicat sui conseruationem per similia, quod spectat ad indicans vitale. Propterea in præsenti affectam partem consideramus non tanquam vitale indicans, neque respectu indicantis præseruatorii, nimirũ ipsius morbificæ causę, sed solũ respectu curationis, seu indicantis curatorii: Quocirca contemplandum ex Gal. mente qualem indicationem præbeat affecta pars in morborum curatione.

Pars non consideratur respectu tẽperamenti, sed aliorum.

Et rursus, quia considerari potest, vel respectu proprij temperamenti, aut respectu situs, dignitatis, figurę, compositionis, sensus hebetis, vel eximij, aut alia ratione, atque hactenus dixerimus quo pacto temperamentum nedũ totius, sed etiam alicuius determinatæ partis indicet, ita vt ab ipso necessariò desumendæ sint curatoriæ indicationes. Idcirco interim prætermissa partis temperatura aliorum ei inhærentium respectu considerari debet.

Quid indicet pars.

Veruntamen, vt ad methodum aliquam res hæc deducatur, dico affectã partem in remediorum quantitatis, eorundem materiæ electionis, & vtendi modi cognitionem nos deducere posse. Quæ sanè omnia paucis declarare oportet.

Qua ratione partis situs indicet remediorũ quantitatẽ.

Et quatenus pertinet ad auxiliorum quantitatem, seu ad eorundem qualitatis maiorem, minoremue intensionem, Gal. 7. meth. cap. vlt. & lib. artis med. cap 89. dixit id docere partis situm. Nam si loquamur de remedijs externis 7. meth. ait, quæ per summa corporis partes intemperie laborant, ijs medicamenta, quæ intemperies requirit, applicanda esse: at si partes intemperie laborantes fuerint in profundo corpore, in iis ratione interualli inibimus. Si enim medicamentis iis vtere, quæ intemperies expostulat, vtique multò imbecilliora, quam pro vsu tuo ad locum affectum peruenient. Vt si exempli gratia intemperies calida morbosa recesserit à naturali statu per duos gradus, requirit pro sui ablatione medicamenta frigida, quæ pariter à mdiocri temperie recedant per duos gradus versus frigidum. At si pars hæc intemperie laborãs sit in profundo, cuiusmodi est per exemplum hepar, medicamenti vis in itinere soluetur, & amittet vires suas, prius quàm perueniat ad locum affectũ. Propterea necessariũ est, vt medicamentũ non solũ tantã habeat frigiditatem, quãtã exigit intẽperies calida, sed vltra eandẽ mensura tantũ adiici debet, quãtũ ex situ, vt pertingere possit ad locũ patientem, sit necesse. Quare, vt optimè dixit lib. artis medic. cap. 89. si pars affecta in penitioribus locis sita sit, ma-

Ostenditur exemplo remediorum externorũ.

chinari oportet tale inuenire salubre remedium, cuius uis in itinere nequaquam antea soluatur, sed tale sit, quale oportet, cum ad locum peruenerit affectum.

Probatur exemplo internorum.

Et licet Gal. id asserere visus fuerit de externis remediis, attamen idem preceptum obseruandum est etiã in internis. Si enim quis laborauerit intemperie calida renum à mediocritate recedente per duos gradus, medicamenta frigida per os assumenda non solum debebunt esse frigida per duos gradus, sed vltra. Tantùm enim frigidiora esse oportebit, quantùm in longo itinere eorum virtus solui potest, vt quando peruenerint ad affectos renes, tantò frigida sint, quantùm intemperies calida renum expostulat.

Dubitatio.

At statim dicet aliquis, ergo remediorum quantitas non solum indicatur à recessu à naturali statu, sed etiã à propinquitate, & longinquitate afflictæ partis, vnum igitur à duobus indicabitur. Augetur difficultas. Nam si partis situs, vt in fra cap. 33. demonstrabimus, indicat utendi modum, seu quomodo agendum, & indicat etiam remediorum quantitatem, vt ostensum fuit, ergo nedum vnum à duobus indicabitur, sed versa uice vnum quoque duo indicabit. At certum est ex Gal. doctrina vnum tantùm ab uno indicari.

Solutio.

Respondeo vnum ab vno per se indicari, at quòd per accidens ab alijs etiã indicari possit, nihil prohibet. Cum itaque accidat, vt pars affecta alteranda longinquior sit, & uis medicamenti in longo itinere soluatur, hinc à situ partis nobis insinuatur, vt conuenienti mensuræ tantùm adijciatur, quantùm ex situs longinquitate remedij virtutem remitti contingit, id autem est per accidens, non autem per se, quoniam solùm à recessu à naturali statu per se indicatur auxiliorum quantitas. Et cum additur situm partis indicare quomodo agendum, quare non posse indicare remediorũ qantitatẽ, dico pariter non esse inconueniens vnũ duo indicare, sed hoc per se, illud per accidens, per se situs partis indicat vtendi modum auxiliorum verò quantitatem per accidens.

Affectam partem docere auxiliorum materiæ electionem.

Cap. XXVII.

Medicamẽtorum materiæ electio valde necessaria.

SEcundo loco affecta pars nobis insinuat remediorum materæ electionem, quę summopere pro morborum curatione necessaria est. Nam cum tam magna sit remediorum simplicium, & compositorum copia, quæ habent facultatem eandem, vt puta refrigerandi, exsiccandi, abstergendi, aut aliud efficiendi, ratione cuius facultati illi, cui opponuntur morbo, omnia indifferenter cõueniunt: atque ex altera parte horum quædam sint crassarum, alia tenuium partium, nonnulla lenia, quædam acria, & mordacia, alia naturæ nostræ familiaria, alia verò inimica, seu alia ratione inter se differentia, idcirco operæ pretium est nouisse, qualia ex tam magna sylua eligenda, qualiaue fugienda sint: & à quibus horum, vel illorum remediorum electio indicetur. Hoc autem edocet affecta pars, vt ex varijs Gal. locis colligere licet.

Medicamẽtorum electionem docere affectam partẽ ostenditur Gal. auctoritatę.

Nam 4. meth. 7. non eadem medicamenta vlceribus internarum, & externarum partium conenire asserit. Siquidem communis internarum partium indicatio est, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maximè sunt familiaria, siue ea cubi sint, siue medicamenta, fugiantur, respuanturque huic contraria, quanquam in his, quę foris sunt, vlceribus, innoxius etiam talium medicamentorum

est

est vsus æruginis, ærisque vsti, & ęris squammæ, & cadmię, & pompholygis, lithargyri, & cerussæ. Hęc igitur, & simil a interioribus exhiberi non debent, eligenda verò alimenta sunt. Siquidem ad cicatricem perducere, aut agglutinare vlcus studemus, tum austera, tum glutin sa, tum quæ minimè mordeant, eligenda sunt: sin mundare, quæ modicè abstergant, quod munus mel non coctum præter cætera pręstat. Quę verò agglutinant sunt austera, & acerba, vt hypocystis, balaustium, & cytini punicorũ, & galla, & malicoriũ, & terra samia, & lemnium sigillum, & id genus alia.

Partis affectæ sensũ hebetẽ, vel eximiũ idẽ idicare probatur Gal: auctoritate

Amplius hebes, aut eximius sensus partis facere videtur ad remediorum materiæ electionem, vel dicente Gal. 7. meth. cap. 13. non spernendam esse indicationem eam, quam sensus partium acuitas, hebetudoque suppeditant, quando omne medicamen contemnant, quę tardi sunt sensus, etiamsi non leuiter mordeat: at quæ acuti sunt sensus earum vires dolore resoluũtur. Quapropter si pars, quæ hebeti sit sensu prædita, vlcere laborauerit, tunc acribus, & mordacibus medicamentis vti licebit, sed vlcere existente in parte eximij sensus, cuiusmodi est oculus, eligenda erunt medicamenta, quæ minimè mordeant, sed lenia sint.

Dubitatio.

Neque dicant aliqui hoc non spectare ad methodum curatiuam medendi, sed ad methodum componendorum medicamentorum, quare oportere, vt artifex, qui medicamenta conficit, ita ea componat, vt non sint aspera, sed lenia gratia exquisiti sensus partis.

Solutio.

Nam dicam ego ex Gal. mente 3. meth. cap. 5. compositionem medicamentorum sequi medendi methodum, qua inferimus exquisitum sensum partis lene expostulare medicamentum, hebetem verò acre permittere: hoc igitur cognoscitur ui methodi medendi, & ad eam pertinet hæc indicatio, quæ desumpta ab exquisito, aut hebeti sensu partis docet nos vti debere, vel remedio acri, & mordaci, aut leni. At qua ratione deinde huiusmodi remedia componenda sint, hoc pertinet ad methodum componendorum madicamentorum.

Confirmatur respõs.

Pręterea in huius responsionis confirmationem addo ex Gal. 4. localiũ cap. 1. hoc omnino pertinere etiam ad medendi methodum. Ibi etenim loquens de medicamentis lenibus, quæ in oculorum morbis conueniunt, cum exquisitus eorum sensus acria medicamenta renuat, hæc habet. Non equidem alia est componendi, alia vtendi methodus in his pharmacis: ipsa enim compositio velut ad vsum relata conficitur, ita vt ij, qui pharmaca componunt, scopum habeant vtilitatem ex usu ipsorum emergentem. Clarum est igitur ex Gal. sententia sensum partis exquisitum, vel hebetem nos docere medicamentorũ materię electionem.

Partis sitũ conferre ad materiæ electionem ostendit Gal. auctoritate.

His addo à situ partis materiæ iuuantis electionem inueniri. Quæ est doctrina Gal. lib. artis medicæ cap. 89. Nam si pars alteranda fuerit in profundo, & egeat refrigerantibus remedijs, illud in ipsis præ oculis habendum, vt videlicet contemplemur materiam medicamenti. Si enim hæc crassarum fuerit partium non admodum poterit ad profunda penetrare, & potius contrarium præstabit effectum spissando superficiem, atque densando, at si tenuioribus partibus constet, poterit sanè plurimùm subire profundum. Quocirca aut eligenda erunt medicamenta frigida, quæ sint tenuium partium, aut saltem eis admiscenda erunt huiusmodi remedia, vt promptius penetrare possint.

Remedia proportione partiũ

Denique dicerem vnanquãque partem ratione propriæ cuiusdam proprietatis docere nos, quęnam medicamenta sint eligenda pro morborum eas

affligentium

respicentia sunt extra methodum.

afflig entium oblatione, quæ sanè medicamenta habent cum affecta parte analogiam talem, vt eam ex omnibus iuuent: per exemplum malè affectum iecur eupatorium plerunque valde confirmauit. Vnde medicamenta non nulla passim hepatica, splenica, stomachica, ophtalmica, cephalica, aut alio nomine vocamus, prout hanc, vel illam partem respiciunt. Dicerem, inquam, horũ omnium electionem à parte affecta indicari, si hoc cognoscere possemus ratione, & vi methodi medendi, sed quoniam experientia illa est, quæ id nos edocuit, vt sensit etiam Gal. 5. simpl. cap 24. lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 4. & 1. de comp. med. per gen. cap. 1. idcirco horum remediorum electionem tanquam extra methodum, & soli experientiæ innixam prætermitto.

Dubitatio.

Verùm non leuis oritur dubitatio, ad quam scilicet agendorum speciem reduci debeat medicamentorum electio. Nam certum est, quòd non refertur ad vllum eorum modorum, qui pertinent ad rectam administrationem, quoniam neque pertinet ad dosim, neque ad vbi, neq. ad quomodo agendum, neq. ad temporis opportunitatem, quando rectus vsus respiciat materiam non eligendam, sed iam electam, & inuentam. Veruntamen neque reduci poterit ad qualitatem, aut quantitatem præsidij, ex quibus constituitur quid agendum specificum. Propterea quod materiæ medicamentorum electio præsupponit qualitatis, & quantitatis eorundem cognitionem. Exempli gratia ab intemperie calida vt duo indicatur præsidium frigidum vt duo, cognita igitur qualitate, et quantitate huius præsidij, inde se transfert medicus ad electionem materiæ, quę possit refrigerare vt duo, ergo electio non erit qualitas, aut quantitas. Quòd si hoc uerum est, ergo vel dicendum est diminutum fuisse Gal. diminutosq. fuisse omnes, qui de medendi methodo scripserunt, cum inter agendorum numerum non connumerauerint materię remediorum electionem, vel hanc aliquo pacto reduci debere ad aliquam ex enumeratis agendorum differentiam.

Solutio.

Existimarē materię medicamentorum electionem esse speciem quandam ipsius specifici, & determinati auxilij, & præsertim qualitatis eiusdem. Quod exemplis declaro. Vlcera prout vlcera sunt ratione excrementorum tenuium, & crassorum indicant siccantia, & abstergentia medicamenta: horum autem quædam familiaria sunt naturæ nostræ, & veluti alimenta, alia verò opposito modo sese habent, vtraque tamen quoniam siccant, & abstergunt vlceribus omnibus, quatenus vlcera sunt, conueniunt. At quia vlcera sunt alicuius determinatę partis vlcera, idcirco ratione diuersitatis naturæ partium alijs partibus vlcere affectis alia, & diuersa siccantia, & abstergentia remedia sunt vtilia. Quare si pars affecta fuerit interna, conuenient remedia illa, quę sunt veluti alimenta, & familiaria naturę nostræ, vt mel, & huiusmodi, sicuti si ad cicatricem sint perducenda, hypocystis, balaustium, cytini punicorum, & similia erunt ex vsu: si verò pars externa fuerit, eligere etiam poterimus æs vstum, æris squammam, pompholygem, & id genus alia. Insuper cum medicamentorum vlcus respicientium quędam lenia, alia acria sint, & mordacia, quænam horum seligenda sint, docebit eximius, aut hebes partis affectę sensus. Ecce igitur quomodo materiæ electio est veluti quędam species ipsius qualitatis pręsidij, quę non amplius à morbo, sed ab affecta parte indicatur, quando morbus, qui est accidens ratione affectę partis, cui inexistit, alia, vel alia remedia requirat, quæ quidem respectu morbi habeant eandem facultatē, sed talia tamen sint, quę, afflictæ parti non noceant. Hinc Gal. 5. meth.

11. dicebat,

11. dicebat, quo genere medicamenti in singulis partibus vtendum sit, desumi ab ipsa curandarum partium substantia, sed cum affectu prius etiam æstimato.

Tandem affecta pars non solum remediorum quantitatem, eorundemque materiæ electionem nobis insinuat, sed etiam indicat vtendi modum, seu quomodo agendum, vt docuit idem Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 19. dicens a morbo, & á causa morbi indicari auxilii genus, à facultate mensuram, à loco affecto vtēdi modū. Qua ratione aūt ab affecta parte indicetur vtendi modus, seu quomodo agēdum infra cap. 33. declarabitur, vt omnia suis locis considerentur, quando vtendi modus pertineat ad rectum remediorum vsum.

Partē affectam indicare quomodo agendū.

De recto præsidiorum vsu in curandis morbis.

Cap. XXVIII.

NOn sat est pro morborum curatione nouisse, quid agendum sit, neq. sufficit vtilia inuenisse præsidia, quia nisi rectè inūnta rectè etiam administrentur non poterimus fieri voti compotes. Quinimo perperam administrata, quæ alia ratione remedia vtilia forent, damnosa efficientur. Quapropter cum hucusque illa omnia considerauerimus, quę necessariò requiruntur ad auxiliorum inuentionem, recta docendi ratio expostulat, vt de recto eorundem vsu sermonem faciamus.

Quemadmodum autem remediorum inuentio respicit pręsidium iuuans, ita eorundem recta administratio respicit auxilii materiam, & iure. Nam mediantibus curatoriis indicationibus ab illis omnibus, quæ diximus, desumptis cognoscit quidem medicus quid agēdum specificum, idest quale futurum esse oporteat pręsidium pro debellando hoc, aut illo morbo, per exemplum refrigerandum esse vt duo. Verùm hic non est vltimus medici finis, sed sanitas introducenda, seu ipsius morbi sublatio, quare cognito pręsidio iam cogitat, quęnam esse oporteat huius præsidii materia, quam ex magna medicamentorum tam simplicium, quàm compositorum sylua ad vnguem eorundem facultates noscens eligere debet, vt ex huius admistratione depellatur morbus, & sanitas introducatur.

Recta administratio respicit præsidij materiam.

At inuenta præsidij materia non quocunque modo administranda est, sed cum ratione, & methodo. Quam enim vtilitatem ægrotanti afferre poterit, si neque in debita dosi, neque loco idoneo, modo conuenienti, ac opportunè, sed temerè, nullo horum seruato, administretur? Propterea necessariò requiritur rectus vsus, quem assequemur, si in debita quantitate, seu dosi medicamentum vsurpetur, si vtendi modus conueniens, si locus idoneus, & denique si tempus opportunum fuerit. Tot igitur illa sunt, quæ requiruntur ad rectum vniuscuiusque præsidij vsum.

Quot requirantur in recta agendorum administratione.

Veruntamen hæc omnia ab aliquo indicari debent, quare a quibus indicetur vnunquodque seorsim ex Gal. mente considerandum, vt confusio quantùm fieri potest euitetur.

De quantùm agendum, idest de medicamentorum dosi à quo indicetur.

Cap. XXIX.

QVantùm agendū ad duo referri potest, nēpe vel ad auxilium, vel ad auxilii materiam, si ad auxilium referatur, vt puta ad alterans, iam ex qualitate.

litate,& quantitate huius pręsidii constituitur quid agendum specificum, sicuti lib. 1. cap. 19. ostensum fuit.

Quantitas, quæ respicit materiã auxilij dicitur dosis.

At si quantitas respiciat auxilij materiã, tunc pertinet ad rectum vsum, nimirum ad dosim medicamenti. Et notandum, sicuti nonnulli optimè animaduerterunt, medicamenti dosim referri ad quantitatem non discretam, sed continuam. Nam quòd pluribus uicibus vtendum sit aliquo remedio, id nõ spectat ad quantùm agendum, sed ad quomodo agendum, vt infra cap. 29. declarabitur: licet alij, aliter senserint, ipsum scilicet pertinere ad quando agendum.

Dosis medicamenti à quo indicetur.

Porrò dicunt medicamentorum dosim indicari non ab essentia indicantis, sed ab eo, quod essentiam consequitur, nimirum ab actione morbi, quæ si maior, & vehemẽtior fuerit, indicat remediũ in maiori dosi administrari debere. Siquidem datur summa dosis, mediocris, & minima: Summa indicatur à summa morbi actione: mediocris à mediocri: minima verò est à minima: indicati, & rationabiliter. Nam sic euadet remedium æquale morbo, & habebit tantã vim, quanta requiritur, vt possit morbum debellare. In maiori etenim quanto maior est virtus, in minori minor, præsertim in ijs, quæ agunt mediantibus qualitatibus, cuiuscunque generis eæ fuerint.

Vnum notatione dignum circa dosim.

Cæterum morbus dicitur habere magnam actionem, quando est cum magno recessu à naturali statu, & tunc eget vehementioribus contrariis, minorem autem actionem habebit, si parùm à mediocri statu recesserit, & minoribus contrariis indigebit. Vnde cum recessus iste denotet præsidii quantitatem, vt per exemplum, quòd sit refrigerandum vt duo, inuenta materia refrigerantis præsidii, illud circa dosim animaduertendum, vt habito quidẽ respectu ad morbi actiuitatem augeatur, vel minuatur dosis, prout maior, aut minor est morbi actiuitas, cum hoc tamen, vt facultatem quoque, & vim refrigerantis medicamenti consideremus. Fieri etenim potest, vt interdum medicamentum tantam actiuitatem habeat, quòd si ad hanc minimè respicientes, sed solùm ad eius dosim, eam adeo adaugeamus ob morbi actionem summam, vt transcendamus sanitatis limites, & contrarium morbi genus introducamus. Quod vt euitemus in pręscribenda medicamentorum dosi non solũ morbi actiuitas, sed etiam medicamenti uis considerari debet, vt vtrisque, quãtùm fieri potest, ad vnguem perpensis tale reddatur medicamentũ, vt morbo ęquale efficiatur. Qua de causa Gal. 7. meth. 7. loquens de intemperie frigida, & sicca venturiculi, cũ proposuisset in antecedenti capite remedia ad siccitatem tollendam inquit, calefacientis materiæ admiscendum iam dictis tantũ fore, quantùm particula ad frigus inclinauit.

Quemadmodum igitur ad iuuantis præsidii inuentionem respicimus qualitatem, & quantitatem eiusdem, & ex vtrisque constituitur quid agendum specificum; ita etiam inuenta præsidii materia, cum maior eiusdem quantitas illam in agendo efficaciorem reddat, debemus in pręscribenda dosi considerare morbi actiuitatem, & materiæ præsidii qualitatem; vt ex vtrisque opportunum euadat medicamentum ad morbi sublationem.

Respondetur tacitæ obiectioni.

Neque dicant sophistæ vnum ab vno tantùm indicari, quare medicamentorum dosim, cum sit vnum quoddam, ab vno tantùm indicari, nempe à morbi actione, non à facultate, & vi medicamenti. Nam dico eam indicari quidem ab actione morbi, moderari verò à medicamenti facultate.

O

De vtendi

De vtendi modo, ad quem pertinet tum quomodo tum vbi agendum.

Cap. XXX.

MEdicamenta, vt opus suum rectè peragere possint, variis vsurpantur modis: id quod aliis quidem de causis, sed præcipuè contingit ratione partis affectæ, vt ex dicendis manifestum fiet. Interdum etenim adhibentur actu calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, aut potestate talia: aliàs in substantia, aut in infusione, rursus aut interna sunt, aut externa, & vtcunq. diuersis modis. Nam si interna fuerint, ea multis modis administrari poterunt, nimirũ vel per clysterem, vel per glandulã, vel inijciuntur in vesicam, in vterũ, aut per os assumuntur in forma solida, vel pulueris, vel potus, vel deglutiendo, vel lambendo, vel detinendo in ore, & masticando, vel per nares attrahuntur. Si exterius admoueantur, id fieri potest, vel in formam insessus, balnei, stillicidij, perfusionis, inunctionis, cataplasmatis, vnguenti, cerati, sacculi, epithematis. Amplius ad vtendi modum pertinet etiam cognoscere, an semel, bis, terue, aut quater, an pluribus vicibus medicamento sit vtendum.

Quot modis medicamẽta vsurpentur.

Tot igitur sunt modi, quibus vtimur medicamentis inuentis, & si qui alij reperiuntur. Qui sanè modi licet omnes pertineant ad quomodo agendum, horum tamen plurimi spectant etiam ad vbi agendum, ita vt sæpissimè vbi agẽdum indigeat ipso quomodo, & alterum sine altero esse nequeat. Nam qua ratione, vt infra dicemus, vlcera in intestinis, gula, aut ventriculo, aliaue interna parte existentia sanaretur, nisi remedia ad ipsa peruenirent quod pertinet ad vbi agendum? At ad ea peruenire nequeunt, nisi diuersimode ijsdem vtamur. Sic etiam quando vlcus est in aspera arteria, tunc mediante quomodo agendum medicamenta ad vlcus delabuntur. Iubemus enim, vt ait Gal. 4. meth. 7. vt æger supinus quàm diutissimè in ore medicamentum teneat, ac omnes, qui illic sunt musculos, relaxet, remittatque. Influit nanq. sic sensim, & paulatim de medicamento aliquid sensibiliter, & manifestè in ipsam arteriam.

Vbi agendum sæpissimè eget quomodo agendum.

Propterea cum hæc duo agenda interse ita confusa esse videantur, Gal. 1. ad Glauconem 1. non fecit mentionem seorsim ipsius quomodo, & vbi, sed solùm proposuit vtendi modum, quoniam hic ambo complectitur. Quare hæc duo eatenus interse se distincta esse videtur, quatenus quomodo agendum respicit modum, quo remedijs vti debeamus, & à quampluribus, ijsq. diuersis indicatur, sicuti infra demonstrabimus: vbi verò agendum respicit morbi subsistentiam, à qua insinuatur, & per vbi agendum nil aliud quærimus, nisi vt remedii virtus deueniat ad locum affectum, quacunq. ratione deinde id contingat.

Vbi, & quomodo videntur interse confusa.

Quocirca si agentes de quomodo, & de vbi seorsim eadem interdum ad vtriusque declarationem proponemus exempla, nemini mirum esse debebit, quando sæpe quomodo agendum inseruire videatur ipsi vbi, & vnum sine altero explicari non possit: quemadmodum etiam si nomina confundentes non nunquam nomine vtendi modi pro quomodo vsi fuerimus.

Excusatio auctoris.

De quomodo agendum, à quo indicetur aliorum opinio consideratur. Cap. XXXI.

Quomodo agendũ indicari à morbi passione aliorũ opinio.

QVanuis tot videantur esse modi, quibus vtimur medicamentis inuentis existimarunt tamen nonnulli ab vnica passione morbi hos omnes indicari. Passionem autem hanc dicunt esse vel difficilem, vel facilem: difficilis exempli gratia passio dicitur, quando morbus est in habitu, ita vt difficulter pati, & amoueri possit à medicamentis, facilis verò si erit tantùm in dispositione. Nam cum medicamentum vario modo agat, idest modò magis, modò minus efficaciter, id illi contingit, quatenus vario modo administratur. Verbi gratia remedium refrigerans efficacius agit, si actu frigidum administretur: pariter medicamentũ calefaciẽs efficacius calefacit, si actu calidũ adhibeatur.

Gal. auctoritates aduersus prędictam opinionem.

Et quia videbant adesse Gal. auctoritates, ex quibus colligere licet vtendi modum indicari interdum aut ab exquisito sensu partis, aut ab eiusdem compositione, aut insuper à dignitate. Ideo declarare tentarunt has Gal. auctoritates.

Respõdent primæ.

Atque primæ auctoritati de exquisito sensu partis ex 1. meth. vltimo desumptæ respondent locum illum non spectare ad methodum curatiuam medendi, sed ad methodum componendorum medicamentorum, quare oportere, vt artifex, qui medicamenta conficit, ita ea componat, vt non sint aspera, sed lenia gratia exquisiti sensus oculi.

Reijcitur responsio.

Cæterum existimo ego hanc Gal. auctoritatem esse omnino pręter rẽ. Nam ab eximio, aut hebeti sensu partis non indicatur quomodo agendum, sed materiæ remediorum electio, vt ostensum fuit supra cap. 27. quia si pars affecta fuerit eximii sensus lenia medicamenta eligenda erunt, si verò hebetem sensũ habuerit, acria etiam, & mordacia tolerare poterit.

Quapropter, cum Gal. loco citato non loquatur de vtendi modo, sed de materiæ remediorum electione, quæ est ab ipso diuersa, auctoritas allata videtur esse prorsus pręter rationem. Præterea falsum quoque esse, vt supra citato capite demonstratũ fuit, cognoscere, an remediis acribus, vel lenibus vtendum sit, pertinere ad methodum componendorum medicamentorum, quando hæc cognitio spectet ad medendi methodum: licet deinde, qua ratione similia remedia componi debeant, doceat methodus componendi medicamenta.

Respõdent secundæ.

Secundæ auctoritatis 13. meth. vltimo de stillicidio, quod conuenit in cerebri, non autem in oculorum morbo, respondent, quantùm spectat ad passionem morbi, quæ est exempli gratia intemperies frigida in habitu, cuius passio sit difficilis, hanc & ratione intemperiei frigidæ cerebri, & ratione intemperiei frigidæ oculi indicare medicamentum calidum in formam stillicidij, quia in vtroque morbo passio est difficilis. Veruntamen vis cerebri permittit, virtus oculi prohibet, quare in oculorum morbo non conuenit stillicidium, conuenit autem in cerebri affectu.

Reijcur responsio.

Verùm non crederem passionem morbi difficilem indicare stillicidium, sed indicare remediũ generosum, quod haberet magnã agendi facultatem, vt radicitus tollere posset confirmatũ morbum, & in habitu. At vtendi modus desumitur ab affecta parte. Nam, quia cerebrum circundatur cranio, huiusmodi partis compositio indicat modum, quo medicante remedium adhibitum communicare

municare possit virtutem suam cerebro, quod cõtinget, si in stillicidij formam administretur, non tamen cuiq. parti capitis indifferenter, sed coronali suturę, quia per eam partem, tum ratione suturę, tum ratione ictus facilius medicamẽti virtus intropellitur. Qui sanè vtendi modus oculo non conuenit dupli de causa, vt ait Gal. nimirum ob illius mollitiem, & quia in capite aliud est, quod ictum excipit, aliud, quod curatur, quodq. vt ictũ non sentit, ita facultate, quę ex incussu ad ipsum peruenit, fruitur: at in oculo nõ est, quod feritur, diuersum ab eo, quod curatur. Quare aliã medicamenti formulam requirit oculus, aliam cerebrũ, & indicatio hęc desumitur à parte affecta, non autẽ à passione morbi.

Tertia auctoritas non pertinet ad præsentem locum.

Quatenus verò pertinet ad alteram auctoritatẽ 13. meth. 12. vbi ait à dignitate partis desumendam esse indicationem vtendi modi: qua de causa in initio inflammationis hepatis docet vtendum esse repellentibus, quę non sint actu frigida, cum tamen in aliarum partium ignobilium inflammatione actu talia administrari debeant: huic auctoritati pariter respondere conantur. verũ quoniam hoc pertinet ad indicans præseruatorium, ideo huius rei determinationem reijcio in sequentem librum.

Gal. nullibi mentionẽ facit de passione morbi.

Amplius quamplurimæ aliæ sunt Gal. auctoritates ostendentes, vtendi modum desumi præsertim à loco affecto, non autem à passione morbi, vt ex dicendis apparebit. Propterea licet ingeniosissima sit opinio, attamen quia nullibi à Gal. scriptum inueni vtendi modum indicari à morbi passione, sed ferè semper ab affecta parte, eam tanquam logicam, & à Gal. placitis alienam non amplector.

Vtrum iteratus medicamentorum vsus pertineat ad quando agendum, an potius ad vtendi modum.

Cap. XXXII.

Antecedenti capite inter varios vtendi modos cõnumeratus fuit iteratus remediorum vsus: at difficultas est, an reuera spectet ad vtẽdi modum, an verò ad quando agendum. Propterea quid ex Gal. mente sentiendum sit paucis explicandum.

Aliorum opinio.

Existimarunt nonnulli remediorum vsum pluribus uicibus iteratum pertinere ad quando agendum, non autem ad vtendi modum, & ita opinionem suã declarant. In febri exempli gratia vti volumus lactuca, quare vtimur pluribus vicibus? Bis, ter, quater vtimur, quia prima vice non est expugnata febris, sed adhuc perseuerat eius præsentia, quæ præsentia cum sit causa, vt rursus vtamur lactuca, & pręsentia non indicet quantùm, sed quando agendum, ergo vsus remediorum pluribus vicibus iteratus pertinet ad quando agendũ.

Reprobatur hęc opinio eorundemmet auctoritate.

Veruntamen fortasse melius sentiemus, si dixerimus iteratas medicamentorum vices pertinere ad vdendi modum, quod ex eorundemmet auctoritate ostendi potest. Nam dum morbus est in habitu, & confirmatus, certum est, quòd nec vnica, neq; duabus, aut tribus medicamenti applicationibus auferetur, quare expostulat iteratas applicationes, vt radicitus tolli possit: at quãdo morbus est in habitu, tunc difficilis est illius passio, & passio ex eorum mente indicat vtendi modum, ergo iteratus remediorum vsus pertinet ad vtendi modum.

Auctoritate Gal.

Pręterea opinio hęc repugnare videtur Gal. qui 1. aph. 17. in com. illius aphorismi, *& quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel paucior, & particulatim*

oporteat offerre considerandum, inquit Hippocratem per illa verba, *& quibus semel, aut bis*, mentionem facere de modo ciborum: ergo etiam ex Gal. & Hippocr. mente præsidiorum vices plures, vel pauciores spectant ad quomodo agendum.

Ratione.

Ad hæc si præsentia indicantis est vnicum tantùm indicans, ergo vnum tantùm indicabit, nimirum opportunum tempus, sed hoc non consistit in iteratis remediorum vsibus, quare si iteratus quoque vsus a pręsentia indicantis indicaretur, duo ab vnico tantùm indicarentur.

Soluitur ratio, qua cõfirmant opinionem suam.

Et quando dicitur si prima vice exempli gratia non est expugnata febris, sed adhuc perseuerat eius pręsentia, hæc est in causa, vt rursus vtamur refrigerante remedio. Respondeo præsentiam semper indicare, quando opportunum sit refrigerandi tempus, at quòd iteratis vicibus fieri debeat, non docet, nisi quatenus febris, aut quiuis alius morbus contumax est, & difficilè mobilis, quod illi contingit, vel quia est cum magno recessu à naturali statu, vel quia est in habitu. Propterea ex Gal. mente 7. meth. vltimo, quæcunque calidiores natura partes frigore laborant, hæ & liberalius, & diutius calefieri postulant: contra verò pars, quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat, exigua, breuique temporis refrigeratione eget. Ratio hæc est, quoniam in hac paruus est lapsus à naturali statu, in illa magnus. Quare quod diutius, aut iteratis vicibus vtendum sit medicamento, id non indicatur a pręsentia affectus, sed ab eiusdem resistentia; tunc autem magis resistit, quando est cum magno recessu à naturali statu, & in habitu.

A quo indicetur iteratus medicamentorũ vsus.

Crederem igitur iteratum remediorum vsum pertinere ad vtendi modum, & indicari ab affectus resistentia, & contumacia, siue modò talis fuerit, quia sit cum magno recessu à naturali statu, siue quia sit inueteratus, & in habitu. Non quia recessus à naturali statu siue magnus, siue paruus indicet vtendi modum, quia, vt dictum fuit supra cap. 6. indicat quantùm agendum, vt puta quantùm sit alterandum, sed quia magno recessui accidit magna resistentia, quæ, vt superetur, pluribus vicibus medicamentis vtendum esse docet. Nam tandiu in remedijs persistendum, & tandiu reiteranda sunt, quousque ex toto ablatus fuerit morbus.

Respondetur obiectioni.

At dices, si perdurat affectus, ergo præsens est. Respondeo frustra nos quęrere vtendi modum remediorum, quicunq; ille fuerit, nisi affectus præsens ea non expostularet, sed dico hunc vtendi modum de quo loquimur non indicari à præsentia affectus, quatenus simpliciter præsens est, sed quatenus est contumax, & difficilè mobilis, cum præsentia tantummodo indicet tempus opportunum, & idoneum.

De quomodo agendum Gal. opinio explicatur. *Cap. XXXIII.*

GAl. non ab vnico tantùm fonte indicari vtendi modum, seu quomodo agendum existimauit, sed a multiplici, & iure. Nam cum vtendi modus multiplex sit, nec vnus secundum genus, vt ex supradictis apparuit, hinc neq; vnum erit indicãs, sed multiplex. Vnde iniustè Argenterius lib. 2. de officijs medici cap. 14. reprehendit Gal. quòd nil commune de vtendi modo docuerit, sed solùm particulariter.

Vt plurimum tamen ex Gal. sententia quomodo agendum desumitur à parte affecta: vnde lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 19. inquit à morbo, & à causa morbi indicari auxilij genus, à loco affecto vtendi modum. Plura tamen sunt, neq; vnius generis, quæ in affecta parte considerantur, & à quibus desumitur quomodo agendum. Quocirca 5. meth. 11. enumerauit formam, seu figuram, & situm partis. 2. verò ad Glauc. 2. addidit conformationem; & virtutem, & 13. meth. cap. 12. mentionem fecit dignitatis. Qua ratione igitur ex Gal. mente ex horum quibusdam, & ab alijs etiam desumatur vtendi modus in morborum curatione paucis declaremus.

A quo indicetur vtendi modus.

Nonnunquam igitur desumitur indicatio modi agendi à partis dignitate vt colligitur ex Gal. 13. meth. cap. 12. vbi docet in initio inflammationis hepatis non esse vtendum cataplasmatibus, vel inunctionibus reprimentibus actu frigidis, ne ab illa actuali frigiditate calor illius partis principis labefactetur, cũ eius munus toti animali sit commune. Verùm licet hoc pertineat ad indicans præseruatorium, quando reprimentia indicentur à fluxu materiæ morbificæ ad aliquam partem, de quo indicante in præsenti non est sermo: attamen ex hoc inferre possumus eodem modo administranda esse alterantia remedia externa, refrigerantia videlicet ipsi hepati, vt nimirum actu frigida non adhibeantur, sed tepida, ne huius principis partis naturalis facultas labefactetur. Quæ eadem remedia alteri parti non principi, vt puta renibus actu frigida administranda erunt.

A dignitate partis.

Amplius sæpissimè vtendi modus indicatur etiam à situ, & figura partis, vt exemplo vlcerum docuit Gal. 4. meth. cap. 7. cui enim exulceratus est ventriculus, medicamenta sunt bibenda, cui gula non semel, nec tota simul assumenda, sed paulatim, & assiduè, quando ex transitu, & contactu vlceribus, quæ hic sunt, vtilitas accedit, non ex continendo, & diutius adhęrendo, sicuti ijs, quæ in ventriculo sunt. Quinimo & quòd crassiora hęc, & magis lenta sint adhibẽda, id quoq; à positu, figuraque est indicatum. Nam quoniam gula transitus quidam comestorum, bibitorumq. est, idcirco remediorum eget, quę adhęrere, & vndique quasi cõcrescere, & agglutinari possint, non autem quæ elui, ac defluere sunt prompta. At circa partes eius veluti concrescunt, quæ crassa sunt, agglutinantur, quæ lenta sunt. Quæ verò vlcera in crassis sunt intestinis, ijs, quæ, per sedem iniiciuntur, remedijs magis egent, quippe cui magis sunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur (quoniam longinquiora sunt, & medio situ posita) ambo requirunt, & quæ supernè sumuntur, & quæ per sedem infunduntur.

A situ, & figura partis.

Insuper indicari potest quomodo agendum à partium compositione, seu structura. Propterea Gal. 13. meth. cap. vlt. in affectibus cerebri remedia extrinseca suturæ coronali præsertim applicanda esse dicit, cum hoc in loco tenuissimum sit cranium, & rarissimum. Ergo quoties medicamenti cuiusquam vim vehementer descendere voles hoc maximè loco impones. Commodius etiam fuerit, si & cum frictione id facias, aut tonsis capillis, aut etiam planè abrasis. Quòd si humidum sit, quòd applicandum est, si id ex alto effundas, ac veluti fontis ritu, aut mauis dicere in formam stillicidij ex alto cadentis illidas, tunc ab ictu virtus medicamenti magis intrò compelletur. Qui sanè vtendi modus conueniens est, & indicatur à capitis compositione, & structura. Impediunt enim cranium, & dura meninx cerebrum cooperentia, quò minus facilè virtus medicamenti cerebro communicetur, nisi suturę admoueatur, &

A partium compositione.

sępissimè

ſępiſſimè cum ictu. Quo ſanè modo non poſſumus vti in oculis cum ſint membranoſa quædam, imbecillaque corpora, ita vt ictum perferre nequeant, atq; ideo ſat ſit ipſis medicamenta infundere. Pręterquamquod ratione ſtructuræ differunt etiam interſe, quando in capite aliud ſit, quod ictum excipit, aliud quod curatur, quodq; vt ictum non ſentit, ita facultate, quæ ex incuſſu ad ipsũ peruenit, fruitur: at in oculo non eſt, quod feritur, diuerſum ab eo, quod curatur.

A morbi reſiſtentia.

Pręterea vtendi modus indicatur etiam aliquando à reſiſtentia morbi, vel vt alii dicunt à difficili eius paſſione, quoniam ſcilicet eſt cum magno receſſu à ſtatu naturæ. Hinc in febribus, quarum calor valde vrget, & difficulter a remediis refrigerantibus extinguitur, vtimur iiſdem actu frigidis, vt efficacius agant.

Amplius in confirmata alicuius viſceris intemperie, quia hęc iam altas immiſit radices, & ideo difficulter amoueri poteſt, iteratis vicibus vtendum erit præſidiis, quæ intemperiei illi contraria ſint, vt quod bis, terve applicitis remedijs prę affectus contumacia, & difficili, vt aiunt, paſſione conſequi non licet, iiſdem ſępius iteratis priſtina, naturaliſque temperies reſtitui poſſit.

Ab ægrotantis natura.

Quid ſi dixerimus etiam quomodo agendum interdum indicati, vel ab ægrotãtis natura, vel electione, vt videlicet eis morem geramus. Ab ægrotantis quidem natura, quoniam noui quoſdam, qui ne vel minimum bolũ deglutire poterant, quare ipſis medicamenta omnia in formam potus adhibere oportebat. Quibuſdam verò modò in formam boli, modò potus, modò in aliam formam medicamenta præſcribimus, vt eis morem geramus, & quantum fieri poteſt, iucundè medeamur.

Ex his igitur, & ex illis, quę in antecedenti capite dicta fuerunt, apparet vtendi modum, cum ſit multiplex, & tam varius, neque habeat vnum commune genus, à diuerſis, non autem ab vnico tantùm indicari.

De Vbi agendum. *Cap. XXXIV.*

VBi agendum reſpicit locum affectum, vel cui medicamenta ſint applicanda, vel ad quem eorum virtus peruenire debeat. Ratio eſt, quia ſi omne naturale agens agit per contactum ſiue mediatum, ſiue immediatum, & remedia omnia agant in morbos, vt eos ſuperent, & auferant, ergo contactu intermedio illa agere neceſſarium eſt. Ex quo patet rectè dictum fuiſſe à quibuſdam vbi agendum indicari à morbi ſubſiſtentia. Nam ſi morbus ille eſt, qui a remedijs pelli debet, ergo vbi ſubſiſtit, ibi pro eius ablatione eo, quo fieri poteſt, modo auxiliis agendum eſſe inſinuatur.

Vbi agẽdum indicatur à morbi ſubſiſtentia.

Cum etenim hæc ſit contrariorum natura, vt mutuò ſe de ſubiecto pellant, & remedia morbo aduerſentur, non poterunt itaq; morbum debellare, & de ſubiecto, cui inexiſtit, detrudere niſi illorum actio perueniat ad locum affectum, circa quem morbus, & præſidia inter ſe de victoria certant. Hoc itaque pertinet ad vbi agendum, quod abſque dubio à morbi ſubſiſtentia indicatur.

Vbi agendum pro remediorum diuerſitate diuerſũ eſt.

Verùm quoniã remedia, quibus morbi curantur, vel interna, vel externa eſſe poſſunt, idcirco pro eorundem diuerſitate, vbi agendum in vtriſq; videtur eſſe diuerſum. Siquidem, ſi de externis ſermo ſit, ea, vel loco affecto, ſi pars, quę morbo afficitur, externa fuerit, applicanda ſunt, vel ſi pars interna erit, ei

parti,

parti, per quam facilius eorum virtus ad affectum locum penetrare possit, admouenda erunt. Et si remedia fuerint interna, tunc eis vehiculum admisceri debebit, vt ad affectam partem virtus medicamenti deferatur. Vtrunq. declaro exemplis à Gal. desumptis.

Si itaque sermo sit de remediis externis Gal. 13. meth. cap. 21. docet in phrenetide, lethargo, & aliis cerebri affectibus remedia suturæ coronali adhibenda esse, quia per eam partem facilius penetrare potest medicamenti virtus ad cerebrum malè affectũ, vbi subsistit morbus. At si pars externa morbo afficiatur, quis ignorat remedia ei parti adhibenda esse, vt si crus vlcere, vel inflammatione laborauerit, cruris parti illi, secundum quam est affectum medicamenta applicanda sunt.

Exemplũ de remedi is externis.

Quòd si pars interna fuerit affecta, omnino curandum, vt remedia intrinsecus administrata ad affectam ferantur partem, quoniam ibi subsistit morbus. Propterea hac ratione vehiculum videtur pertinere ad vbi agendum. Nam vt medicamentorum vis feratur ad partem affectam, vbi adest exempli gratia vulcus, necessarium est miscere medicamenta, quę habeant facultatem deducendi remedium ad partem laborantem. Vnde Gal. 4. meth. 2. dicebat omnibus medicamentis, quæ thoracis, & pulmonum vlceribus sunt destinata mel esse admiscendum pro vehiculo: ad eundem modum quoties in vesica, & renibus vitium consistit non solum mel ipsum, sed etiam eorum, quę vrinas mouent, quippiam vlcerum medicamentis miscere oportebit.

Exemplũ de remedi is internis.

Quocirca vbi agendum in hoc consistit, vt omni, qua fieri potest, ratione curetur, vt remedium ad locum perueniat affectum, si morbum tollere debet, sicut docuit Gal. 4. meth. 2. multis exẽplis ab vlceribus diuersas partes occupantibus desumptis, vt vnusquisq. apud ipsum videre potest, & horum quædã in antecedenti capite proposita fuerunt.

De agendorum occasione. Cap. XXXV.

QVanti sit facienda agendorũ opportuna occasio ex supra dictis cap. 14. satis liquet, quando eadem remedia, generosa præsertim, quæ opportune adhibita à grauissimis morbis sæpe liberant, si vel occasione neglecta prętermittantur, vel intempestiuè administrẽtur, esse possint causa necis. Id quod apposite dixit Ouidius.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt:
Et data non apto tempore vina nocent.

Propterea cum præcipuè circa agendorum tempus opportunè arripiẽdum manifestetur medici excellentia, atq. hunc maximè laudari debere dixerit Hipp. 1. auctorum 8. acri iudicio opus est, seduloq. exerceri debent medici, vt quãtũ in humano captui permittitur, præcipitem agendorum occasionem tempestiuè arripere possint. Adeo enim præceps est, mutabilis, & inconstans, pręsertim in acutis morbis, vt, nisi quum primùm sese offerat, arripiatur, statim elabatur è manibus.

In opportuno agendorum tempore arripiẽdo manifestatur medici excellentia.

Quod tamen est tam difficile cognitu, vt nesciam an quicquam aliud in hac medica facultate difficilius cognosci possit, quàm opportuna præsidiorum occasio. Vnde Gal. 1. ad Glauconem cap. 1. dicebat circa occasionem præcipitẽ admodum existentem, cum præ omnibus cognitu sit difficillima, plerunq. medicos non modo vulgares, sed etiam præcellentes aberrare.

Cum

Vnde ortũ habeat occasio.

Cum itaque sit tam præceps, atque, vt ait Gal.lib.artis.med.cap.85.inde ortum habeat occasio, quoniam fluxile, ac facilè mutabile est mortale corpus ac pro transmutationis modo aliis alio tempore eget auxilijs, considerandum est, à quo indicetur, vt cognoscere valeamus, quando remedia administrari debeant.

A quo indicetur occasio agendorum.

Gal.lib.de opt.secta ad Thrasyb. cap.35.& 38.docuit auxiliorum tempora idonea ea esse, quando remedium postulantia adsunt, prohibens verò nullum. Hoc autem quemadmodum facile dictu est, & omnibus notum, cum nemo sit, vt arbitror, qui id aperto ore non affirmet, tunc scilicet conueni re remedia, quoties ea postulantia pręsentia sunt, & vrgent, & nil prohibeat, quò minus illa administrari possint. Ita ex altera parte dum præceptum hoc ad praxim deducere tentamus, & opportuna particularium medicamentorum huic particulari ægrotanti adhibendorum tempora quęrimus, cum curetur particularis homo, hoc profectò insignem difficultatem præsefert, & adeo insignē, vt tempora hæc particularia nulla ratione scribi posse docuerit idem Gal. loco nuper citato.

Occasio opportuna difficilis cognitu pluribus de causis.

Ratio autem, propter quam adeo difficile sit auxiliorum partcularium opportunam inuenire occasionem præter eiusdem præcipitem naturam ob subiecti transmutabilitatē, de qua iam dictum fuit, desumitur tum ex indicantibus, tum ex prohibentibus, tum denique ex ęgrotantis natura ineffabili. Ea propter horum vnumquodq. diligenter à medico curanti considerari debet, vt quantum humanis permittitur viribus, coniectura quadam artificiosa ad omnia, & non ad pauca respiciens, sicuti quamplures facere solent, opportunum agendorum tempus arripere possit.

Primo respectu indicantis.

Primò itaq. si indicantis præsentiā contēplemur, quæ illa est, quę præcipue indicat agendi opportunitatē, si indicans vnicum tantum fuerit, quod vnicum remediũ expostulet, ex parte sui nulla aderit difficultas At si plura fuerint indicantia præsentia, vt contingit in complicatione diuersorum, aut contrariorum affectuum, adeout plures materię medicæ requirantur, difficile est nouisse, quo ordine procedendũ sit, quouè tempore singulæ administrari debeant. De qua re cum abunde actum fuerit primo libro, propterea lectorem ad eum locum remitto.

Secundo respectu prohibētis.

Secundo loco occurrit prohibens, quod quidem abesse debet aliter si præsens foret, vtique prohiberet vsum conuenientis remedii, aut saltem idem remedium moderaretur, quare iure dixit Gal. tunc remedia adhibenda esse, quādo adest indicans, prohibens verò nullum: non quia absentia prohibentis indicet agendorum opportunitatem. Nam si abest, quomodo indicare potest? sed quia ex illius absentia nullum adesse impedimentum nobis significatur, quò minus pręsenti affectui, & remedia postulanti occurrere possimus. At an adsit, vel non adsit prohibens, interdum dubitari contingit, & ita magnus accidere poterit error, si remedium, quod prætermittendum non esset, prohibentis metũ omitteretur, aut si inopportunè ob eius præsentiā à medico non animaduersam adhiberetur, & tunc præsertim, si remedium generosum foret, qualis exempli gratia est gelidæ potus. Nam si quis ardente febre laborauerit ob viscus aliquod internũ erysipelate affectum, tunc si gelidæ potus à medico prætermittatur, dum aliquod prohibens adesse timet, malè agetur pro ægrotāte, quando ex Gal.sententia 9 meth. cap. 5. erysipelas, quod verum erysipelas sit, non aliter sanetur, quàm frigidæ potu. Ex aduerso si intempestiuè adhibeatur

beatur

beatur, quot inde mala contingere possint, docuit idem Galen. præcipuè loco nunc citato. Quocirca oportet medicum maximè exercitatum esse circa signa ostendentia, quæ prohibere possunt, & perfectè eorum omnium vim cognoscere, & de iis omnibus valde solicitum esse, vt per hæc deuenire possit in cognitionem, an adsit, vel non adsit prohibens.

Prohibens dum adest interdum moderatur remedium.

Et eò magis, quia licet adsit prohibens, attamen interdum fieri potest, vt tantam vim non habeat, quòd omnino sit idoneum ad prohibendum id, quod affectus pręsentia expostulat, quare tunc solùm remedium ipsum moderari poterit. Exemplum clarum esset de viribus, quæ interdum totius peccantis humoris euacuationem perferre nequeunt, sed solùm paulatim factã, at quoniam hoc pertinet ad indicans præseruatorium, ideo non recedens ab exemplo de gelidæ potu dico nonnunquam contingere posse, vt adsit quidẽ prohibens eiusdem vsum, sed tale, vt omnino non prohibeat simile remediũ, vnde tunc medicamentum ipsum moderari poterimus. Quod fiet, si loco potus gelidæ aquam hordei, vel serum lactis distillatum, aut aquam aliquam pariter distillatam, quæ habeat refrigerandi facultatem, actu frigidam exhibuerimus, opportunè tamen.

Tertio respectu ægrotantis naturæ.

Denique pręter iam dicta contemplari etiam oportet cuiusque ægrotantis naturam. Cum etenim, vt supra cap. 25. ostensum fuit, vniuscuiusque sit propria curatio, & amplius propria quædam, & ineffabilis proprietas, etiãsi tunc remedia administrari debeant, quando adest indicans, & nullum prohibens, attamen multa alia, eaque in diuersis diuersa occurrunt, quæ peruertere possunt id, quod idoneum auxiliorũ tempus creditur, & ex quibus eorũdem occasiones inueniri contingit, quęque vt docuit Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 38. minimè scribi possunt, vbi etiam dat exemplum de eligenda hora, in qua cõueniat venę sectio in febribus. Verùm cum hoc pertineat ad indicans pręseruatorium, de quo sequenti libro, ideo interim hoc prętermisso clarioris doctrinæ gratia liceat alterum afferre exemplum ex eodẽ Gal. desumptum, & cuius etiam supra cap. 25. mentio facta fuit. Scribit 7. meth. cap. 6. se nouisse quosdam, qui si noctu opus aliquod vigilantium obire fuissent coacti; dormire pręterea non poterant, quare talibus, vt noctu bibant, cõsulendum non esse, ne videlicet ea occasione vigilare coacti maximè inde noxam sentiant. Qua propter etiamsi huius naturę ægroto per exemplũ febre laboranti alterans aliquod poculum noctu dandum esset, quia tunc temporis indicans pręsens iudicaretur, & nullum aliud prohibens pręter eius naturam reperiretur, ad hanc tamen ægrotantis proprietatem habito respectu alia opportunior hora eligenda esset, non quia proprietas hæc indicet opportunũ agendorum tempus, sed quia est, tanquam signum virtutis non permittentis, cum periculum sit, ne ob vigilias vires labefactentur, & magnum detrimentum patiantur.

Notandũ.

Id tamen præ oculis habendum, semper videlicet incumbendum esse ei, quod magis vrget. Eapropter pręsente indicante, & absente prohibente, licet aliquid aliud impedire videatur, si tamen fuerit parui momenti, & vrgeat indicantis pręsentia, pro nihilo habendum erit.

Qua ratione morbus indicet, quid agendum sit, & rectam agendorum administrationem exemplo febris.

Cap. XXXVI.

Cur exempla proponenda sit.

ETsi in singulis morbis priuata quædam methodus sanandi sit, cum cuiq; eorũ sua sit contrarietas, & tot sint medẽdi rationes, quot sunt morborũ ideq; ex Gal. 2. meth. cap. 6. non tamen qui medendi methodi, & indicationum naturam in vniuersali contemplatur, qua ratione singuli morbi curandi sint, dicere debet, quando id pertineat ad particularem morborum tractationem. Verùm cum hęc medica facultas versetur circa particularia, & sẽsibilia, & quò magis ab iis recedimus, eò obscuriora efficiantur huius vniuersalis methodi pręcepta, cuiusmodi fortasse sunt illa, quę à nonnullis, qui de medendi methodo scripserunt, tradita fuere. Idcirco, cum hactenus in vniuersum egerimus de indicante curatorio docentes, quid indicet morbus, tum respectu propriæ essentiæ, tum respectu magnitudinis, tũ moris, & motus: amplius docuerimus quas indicationes pręstẽt temperamentum, & aer ambiens, & reliqua illis cognata, & tandem à quibus recta agendorum administratio desumenda sit declarauerimus (licet horum omniũ clarioris doctrinæ gratia exempla quędam supra proposita fuerint,) non recedentes à Gal. doctrina, qui in libris methodi varijs exemplis totum hoc negotium examinat, alia in medium afferre non grauabimur, quibus veluti ad praxim deducentur hucusq. tradita vniuersalia præcepta, & magis manifestum fiet, qua ratione morbus indicet, quid sit agendum, & quomodo in agẽdorum rectæ administrationis cognitionem peruenire liceat.

Quãti fecerit Gal. exempla.

Nam tanti facit Gal. ipse exempla, vt 9. meth. cap. 4. dixerit in exemplis exercitari quiduis discentes maximè expedire; neque enim satisfaciunt ad exactam cognitionem vniuersales methodi. Et eò & agis exempla proponenda sunt, vt illi, qui minus exercitata sunt cogitatione, sicut ait 7. meth. 6. exẽplis à generalibus ad particularia veluti manuducti descendant.

Exemplũ à tertiana febre exquisita desumptum.

Agè igitur laboret aliquis tertiana febre exquisita, dico indicationes curatorias ex Gal. pręscripto desumendas esse tum à morbo, nempe à febre, tum à totius corporis temperamento, tum ab aere nos ambiente. Nam ex omnibus istis determinata præsidii species nota fiet, quæ, vt dictum fuit lib. 1. cap. 19. consistit in debita eiusdem qualitate, & quantitate. Nusquam etenim poterit medicus determinatum præsidium pro hac febre debellanda inuenire, neglectis curatoriis indicationibus, quæ ab istis tribus desumi debent. Quòd si secus egerit, & æger sanitati restituatur, id potius fortunę beneficio, aut ęgrotantis naturæ, quàm medico methodum hanc ignoranti adscribendum. Paruis itaque contemplemur, qua ratione nedum à febre, sed etiam à totius corporis temperatura, atque ambiente nos aere indicationes curatoriæ capiantur.

Indicatio à febre qualis,

Febris igitur, cum sit passio calida, & sicca indicat refrigerandum, & humectandum esse, atque hoc spectat ad præsidii qualitatem. Verùm non sufficit calido, & sicco affectui admouisse frigida, & humida, nisi id debita fiat mensura, propterea neque sat erit nouisse in hac febre refrigerandum, & humectandum esse, sed etiam quantùm refrigerare, & humectare oporteat.

Cum

Cum alioqui periculum sit, si, quantùm opus est, non refrigeres, aut humectes, ne febris quippiam, aut saltem ad eam dispositio quędam relinquatur, sin modum excedas contrariam intemperiem introducas, & totius corporis temperamentum naturale corrumpas, ipsum ab vno ad alterum extremum traducens. Quicunque etenim, plusquam oporteat, calidum morbum refrigerat, is naturalis temperamenti limites prætergressus contrarium excitabit affectum. Quod quominus accidat, naturam, atque temperiem corporis febre detenti ad vnguem scias, necessarium est, vt quantùm à naturali temperamento corpus recesserit intelligens, modum refrigeranti præsidio imponere cognoscas. Hoc autem assequi poteris ex cognitione recessus à naturali temperie. Vnde cum exquisita tertiana febris pendeat ex flaua bile; quæ omnium, qui sunt in corpore, humorum calidissima, & siccissima existit; & ideo sit cum magno recessu à naturali temperie, hac de causa Gal. 1. ad Glauconem 9. dixit, exquisitam tertianam, quantò magis fieri potest, refrigerare, & humectare oportere. Quæ sanè Gal. sententia ita intelligenda est, vt semper ægrotantis temperamentum, quo præditus erat, quando tertiana febre laborare incepit, contemplemur.

Propterea quod quantùm febris hęc ab ægrotantis temperie discesserit, tantùm refrigerandum, & humectandum esse certum erit. Porrò temperamentum tale est, vel natura, vel ætate, vel cōsuetudine, aut vitæ studijs, vel denique conuersatione diutina in tali cęli statu, tali regione, ac tali anni tempore. Idcircò, vt exactè, & quantùm fieri potest, ad vnguem refrigeranti, & humectanti præsidio modum, seu mensuram imponere cognoscamus, hæc omnia necessariò consideranda erunt, vt quantùm recesserit febris proposita ab ægrotantis temperie coniectura quadam artificiosa notum fiat.

Qualem indicationē præbeat tēperamentū

Rursus cum reliquorum præsidiorum materiæ electio sit in potestate nostra, eam verò, quam aer ambiens præstat, euitare sit impossibile, quando etiā nobis inuitis eum semper inspirare, & per transpirationem quoque attrahere cogamur, ideo ex hoc identidem propriam quandam indicationem sumere est necessarium. Nam cum hic habeat, vel rationem materiæ sanantis, vel causæ morbum fouentis, propterea in proposito exemplo tertianæ febris considerandus erit. Si etenim frigidus, & humidus fuerit, tunc consentiet cum reliquis indicationibus, & habebit rationem materiæ sanantis, atque pro gratia habendus erit. At si calidus, & siccus extiterit, ita vt ob similitudinem, quam habet cum febre, illam adaugeat, tunc illius noxæ dupliciter occurrere oportebit. Primò reliquorum pręsidiorum frigiditate, & humiditate tantùm adauctis, quantùm à caliditate, & siccitate ambientis ipsa febris augetur: hinc æstate in febribus ipsis liberalius refrigeramus, & humectamus, atque hac de causa vtimur interdum etiā refrigerantibus actu frigidis. Secundò ambientem, quoad fieri potest, vel aquæ frigidæ effusione ex vno in aliud vas, vel pauimentum floribus, & herbis refrigerantibus sternentes, aut aliqua alia ratione refrigerare, & humectare tentamus.

Indicatio ab aere qualis.

Verùm inuenta præsidii refrigerantis, & humectantis materia, qualiscunque ea fuerit, parùm proficiemus, nisi hęc rectè administretur. Quocirca cum recta administratio consistat in debita dosi, conuenienti vtendi modo, & opportuno tempore, hęc omnia etiam cognoscenda erunt.

Recta administratio consideranda.

Si itaque sermo sit de refrigerantium dosi, hæc indicatur ab actiuitate febris. Nam quò maior erit eius actiuitas, eò medicamenta in maiori dosi

Dosis à quo indicetur.

adhiberi debebunt, si verò minor in minori, si modò æqualia morbo oportet esse remedia: habito tamen semper respectu ad remedij qualitatem magis, vel minus intensam, quemadmodum supra cap. 29. animaduersum fuit: ita vt cõstituatur ex qualitate, & dosi materiæ medicamentum huic febri æquale.

Vbi agendum.

Vtendi modus respicit tum vbi, tum quomodo agendum. Vbi agendum indicatur à morbi subsistentia, vnde cum febris sit morbus totius, ergo totum corpus refrigerandum erit. Id autem fieri potest, vel remediis internis, vel externis: quare ratione totius balneum aquæ dulcis ad febrilem calorem extinguendum toti corpori adhibetur.

Quomodo agendum.

At quomodo agendum respicit modum, quo vti debeamus remediis inuentis, qui sanè modus cum multiplex sit, vt ex dictis cap. 33. manifestum est. inter cæteros in proposita nunc febre, cum calor vehemens sit, is pręsertim videtur habere locum, quòd remedia actu frigida adhiberi poterunt, quò efficacius refrigerare possint.

Opportuna agendorũ occasio.

Denique opportunum tempus dignoscitur ex pręsentia indicantis, & prohibentis absentia. Quapropter si sermo sit de remediis internis, horum quędam hora quietiori danda sunt. Ex Hipp. enim 1. aph. 11. in accessionibus abstinere oportet, quoniam accessio prohibere videtur remediorum vsum, vt natura non distrahatur à pugna, quam tunc temporis habet cum materia morbifica. Huiusmodi autem remedia sunt potiones, seũ syrupi quidam alterantes, quibus passim vtimur in curatione febrium, qui tamen non solum febrem, sed etiam febris causam, nempe bilem respiciunt: & dandi sunt, si accessio non aderit præsertim in aurora, & ieiuno ventriculo, vt facilius ferantur, & distribuantur per venas, tum vt refrigerent ratione febris, tum vt causam efficientem febrem, bilem videlicet præparent, putredinem arceant, & obstructiones etiam reserare valeant. Alia verò remedia sunt, quæ in accessionis vigore summo conuenire videntur ad febrilem calorem nimis efferuescentem mitigandũ, & ideo hæc actu frigida dantur, cuiusmodi sunt aquę distillatæ refrigerantes, vel aqua hordei, tunc etenim præsens est indicans, nimirum febris summus calor, quare nisi adsit prohibens, vt ventriculi languor, aut viscerum obstructiones non contemnendæ, eo tempore similia medicamenta conueniunt. De balneo verò (licet nostris temporibus hoc remedij genus non sit in vsu) id admonuit Gal. 1. ad Glauconem 9. vt in tempore hoc vtamur, & tunc præcipuè conuenire quando coctionis signa apparent. Et 11. meth. cap. 21. respiciens ad particulare tempus, quo liceat vti balneo in febribus intermittentibus, dicebat tunc tempus esse, cum exhalare iam cęperit febrilis calor, idest in accessionis declinatione.

Alia remedia, quæ ad causam febris referuntur, interim non propono, quando hæc desumantur ab indicante pręseruatorio, cuius in præsenti nulla sit mentio, sed sequenti libro id considerabitur.

Idem ostenditur alio exemplo ab hepatis intemperie desumpto.

Cap. XXXVII.

VT adhuc clarius innotescere possit indicationes curatorias desumendas esse tum à morbo, tum à partis affectæ temperamẽto, tum ab ambien-

te nos aere, eo tamen modo, quo dictum fuit: amplius vt pateat, à quibus indicetur recta materierum adminiſtratio, liceat alterum afferre exemplū, quod erit, ſi ſuppoſuerimus aliquem laborare intemperie calida hepatis ſine materiæ affluxu, & pręſentia.

Indicatio ab intemperie qualit.

In hoc caſu id pro comperto habendum calidam intemperiem hepatis, cum morboſa ſit, & pręter naturam, indicare ſui ablationem per contraria, nempe per refrigerantia medicamenta, quę cum plures habeant gradus, ratione quorum parùm, aut multùm refrigerare poſſunt, ideo non ſat eſt nouiſſe huiuſmodi refrigerantia præſidia eſſe ex vſu, niſi etiam ſciamus imponere modum refrigerationi, quando ſpecificum remedium determinetur conuenienti præſidii qualitate, & quantitate.

Quam indicationē præſtet partis temperies.

Idcirco, vt menſuram, & quantitatem debitam, ideſt auxilii refrigerantis gradum cognoſcere valeamus, neceſſarium eſt, vt cognoſcamus, quantùm receſſerit temperies hęc à naturali ſtatu: conſideranda igitur eſt laborantis hepatis propria intemperiés, qua pręditum erat, antequam ægrotaret, ſiue modo naturalis, ſiue adſcititia fuerit. Nam hac ratione cognoſcemus, quantùm receſſerit morbus ab illa naturali, ſeu adſcititia hepatis temperatura, & inde quãtùm refrigerare oporteat notum fiet. Si etenim eius naturalem temperiem eo, quo ægrotare incepit, tempore frigidam fuiſſe cognouerimus, tūc liberalius refrigerandum erit, vt ad priſtinum, à quo ſummopere diſtat, ſtatū redire poſſit. Siquidem ex Gal. 7. meth. vlt. quęcunque calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberalius, & diutius calefieri poſtulant, ſicuti, quę frigidiores natura ſunt, ſi ex calore laborent, refrigerari tum vberius, tum diutius requirunt. Ex aduerſo autem ſi hepar calida intemperie affectum ex propria natura calidum fuerit, tunc, cum paruus ſit lapſus à naturali ſtatu, exigua, breuiſque temporis refrigeratione egere manifeſtum erit.

Indicatio ab aere.

Quod ſi aer ambiens frigidior erit, iam habebit rationem materię ſanãtis: ſi verò calidior fuerit, eligenda erunt medicamenta tantò frigidiora, quantò caliditas aeris intemperiem iecinoris calidam adaugere poteſt.

A ſitu partis.

Cęterū quò ad refrigerantium pręſidiorum quantitatem, ſeu intenſionem pertinet, ſitus etiam partis conſiderandus eſt, vt ex affectę partis diſtantia, quantum in itinere remediorum, ſiue internorum, ſiue externorū refrigerantium virtus ſolui poſſit, coniiciẽtes, tantùm eorundem conuenienti menſurę adiiciamus, vt quando peruenerint ad locum affectum eam, quæ requiritur, vim refrigerandi habeant.

Materiæ electio.

At circa auxiliorū materię electionem illud pręoculis habendum, vt externa refrigerãtia remedia, vel ſint tenuium partium, vel eis ſimilia medicamenta, quæ facilè profundum ſubire, & penetrare poſſint, admiſceantur, ne, ſi craſſa fuerint, ſuperficiem ſpiſſando, caloremq. per antiperiſtaſim adaugendo contrarium pariant effectum.

Doſis remediorū vnde capiatur.

Quatenus verò ad rectam agendorū adminiſtrationem pertinet, ſi quantitatem, nempe doſim refrigerantis auxilii materię reſpiciamus, hęc maior, aut minor eſſe debebit pro ratione maioris, aut minoris actiuitatis morboſę intemperiei.

Vbi à quo indicetur.

Si vbi agendum contemplemur, id deſumitur, vt dictum fuit à morbi ſubſiſtentia. Remedia itaq. externa regioni ipſius hepati admouenda erunt: interna autem, vt eorum virtus ad locum affectum feratur, aut habere debebūt

analogiam

analogiam cum hepate,quę passim medicamenta hepatica appellant,aut eis vehiculum admiscendum, quod illa ad hepar deducat.

A quibus indicetur quomodo agendum. A dignita partis.

Vtendi modus, seu quomodo agendum indicatur pręsertim à dignitate affectę partis,necnon ab affectu,quatenus est in habitu,vel dispositione. Nam si hepatis dignitatem contemplemur, cum eius actio communis sit toti corpori, ideo cauendum, ne ob vtendi modum minimè conuenientem facultas illius naturalis labefactetur. Quare circa vtendi modum refrigerantium externorum hęc non actu frigida, sed tepida administrari debent, ne ab eorundem actuali frigiditate huius principis partis calor, facultasque detrimentum patiatur.

Ab intemperie prout est in habitu, vel in dispositione.

Desumi etiam potest quomodo agendum ab hepatis intemperie, quatenus est in habitu,vel in dispositione.Nam si fuerit in dispositione, cum facile remoueri possit,ob id,neque diutius,neque pluribus vicibus vtendum erit medicamentis refrigerantibus:at si fuerit in habitu, cum difficulter patiatur à medicamentis,& iisdem valde reluctetur,idcirco refrigerantibus pręsidiis diutius,& iteratis vicibus vti opus erit.

Quando agendum.

De quando agendum nulla est difficultas. Certum est enim opportunum agendi tempus, idest refrigerandi hepatis intemperiem calidam indicari à pręsentia affectus,absentibus iis, quę prohibent.

Tertium proponitur exemplum ab vlcere captum,quo idem probatur.
Cap. XXXVIII.

PRęter duo exempla iam proposita,& declarata,quorum alterum pertinebat ad intemperiem totius, alterum ad intemperiem partis, quę sunt exempla morbi spectātis ad similares partes,alterum etiam proponere libet, nempe vlcus,cum sit affectus pręter naturam communis similaribus, & dissimilaribus partibus. Prętermitto autem dedita opera exempla eorum morborum,qui dissimilares,& organicas partes occupant, quoniam in ipsis indicationes agendorum pręcipuè desumuntur à causa, quę est indicans pręseruatorium,nunc autem sermo est de indicante curatorio.

Indicatio ab vlcere qualis.

Supponamus igitur partem aliquam corporis laborare vlcere cauo. Vlcus quatenus vlcus est,indicat vnionem,quatenus verò est cauum,indicat carnis, quę periit restaurationem ex Gal. 3.meth.3. Verum quoniam in carnis generatione necessarium est duplex prouenire excrementum, alterum crassius, alterum tenuius,sicuti contingit in omnium partium nutritione. Hinc in vlceribus tenuius excrementum sanies(gręce ichor)appellatur,quod crassum, est, sordes,ac ex tenue quidem excremento vlcus humidum redditur, ex crasso sordidum: eoque duplicibus medicamentis eget,vt humidum est siccantibus, vt sordidum,quę ipsum expurgent. Atque hac ratione in vlcere cauo habemus,qualia nam medicamenta sint ex vsu,nempe detergentia, & siccantia.

Siccantiū medicamētorum gradus,à quibus indicentur.

Sed quoniam ipsorum siccantium quędam magis siccant, quędam minus ideo eorundem mensura, seu gradus indicantur partim ex vlcerum diuersitate,partim ex affectę partis natura. Ratio redditur a Gal. 3. meth. citato. Scire namque licet(inquit) duas esse primarum indicationum differentias, quod secundum naturam se habet,custodiam sui indicante,& propterea, quę similia sui sint,postulante:quod pręter naturam est,sublationem sui, eoque contraria,requirente. Quare vlcus quidem quò est humidus, eo sanè medi-

camento,

acmento, quod magis ſiccet, indiget. Corporis verò natura quantò eſt humidior, tantò quod minus ſiccet, medicamentum poſtulat. Qua propter, ſi qua ſunt vlcera, quibus par eſt humiditas, quod in ſicciore corporis membro cōſiſtit, vtiq. magis ſiccari poſtulat: quod in humidiore, hoc ſanè minus, quò naturą naturę intereſt: ſiquidē productā carnē ei, quæ ante erat, ſimilē eſſe oportet. Nam fieri nequit, vt in vlcere, vel carnis productio, vel cauitatis impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè vnquam ſuccedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Quæ eſt Gal. doctrina 3. meth. tum cap. 3. tum cap. 8. Patet igitur, quomodo partim ex vlcere, partim ex affectę partis natura venire poſſimus in cognitionem ipſius quid agendum ſpecifici, vt vlcus cauum carne impleatur.

At quemadmodum remediorum inuentio tum ex vlceris, tum ex affectæ partis natura indicatur, ita ſiccantium, & detergentium medicamentorū materiæ electio à ſola affecta parte inſinuatur. Hæc enim ſi interna fuerit, eligenda erunt remedia illa, quæ familiaria ſunt naturę noſtræ, ſi verò externa erit, alijs etiam remediis, quę prædictis contraria ſint, vti poterimus. Inſuper ſi pars vlcere laborans fuerit eximio ſenſu prædita, vitanda omnino erūt acria, & mordacia medicamenta, eligendaq. erunt lenia: at pars hebetis ſenſus vlcere affecta acria etiam, & mordacia remedia tolerare poterit.

Materiæ electio à quo indicetur.

De agendorum recta adminiſtratione ita ſentiendum eſt. Si medicamentorum quantitatem, ſeu doſim conſideremus, hæc in medicamentis externis aut nullum, aut paruum vſum habere videtur (loquor de doſi medicamenti iā compoſiti.) Nam ſi de doſi ſimplicium medicamentorum, quę ad compoſitionem veniunt ſit ſermo, hęc indicatur à maiori, vel minori copia excremēti tenuis, & craſſioris, ſeu ab eiuſdem maiori, aut minori actiuitate, quia in maiori quantitate exiſtens magis, in minori minus agit, maior verò, aut minor actio eſt illa, quę maiorem, vel minorem doſim indicat. Cum itaq. dictū fuerit duplex medicamentorū genus in vlcere cauo conuenire, detergēs ſcilicet, & exſiccans, hinc ſi maior fuerit copia excrementi craſſioris, adeo vt ulcus ſit ſordidius, quàm humidius, in remediorum compoſitione detergentia medicamenta in maiori doſi, ſiccantia in minori uſurpanda erūt. Ex aduerſo ſi ulcus humidius fuerit, quàm ſordidius, ſiccantia medicamenta ſecundum odſim ſuperare debebunt detergentia. Si æqualiter ſe habeat vlcus ad vtraq. excrementa æqualis ſit vtrorumque, & ſiccantium, & detergentium doſis.

Doſis à quo præſcribatur.

Vbi agendum deſumitur ab vlceris ſubſiſtentia, remedia igitur illi parti admouenda, quę vlcere laborat. Et propterea in vlceribus internarum partiū vehiculum videtur pertinere ad vbi agendum. Nam, vt medicamentorum vis feratur ad partem affectam, vbi adeſt vlcus, neceſſarium eſt miſcere medicamenta, quæ habeant facultatem deducendi remedium ad partem laborātem, vt ſupra cap. 34. ex Gal. ſententia dictum fuit.

Vbi agendum à quo deſumatur

Quomodo agendum indicatur à ſitu, & à figura partis. Nam ſi vlcus eſt in ventriculo bibenda ſunt medicamenta: ſi in gula non ſemel, nec tota ſimul aſſumenda, ſed paulatim, & aſſiduè. Quę vlcera in craſſis ſunt inteſtinis, iis, quę per ſedem iniiciuntur, remediis magis egent.

Quomodo indicatur à ſitu, & figura partis.

Denique quando agendum deſumitur à pręſentia indicantis, & abſentia prohibentis: prohibentur autem pręcipuè ſiccantia, & detergētia medicamenta ab inflammatione, quare ea pręſente non conueniunt: at quando ſolùm adeſt cauitas vlceris ſine vlla inflammatione, aut dolore, tunc temporis erunt

Opportinū agendorū tempus.

ex

ex vsu. Atque cum nullo vnquam tempore natura à generatione carnis cesset, certè nec tempus vllum erit, in quo non ambo hęc excrementa in cauo vlcere colligantur, quare nec tempus vllum erit, in quo non vtrunque medicamentorum genus desiderabit, vtrique & quod siccet, & quod expurget ex Gal. 3. meth. 3. Hęc itaq. illa sunt, quę ea maiori breuitate, conuenientiori ordine, ac methodo, quibus fieri potuit, in medium afferre volui, vt manifestum fieret, qua ratione ex Hipp. & Gal. mente in curatione morborum quorumcunque procedendum sit; à quibus videlicet agendorum curatorię indicationes desumi debeant, & à quibus etiam recta præsidiorum materierum administratio indicetur. Quæ omnia nedum vniuersalibus præceptis, ac theorematibus, quod munus est huius methodi, quam præ manibus habemus, sed etiam varijs exemplis illustrata fuere, vt illi, qui sunt minus exercitata cogitatione facilius methodum hanc vniuersalem intelligere possint. Et eò magis, quia vniuersalis cognitio, sine exercitatione in particularibus, & exercitatio sine vniuersaliũ præceptorum cognitione manca est: quando ad perfectum artificem constituendum vtraq. necessariò requiratur.



DANIELIS CARMENII DE MEDENDI METHODO

Liber Quartus.

De causa morbifica. *Caput Primum.*



QVEMADMODVM nō ab omni morbo desumitur vtilis indicatio, vt antecedenti libro ostensum fuit, ita versa vice nulla causa interna morbifica reperitur, quæ nobis vtilem indicationem non suggerat. Hinc Gal. lib. de optima secta ad Thrasyb. cap. 25. non morbos indicare, quod conducit, sed causas asseruit. Multifaciendæ igitur sunt indicationes à causis desumptæ, & ideo cum hactenus de morbo, qua ratione quid agendum sit, & rectam agendorum administrationem doceat, pertractauerimus, nūc de morbifica causa sedulò agendum, tanquam de illa ad cuius ablationem aufertur affectus (nisi fuerit in habitu) & ad cuius positionem ponitur ex eiusdem Gal. sententia lib. citato cap. 23. Atque vt ab vniuersalioribus incipiamus ante omnia paucis contemplandum, quid per morbificam causam intelligere debeamus, & quid sit.

Per morbi itaque causam cum Gal. lib. de sympt. diff. cap. 1. nil aliud intelligimus, nisi id, quod, licet præter naturam sit, non tamen sua ipsius ratione actionem labefactat, sed morbi interuētu: tale enim non morbum, sed causam, quæ morbum præcedit, appellamus. Nam, cum in humano corpore tria sint præter naturam ab inuicem distincta, morbus morbi causa, & symptoma, atq; de morbo actum fuerit, symptomata verò non indicent, nisi induant rationē causæ, de quibus seorsim agetur, nunc causam morbi contemplamur sub ea tantùm ratione, secundum quam contradistincta est ab alijs rebus præter naturā. Quo pacto sumitur à Gal. tum loco citato, tum 2. meth. 1. dum ait affectum, qui actionem vitiat, morbum: hunc si quid sequitur, symptoma: quod illum excitat, causam appellari. *Quid nomine causæ morbificæ intelligendum sit.*

Et rursus cum quattuor sint genera causarum, in præsenti solùm sermo est de efficiente causa. Propterea quod finali causa caret morbus, siquidem finis habet rationem boni ex Arist. 2. phys. tex. 31. morbus autē de se est malus, & omnino præter naturam. Materialis eiusdem causa est totum corpus, seu aliqua eius pars affecta, quia cum sit accidens, & lædat operationes, ergo illud dicetur morbi subiectum, & materialis causa, quod actiones habet, huiusmodi autem est totum corpus, & eius viuentes partes. Denique formalis causa est ipsius morbi essentia, quam ideam vocant. Quare nunc per morbi causam, quā esse indicans præseruatorium sequenti capite ostendemus, neque formalem, neque materialem capimus, sed efficientem. *In præsenti solùm fit mentio causæ efficientis, & cur.*

Causam definiuit Gal. 1. de loc. aff. cap. 2. dicens id, quo nos tangente aliquis affectus fit, & quo separato statim cessat, causam appellari, vt apud omnes homines est in confesso. Verùm communissima videtur hæc definitio à Gal. allata, cum conueniat etiam causis externis, vt semet ipsum declarat loco *Quid sit morbi causa.*

citato. Quapropter efficientem morbi causam fortasse sic definire poterimus. Causa morbifica est illud omne, quod humano corpori præter naturam inexistens morbum producit.

Definitionis declaratio.

Quæ sanè definitio constat ex generę, & differentia: genus proponitur illis verbis *humano corpori præter naturam inexistens*. Nam in hoc conuenit cum morbo, & symptomatibus, quando hæc tria, causa, morbus, & symptoma sint præter naturam, & in humano corpore reperiantur. Per quæ tamen verba differre dicitur à causa externa, quæ iam abijt, nec amplius præsens est, à qua cum nulla sumatur indicatio, ideo excludi debet ab hac definitione. Quòd si causa externa præsens fuerit, & in corpore sicuti pila plumbea, aut spina aliqua, simile ue aliud corpori infixum, aut etiam venennm, vel per os assumptũ, aut ob morsum alicuius venenati animalis communicatum, tunc eidem conueniet allata definitio, & ideo cum sit præter naturam in corpore indicabit sui ablationem.

Differẽtia inter causã morbum, et symptoma.

Cum verò additur in definitione, *morbum producit*, proponitur differentia, per quam differt nedum à morbo, sed etiam à symptomatibus. A morbo quidem, quoniam de ratione morbi, quatenus morbus est, non est alium producere morbum (hoc etenim est proprium causæ morbificæ,) sed operationes lędere. Quòd si interdum morbus vnus videtur esse alterius causa, vt dum alicuius visceris inflammatio febrem producit, dici potest hoc esse per accidens, quia scilicet accidit inflammationi prout morbus est, vt febrem accendat, & tunc induit rationem causę, atque si hoc pacto consideretur, indicatio ab ea desumpta non amplius curatoria, sed præseruatoria dicetur, quoniã, qui inflammationem curat à febre pręseruat. Quomodocunque tamen se res habeat, interim tantummodo mentio fit illarum causarum, quæ solùm causæ sunt, non autem causæ, & morbi simul, quando de indicationibus à morbo desumptis abunde actum fuerit libro antecedenti, quæ eędem prorsus semper sunt, etiamsi morbus causæ rationem sustineat.

Differt verò morbi causa à symptomatibus, quia sicuti proprium est causarum morbum pręcedere, & eum generare, ita symptomatum morbum sequi, & ab eo generari.

An causa dici posit indicans curatorium, an potius præseruatorium.

Cap. II.

Cur indicatio à causa dicatur præseruatoria.

INdicationem à morbifica causa desumptam præseruatoriam ea ratione appellant medici, quia dum causis remedia adhibemus, quod facturę erãt causę illę, fieri prohibetur, pręseruamus igitur, at quantum morbi iam factum est, propriam exigit curationem. Propterea Gal. 4. meth. 3. dicebat rei pręsentis esse curationem, eius autem, quod futurum est, prouidentiam.

Gal. inconstans videtur.

Esse tamen potest aliqua difficultas, an morbifica causa dicatur indicans curatorium, vel potius pręseruatorium. Occasionem dubitandi dedit Gal. qui in hac re videtur varius. Nam 10. meth. cap. 1. exemplo febrium putridarum docet morbificam causam esse indicans pręseruatorium dicens: siquidem quod febris iam receptum in corpore est, id ex propria ipsius curandi indicatione discutere oportet: quod adhuc est futurum, id propulsare, ac ne fiat vetare, vetabitur autem, si, quę id excitat, causa prorsus sit submota. Amplius 12. meth.

cap. 1.

cap. 1. idem fatetur. Mõstratum enim est (inquit) ex morbis ipsis curationis indicationem præstari, veluti ex causis ipsis, prouidentię.

Ex aduerso 14. meth. 17. affirmare videtur causam esse indicans curatoriũ, & indicare curationem, cum dicat propriam cuiusque vlceris curationem, tum ex membri inueniri natura, tum ex humoris non solùm specie, sed etiam quantitate. Pręterea 1. ad Glauconem 15. inquit, causas nobis conuenientem curationem indicare: & lib. artis med. cap. 99. idem asserit.

Aliorum solutio.

Scio alios passim respondere causam morbificam immediatè esse indicans præseruatorium, quoniam ad sui remotionem prohibetur, ne morbus fiat, mediatè verò dici etiam posse indicans curatorium, quia morbi sublatio est medendi methodi finis, ad quem omnia conspirant, cum ad ablationem causarũ auferatur morbus, & morbi ablatio sit curatio, hoc pacto mediante morbo causa dici potest indicans curatorium.

Altera solutio.

Sunt etiam nonnulli, qui ita respondent, duplicem videlicet esse finem in methodo medendi, vnum communem, alterum proprium. Morbi causa ratione finis communis dicitur indicans curatorium, quoniam causę incumbimus, vt morbum auferamus, cuius ablatio dicitur communis finis. At respectu finis proprij, qui est causę ablatio, vocatur indicans pręseruatorium, quia, qui causam tollit, à morbo præcauet. Quas sanè responsiones non contemno.

Solutio ex Gal. desumpta.

Attamen ex Gal. aliter responderi posse puto, & ita Gal. per Gal. declarabimus. Ille etenim 2. aph. 22. exactè difficultatem hanc determinat, & soluit, garrulos vocans medicos illos, qui de nominibus altercãtes putãt se de rebus ipsis habere sermonem. Hi igitur sunt, qui aiunt causarum efficientium morbos abolitionem non esse curationem, sed præseruationem. Qui primùm quidem docendi sunt, quòd de nomine litigant. Deinde quòd neque de hoc rectè. Vbi enim causa non adest, quę morbum efficiat, hic sola curatio factorum relinquitur. Vbi verò ea, quę inest corpori causa, nondum aliquid facit, veluti quæ plethora, idest plenitudo, vocatur, ad præseruatiuam artis attinet partem, huiuscemodi causarum destructio. Cùm verò iam aliquid agit, mistum iam quodammodo est huiuscemodi opus ex pręseruatione, & curatione. Nam quod facturę erant causę illę, prohibitũ est fieri, & hoc ad artẽ attinet pręseruatiuã: quantũn verò morbi iã factum est, propriã exigit curationẽ. Qua propter cum mista sint talia ex præseruatione, ac curatione, proprio carẽmus nomine: atq; idcirco aliàs alia medici vtuntur appellatione, nonnunquam præseruari dicentes, ne morbus, qui iam incipit generari, ad complementum perducatur, nonnunquam verò curari, quemadmodum in ijs, quos canis rabidus momorderit. Quæ enim ipsis adhibentur medicinæ duplicem habent appellationem. Nam nonnunquam rabiei remedia dicuntur, ac si dispositionis, quæ rabiem fecerit, dicerentur: nonnunquam verò non remedia præsentis dispositionis appellantur, sed à rabie futura præseruantia. Hęc Galen, quibus verbis patet, cur nonnunquam indicationem à causa desumptam præseruatoriam appellauerit, aliquando verò curatoriam. Cæterum si simpliciter causam morbificã respexerimus nulla habita morbi ratione, profectò eam præseruatoriam indicationem præstare dicemus.

Quænam morborum causæ interim considerandæ sint, & quid de externis sentiendum. Cap. III.

Causæ vel internæ, vel externæ.

TOt sunt differentiæ morbosarum causarnm, vt si omnes enumerare vellemus, methodi limites egredi videremur. Propterea illæ solùm proponendæ, & considerandæ sunt, quæ magis negotium facescunt, & quæ pro sui ablatione requirunt vniuersalem quandam methodum, seu viam omnibus communem. Ex Gal. itaque libro de opt. secta ad Thrasyb. cap. 31. causarum aliquæ in nostro corpore continentur, & internæ sunt, aliæ exterius adueniunt, quæ externæ dicuntur.

Causã externam nõ indicare.

Quatenus ad externas pertinet, certum est ex Gal. 4. meth. 3 eas nullam indicationem præstare, & rationem affert. Siquidem à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio sumi eius, quod ex vsu sit, potest. Quippe rei præsentis est curatio, eius autem, quod futurum est, prouidentia, quare quod nec nũc lędit, nec lęsurum timetur, id ab vtroque artis munere, tùm eo, quod curat, tũ eo, quod prouidet, excessit. Verumtamen circa externas causas duo consideranda veniunt: alterum est, cur medici interdum de externa causa inquirant: alterum est, si præsens fuerit, an aliquam indicationem præbeat.

Externa causa cur interdum considere- tur.

De externa causa interdum coacti sunt medici inquirere ad certiorem affectus notitiam, vt ait Gal. loco citato. Quotiescunque enim affectus tum rationem, tum sensum latere videtur, sæpe cogimur interrogare ægrotantes, à quanam causa externa lęsi in morbum inciderint, vt inde affectus naturam cognoscere valeamus. Per exemplum punctus sit aliquis à scorpione, nullo tamen signo nobis notum sit talem esse in lęso corpore affectum, inquirimus de externa causa, & cum didicerimus scorpionem percusisse, tunc necessarium esse, tũ corpus totum, tum punctam ab eo partem calefacere cognoscemus, quando manifestum sit scorpionis venenum frigida vi esse. Nulla itaque indicatio desumitur à causa extrinseca, sed solùm de ea inquirimus ad affectus notitiã, à quo deinde cognito indicatio, quæ sit ex vsu, desumenda est.

Externam causam, si præsens fuerit indicarę posse.

Quod si externa causa pręsens fuerit ab ea indicationem aliquam capiendã esse asserere videtur Gal. ipse loco nuper citato exemplis quibusdam dicens. Siue enim ecchymosis, siue vlcus, siue erysipelas, siue putredo, siue phlegmone in parte aliqua consistat, superuacuum est causam, quæ horum quodlibet effecit, inquirere, nisi iam etiam faciat: sic enim simul, quod iam factum est, curabimus: simul, quod adhuc facit, facere inhibebimus: si verò iam abijt, vtique quod ab illa factum est, curabimus, quod adhuc non est, nec, si velimus, submouere id possumus.

Et licet allata exempla videantur potius verificari de interna, quàm de externa causa, attamen ad externam quoque doctrinam hanc extendere possumus. Nam si adhuc externa causa præsens fuerit, & foueat, ac generet continuò affectum, absque dubio remouenda erit, aliter nusquã curabitur affectus, qui ab ea inducitur. Exempli gratia si quis ob moram sub sole, aut capite doleat, aut fluxionem patiatur, nusquam remouebitur affectus, si perseueret mora illa, inhibenda igitur erit. Sic Hippocr. 2. aphor. 48. dicebat, in omni corporis motu vbi laborare cęperit, quietem statim lassitudinem auferre. Benè verum est, quòd externa causa, dum præsens est, indicat tantùm sui remotionẽ, neque

neque vllum remedium, quod sit ex vsu, insinuare potest, quia hac ablata, si deinde remanserit affectus ab ea inductus, is remedia indicabit.

Quænam internæ causæ cōsiderari debeāt

At internarum causarū multæ differētiæ proponuntur ab auctoribus quas tamen ferè omnes quibusdam tantùm contentus pretermitto, quoniam harum quædam sunt morbi, & causæ simul, sicuti viscerum intemperies, quæ humores excrementitios, & præter naturam generant. Aliæ pertinent ad particulares tractatus, vt sunt menstruum, pus, lac, semen, lumbrici, & id genus alia. Quarundam insuper consideratio parùm negotium facescit, vt sunt flatus & vapores, qui de se indicant tantùm remedium euacuans per insensibiles meatus, & ad minerę, à qua eleuātur, aut ad causæ efficientis, à qua generantur, ablationem auferuntur.

Quare cum totum negotium, vt testatur Gal. lib. artis medicæ cap. 99. præcipuè versetur circa humores, ideo solùm horum vitia consideranda sunt, & qua ratione singula indicent, non solum quid agendum sit, sed rectam quoque agendorum administrationem, contemplari operę pretium esse duco.

Humorum vitia enarrantur.

Humorum itaque vitia ratione quorum lędere, & morbum inducere possunt, pertinent, vel ad eorundem substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel motum, vel quietem. Substantia quidem lędere dicuntur, quotiescunque putridi sunt, siue modò putredo sit simpliciter talis, siue ad veneni naturā accedat, quam excellentem putredinem vocare solent. Ita sentiunt præclarissimi medici. At, quatenus pertinet ad vniuersalem methodum, fortasse nimis particularis consideratio, quid autem de humorum vitio secundum substantiam, sentiendum existimem, sequenti capite dicam. Lędunt præterea humores copia, quando sunt præter naturam adaucti. Lędunt qualitate, vel prima, vel secunda: & si secunda, vel manifesta, vti crassitie, viscididate, lentore, tenuitate; vel occulta, vt contingit in lue venerea. Lędunt motu, quatenus indecenter mouentur ad aliquem locum. Lędunt tandem quiete, cum in aliquo loco præter naturam morantur.

Quare iure merito dicebat Gal. lib. artis medicæ, cap. 99. humores neque lentos esse oportere, neque crassos, neque aquosos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios neque venenosos. Nam hac ratione lædunt, & sunt præter naturam. Singula itaque enarrata humorum vitia seorsum contemplabuntur.

Quæ nam humorum vitia euacuationem indicent, & de eorundem vitio secundum substantiam, & copiam. Cap. IV.

Euacuationem multifaciendam esse.

CVm ex Hippocr. lib. de natura humana circa initium humanum corpus constet ex quattuor humoribus, ob quos pręsertim, vel morbo afficitur, vel sanitate gaudet, humoresque peccantes euacuatione educantur, quis ignorat inter facultatis medicæ præcepta illa, quæ peccantium humorum euacuationem, quomodo rectè facienda sit, edocent, multifacienda esse? Vnde Gal. libro contra Iulianum cap. 1. dicebat aphorismum secundum primæ sectionis, in quo agit Hipp. de euacuationis qualitate non sane de minima artis parte disputare.

Euacuatio

Notandum tamen interim nomen euacuationis sumi genericè, prout continet

nis nomen genericè sumitur.

tinet sub se non solum sanguinis euacuationem factam per venæ sectionem, aut quouis alio modo, siue purgationem, quæ fit per medicamẽtum purgãs, sed etiam quancunque aliam euacuationem, quæ tamen sit vniuersi corporis, (de particulari enim infra seorsim agetur,) vt putà per vrinam, per sudorem, secundum quam significationem capitur ab Hipp. 1. aphor. 2. dum ait: *sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet*, quoniam in omnibus euacuationibus quocunque modo factis contingit vasa inaniri, vt ait Galen. in commento.

Cum itaque tanti facienda sit euacuatio, videndum est, à quo nam humorum vitio indicetur. Et rursus cum euacuatio sit genericum pręsidium, indicans genericum prius inuestigandum est, vt exinde cognoscere valeamus quid agendum specificum, quod, vt dictum fuit, determinatur qualitate, & quantitate, adeout non sat sit nouisse euacuandum esse, sed etiam qualis, & quanta esse debeat euacuatio ipsa.

Euacuatio in genere à quo indicetur.

Euacuationem in genere indicari à repletione, seu ab humorum præternaturali redundantia apertissimè docuit Hippocr. 2. aphor. 22. dicens quoscunq; morbos ex repletione factos euacuationem sanare. Nam cum conueniat humorum euacuatio, quotiescunque, vel plenitudinem in toto corpore, siue quo ad vasa, siue quo ad vires, vel cacochymiam pariunt, & vtranque vel exquisitã, vel spuriã, & euacuatio sit indicatum genericum, ergo necessarium est, vt ab indicante quodam generico, quod sub se comprehendat tam plenitudinem, quã cacochymiam, indicetur. Cum autem vtrunque vitium contineatur sub hoc communi genere pręternaturalis redundantię humorum, quoniam sicuti in cacochymia redundant humores, qui à natura sanguinis sunt diuersi, ita in plenitudine sanguinea massa superabundat, & naturæ limites excedit, idcirco iure dictum est euacuationem in genere indicari à repletione, seu ab humorũ redũdantia pręternaturali, qualiscũque illa fuerit, dummodò morbum pariat, aut parere possit, & hoc est quid agendum genericum.

Porrò cum non sufficiat genericum pręsidium, sed vlterius progrediendũ, atque inuestigandum sit, qualis, & quanta debeat esse euacuatio, quia hac ratione habebimus determinatum, & specificum remedium, considerandum est, à quonam indicetur tum qualitas, tum quantitas euacuationis.

Qualis esse debeat euacuatio docet vitium humorum secundum substantiã.

Propterea non recedens ab Hipp. & Gal. doctrina dico euacuationis qualitatem indicari ab humorum vitio secundum propriam substantiam, seu determinatam speciem. Hoc autem vt notum fiat paucis dicendum, tum quid per humorum vitium secundum substantiam, tum quid per euacuationis qualitatem intelligere debeamus.

Quid per humorũ vitium secundum substãtiam intelligendum sit.

Non interim per humorũ peccatum secundum substantiam intelligo ego putridos, & corruptos humores, qui absque dubio indicant sui eductionem è corpore, sed secundum vniuersaliorem significationem sumens hoc vitium dico tunc humores lędere secundum propriam substantiam, quotiescunque eorum vitium, qualecunque fuerit, siue cum putredine, siue absque putredine, neque calefacientibus, neque refrigerãtibus, neque alia qualitate, siue prima, siue secunda, siue manifesta, siue occulta, aut alia ratione agentibus pręsidijs à natura euinci, neque ad bonam frugem reduci potest, sed sola euacuatione indiget, vt auferatur. Tunc enim humores secundum propriam formam, seu substantiam, seu naturam, seu quouis alio modo nominare volueris, peccare dico, & tunc necessariò euacuari debent, quando à natura non amplius

regi,

regi,& euinci possint,& in corpore detenti morbos generent.

Per euacuationis verò qualitatem intelligo eiusdem determinatam speciē, quando videlicet hic,aut ille determinatus humor, vt puta bilis, vel pituita educitur. Et hoc est,quòd sibi voluit Hippocr. 1.aph.2.dum ait. Sic & vasorum inanitio si talis fiat,qualis fieri debet,confert,& leuiter ferunt, idest si sit peccantis humoris,& morbum facientis. Clarum est igitur per euacuationis qualitatem intelligendam esse eiusdem determinatam speciem. Nam cum cognouerit medicus euacuandum esse,statim de humorum educendorū electione solicitus inquirit, qualis, idest cuius humoris debeat esse euacuatio.

Quid per euacuationis qualitatem intelligatur.

Ex quo inferendum est euacuationis qualitatem indicari à determinata humorum peccantium specie iuxta Hipp.& Gal.sententiam aphorismo nuper citato. Si itaq; exempli gratia,vt ait Gal.in commento illius aphorismi,pituita superabundet,hanc oportet omnino euacuare:flaua autem bile, vel atra infestante,abstinendum est à pituita,& bilis infestans,siue atra,siue flaua euacuanda:sic & si sanguis in corpore modum excesserit,sanguinē educere oportet;similiter & serosam eius partem, si hæc fuerit superabundans. Quæ omnia luce meridiana clarius demonstrant qualitatē euacuationis indicari ab humorū vitio secundum propriam substantiam,seu determinatam eorundem speciem.

Confirmantur prædicta Hipp. & Gal. auctoritate.

Et quemadmodum euacuationis qualitas indicatur à qualitate substantiali,idest determinata lędentis humoris specie,ita euacuationis quantitas indicatur à quantitate humoris peccantis determinata. Veritatem hanc docuerunt Hipp.& Gal.Hipp.quidem 2.acutorum tex. 10. affirmans quantitatem remedij ab humorum peccantium quantitate metiendam esse, loquens enim de sanguinis missione in pleuritide ait, eousque auferendum esse sanguinem, donec rubidior multum,vel pro puro rubido,liuidus fluxerit,quoniā vtrunque contingit. Vnde Gal.in commento reddens rationem, cur in pleuritide sanguis sit educendus vsque ad coloris mutationem,inquit colorem sanguinis mutatum ex particula inflammata translationem sufficiēter commonstrare,idest coloris mutationem arguere sufficientem peccantis sanguinis euacuationem factam fuisse.

Euacuationis quantitatem indicari à quantitate peccantis humoris ostenditur auctoritate Hip.

Gal.verò libro artis med.cap.94.inquit immodicam repletionem immodica euacuatione curari,vt cū sanguis intra venas redundat,sic & quibuscunque vel in ventriculo,vel in intestinis,vel arteria aspera,vel pulmone pus,aut sanguis continetur integra euacuatio est necessaria,quibus verbis vult quantitatem euacuationis indicari à quantitate humoris lędentis.

Auct. Gal.

Insuper idem Gal. 11.meth.14.dicebat,tantum succorum in omni tum corporis temperamento,tum regione,tum anni tempore, tum statu cęli detrahi par esse quantùm supra naturalem statum fuerat inauctum.

Alia Gal. auctoritate.

Hoc quoque suadet ratio.Nam si talis euacuatio indicatur à tali humore, ergo & eiusdem quantitas à quantitate humoris peccantis determinata indicabitur,si verum est,prout verissimum,& indemōstrabile principium supponitur contraria contrarijs curari.

Ratione.

At duæ difficultates ex dictis emergunt.Altera est,cur,si euacuatio, sicuti etiam cætera præsidia, determinari debet qualitate, & quantitate, dixerit Hipp.1.aph.23.deiectiones non multitudine esse æstimandas, sed si talia deijciantur,qualia conueniunt,cum tamen alibi nempe libro de alimento

1. Difficultas.

scripse-

ſcripſerit rem magnam eſſe quantitatem ad vires ſolerti ratiocinatione adaptatam.

Altera difficultas.

Altera difficultas eſt, an plenitudo ſemper indicet euacuationem. Nam quandoque indicare videtur inediam, ergo hac ratione vnum duo præſidia indicabit, quod eſt abſurdum. Et quòd plenitudo indicet inediam teſtatur Galen. 13. meth. cap. 6. cum dicat plenitudinem quandoque curari inedia. Inſuper 10. meth. 5. aſſerit ſe eos, qui ex abundantia, & qui ex phlegmone laborarent ſub longa inedia tenuiſſe viribus tamen valentibus.

Responde-tur 1 diffi-cultati.

Priori difficultati reſpondeo euacuationem determinari, & qualitate, & quantitate, vt colligitur ex 2. & 3 aph. primæ ſectionis, quoniam non ſufficit euacuaſſe peccantem humorem, ſed neceſſarium eſt, vt totus eductus fuerit. Nam quæ relinquuntur in morbis, vt dicebat idem Hipp. 2. aph. 12. recidiuas facere conſueuerunt. Quare ad aphoriſmum Hipp. in quo videtur excludere quantitatem dico illius intentionem eo in loco eſſe proponere ſigna conſequentia bonam euacuationem, quibus illam talem eſſe iudicamus. Cum autem ſigna hæc vel certam nobis cognitionem, vel coniecturalem inſinuent, Hipp. ſolùm mentionem fecit ſignorum, quę certam pariunt notitiam: vnde prætermiſit quantitatem, ſeu, vt melius loquar eam excluſit, vt pote quæ nō ſolum coniecturalis eſt, ſed nec dici, nec ſcribi, nec omnino percipi poteſt, vt docuit Gal. 3. meth. 3. & 1. ad Glauconem 1. Propterea non eſt ex hac Hipp. auctoritate inferendum euacuationem determinari tantummodo qualitate, non autem quantitate. Nam ideo dixit deiectiones multitudine non iudicari, ſed qualitate, quia, vt inquit Galen. in commento qualitatis humoris peccantis indicia adſunt, quantitatis verò nullum tale habemus indicium: ob hanc igitur cauſam nobis dedit Hipp. de eadem quantitate indicandi viam ex facultate tolerantiæ, loco itaque quantitatis, quæ ſcribi nequit, nec dici, propoſuit tolerantiam, ex qua cognoſcimus totum peccantem humorem, eumque ſolum eductum fuiſſe, non autem cum ipſo aliquid boni, quia hoc pacto non ſequeretur tolerantia. Quare rectè concludit Galen. non promptam eorum, quæ euacuantur, quantitatis phantaſiam oportere attendere, ſed duas, quæ dictæ ſunt notas, ſi qualia oportet, euacuentur, & ſi facilè tolerant.

Quantitas euacuationis indicatur tolerantia.

Tollitur 2. difficultas.

Poſterior difficultas ſoluitur, quia inedia curat quidem plenitudinem, non tamen per ſe, ſed per accidens, vt docuit etiam Gal. 2. aph. 17. dicens, cum nō per ſe ipſam inedia euacuet, id tamen præſtare ex accidenti. Quoniam in abſtinentia à cibo humores, qui plethoram cauſabant, à calore natiuo abſumuntur, & in nutrimentum partium conuertuntur. Plenitudo igitur indicat inediam non tamen per ſe, ſed per accidens, non eſt autem inconueniēs vnum poſſe indicare duo diuerſimodè, vnum quidem per ſe, alterum vero per accidens.

Vtrùm vires indicent euacuationem, proponuntur Argenterij rationes pro parte negatiua.

Cap. V.

Antiqua diſputatio

NOnnulli medici ante Gal. tempora exiſtimarunt vires ægrotantium nihil conferre ad curationem, vel euacuationem moliendam, vt ſcriptis

mandauit

mandauit idem Gal.9.meth.7. Quam sanè disputationem etiamsi non propriā artis, sed potius logicam, atque sophisticam dicat, attamen quia recentiores quidam medici, & pręcipuè Argenterius veterem illam opinionem à Galen. iam reiectam rursus amplecti, & confirmare videntur, atque rationibus quibusdā logicis ostendere tentant contra Gal. dogmata vires nequaquam ad curationem, vel euacuationem conferre. Ideo ne tyrones à sophistis istis decepti rem tanti momenti (qualis est virium consideratio in euacuatione) contemnentes incidant in ignorantiam praue dispositionis, atque Gal. doctrinam minimè veram, nec amplectendam esse arbitrentur necessarium esse duxi demonstrare, qua ratione vires ad morborum curationem, seu ad humorum lędentiū euacuationē necessariò conferant, atq. maxima sint consideratione dignę.

viribus sed curatione, seu euacuatione moliēda à recentioribus renouata.

Et quoniā pręcipuè viriū ratio habetur in euacuatione moliēda, sicuti corporis temperies considerabatur, dum in antecedenti libro de morbosę intemperiei ablatione, & de corporum ad pristinum temperamentum reductione sermo erat. Propterea in pręsenti loco, vbi de euacuatione agitur qnęstionem hanc determinare decreui interim nomina confundens, & curationem pro pręseruatione, seu indicationes pręseruatorias à morbificis humoribus, qui sui eductionem indicant, desumptas curatorias, seu euacuationem humorum peccantium interdum curationem appellans, quando Gal. ipse hoc modo loquendi vsus fuerit, & sępe dixerit causas conuenientem curationem nobis insinuare.

Hunc autem ordinem obseruabo. Primo loco proponam Argenterij rationes deinde ex Gal. mente ostendere contendam, qua ratione virium consideratio ad morborum curationem, & præsertim ad peccantium humorum euacuationem summopere necessaria sit. Tertio deniq. loco rationes in oppositum adductas soluam.

Ordo seruandus.

Argenterius itaq. lib.2. de officijs medici cap.10. ita contra Gal. argumentatur. Ex Gal. placitis vnum semper vnum indicat, ergo uires vnum tantùm indicabunt, quare cum sint secundum naturam sequitur eas sui conseruationē, & tutelam perpetuo indicare, curationem autem, aut remedia, vel illorum quantitatem, qualitatem, vel locum, vel modum, aut quempiam alium scopū, quem in illis obseruare oportet, nequaquam, si modò idem sui ablationem, & conseruationem simul expostulare nequit. Nam, quod secundum naturam est, nunquam non desiderat sui conseruationem. At quomodo curationem, quæ morbis debetur, indicabit vnquam?

1. Argenterij ratio ostendens vires non indicare curationē, vel euacuationem.

Secundo supponens aliquem ita posse respondere dicentem vires non indicare, sed contraindicare instat, & inquit. Quòd si fortè vires contraindicare dicamus, & contraindicantia indicantium nomine complecti velimus, grauior sanè excusatio, quàm primus error reddetur. Primùm quòd nominibus abutimur, quorum proprietatem, & vim diligenter seruandam esse passim Galen. præcipit Deinde si omnia indicare statuamus, vbi contraindicātia relinquuntur? Quid est pręterea, quod toties medendi rationem variandam esse doceat, vbi contraindicantia absunt? Nonne hoc pacto omnia confundimus, si hęc, quę & nominibus, & natura longè inter se discrepant, non seiungimus?

2. ratio.

Tertio quo pacto quantitatem remediorum vires indicabunt, si curationē indicare nequeunt? Nihil enim materiam, quæ vni actioni seruit, insinuare potest, quin ipsam etiam actionem ostendat, siquidem absurdum fuerit quippiam remedium curatiuum requirere, ipsam autem curationem minimè.

3. Ratio.

4. ratio cõtradictioni innixa.

Quarto sibi contradicit Galen.cum lib.de opt.secta ad Thrasyb. cap.42. disputans contra methodicos probare nititur vires nullum remedium indicare,at alijs in locis eas vacuationem, & quantitatem aliorum indicare nusquã non statuit. Qui profectò reprehendendi non essent,si indicantium nomine contraindicantia complecti potuissent. Siquidem omnibus notum est vires, aut prorsus nonnunquam remedia impedire,vt venæ sectionem, & purgationem,aut certè illorum quantitatem moderari.

Vltima ratio.

Denique si indicare aliud est,quàm prohibere,ne aliquid fiat, aut modum indicantibus imponere,vt ille tum alibi,tum maximè in lib de opt.secta ostendit,ergo vires nusquam curationem indicabunt.Nemo enim ex contraindicantium natura inueniet vnquam id, quod agere oporteat, sed quod ab indicantibus iam est inuentum,prohiberi ab illis, vel certè moderari intelliget. Nam quis virium natura percepta concipiet vnquam vacuatione,aut alio remedio opus esse?id quod statim agnoscet,qui de multitudine agat, quæ corpus grauet. Hæc Argenterius aduersus Gal.doctrinam.

Cur virium consideratio necessaria sit præsertim in euacuatione facienda. Cap. VI

VT faciliori negotio Argenterij rationes in antecedenti capite propositas diluere possimus, ex Gal.mente prius demonstrandum est, quàm necessaria sit virium consideratio ad morborum curationem, & præcipuè ad humorum peccantium euacuationem moliendam.

Quid per vires intelligere debeamus.

Quid per vires intelligendum sit,sequenti libro exactè declarabitur, vbi de indicante vitali erit sermo. Interim tamen in confuso per vires ex Gal. 9. meth.cap.10.intelligimus facultates humanum corpus gubernãtes, quas conseruare,nil aliud plane est, quàm vitam seruare.

Virtutis consideratio ex Gal. interdum valde necessaria, alias mediocriter, aliquãdo contemnitur.

Virtutem itaque hoc modo acceptam ad morborum curationem,& ad euacuationem adeo necessariam esse existimauit Gal 9.meth.cap.7.vt sæpe, quæ circa ægrum administrantur,omnia fermè eius vnius causa fiant: aliquando mediocriter necessariam sic,vt aliquid ex hac quoque ad ea, quæ facienda sunt, consilij petatur, non tamen præcipua faciendorum ratio huc omnis referatur: possum rursus (addit) ostendere tibi virtutem adeo exiguum ad inuenienda remedia conferre, vt propter exilitatem etiam lateat: aliàs verò prætermitti, ac silentio præteriri, quasi prorsus ex vtiliter considerandis non sit.

Quid agendum in extremo virium languore.

Atque hoc iure merito,quoniam vires vel validæ sunt,& robustæ, vel extrema imbecillitate laborant,vel mediocriter sese habent,ita tamen, vt quandoque magis ad robur,quandoque magis ad imbecillitatem accedant. Si vires extrema imbecillitate laborauerint, tunc omnia,quæ circa ægrum administrantur, earum solùm causa fiunt,quoniam omnium principalissima est, quæ à viribus desumitur indicatio,& cęteras alias obumbrat, & antecellit. Vnde idem Gal,9.meth.cap.13.dicebat,si quem curare studes affectum, atque is vacuationem requirat,vires autem extrema imbecillitate laborent,toto illo tempore,quo vires reficimus, eorum,quę affectum sanent, nihil planè ægrotanti exhibendum esse.

Vires robustæ contẽnuntur.

Quòd si vires fuerint validę & robustæ,prętermittuntur, neque à medico conside-

considerantur. Quare eodem 9. meth. cap. 9. Fatebatur Gal. se in curatione febrium diariarum nihil dixisse de viribus, propterea quod nullam egregiam prouidentiam requirunt, vt potequæ omnino validæ fiat. Et 10. meth. cap. 4. dicebat, cum vires valentes sunt, omnia contemnere, & tolerare, vbi infirmæ sunt redditæ, vel à quouis offendi.

Viribus medio modo sese habentibus quid agendum.

Denique si vires mediocriter sese habeant, agendorum consilium partim à viribus, partim ab affectibus petendum est: & rursus vel maior ratio virium habenda est, quàm affectus, si vires imbecilliores erunt, si verò ex aduerso vires magis ad robur accedant, maiori studio affectui, quàm viribus incumbendum erit. Vnde Gal. 9. meth. cap. 10. hæc habet. *Si, vt affectus sanetur, multa euacuatione est opus, resoluatur autem ex tanta inanitione virtus, non modo homini non proderit, sed etiam maximum illi periculum afferet.* Porrò in ijs continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniã valida plerunque virtus est, citra periculum vacuatio adhibetur, in alijs verò morbis maximè est periculosa, veluti si forte incidit in corruptela humorum. Quare si affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione, harum autem neutram ferant imbecillæ vires, oportet, vbi indicationes, ita sibi aduersantur, & paulatim, quod vitiosum est vacuare, & paulatim, quod salubre est, pro eo reponere.

Inquirẽda causa, cur vires considerãdæ sint.

Cæterum hoc est tantum dicere, quod res ex Gal. mente ita se se habeat, idest, quòd vires considerandæ sint in euacuatione; at ex dictis nondum est manifestum, propterquid virium in euacuatione molienda sit habenda ratio. Causa igitur inuestiganda.

Vitæ custodia ex Gal. 9. meth. cap. 10. est vnum commune vtrique methodo, & medendi, & tuendę sanitatis. Verùm hęc est differentia, vt fatetur tum loco citato, tum cap. 13. eiusdem libri, quod in bene valentibus cõsensus agendorum omnium ad ipsarum virium perennitatem est, in ægrotantibus autem non semper. Quoniam sicuti in ijs, qui valent, semper virtus comitatur, quæ sanitatis gratia administrantur, nec est quicquam inuenire, quod sanitatem tueatur, quod idem vires corrumpat, ita in ęgrotantibus secus vt plurimum accidit, quando sępissimè à remedijs, quę vel morbo, vel morbi causę occurrũt, resoluantur vires, & interdum adeo resoluantur, vt aliqua eorum, quę affectiones pręter naturam in nobis discutiunt, prædita sint facultate, vt si immoderatè, aut intempestiuè vtare, vitam adimant.

Vires multis modis conseruantur.

Vires itaque tam in bene valentibus, quàm in ægrotantibus semper indicant sui custodiam, & conseruationem, harum autem tutela ex Gal. 9. meth. cap. 13 citato multis modis conseruatur. Primum potissima ratione ex eo, dum, quod de substantia earum, vel inanitum, vel alteratũ est, corrigere tentamus. Secundo loco conseruantur vires ex prohibendis ijs, quæ ipsarum substantiam vacuare, alterareue possunt, ne tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua, atq. huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam pręsentem seruamus, vel absentem inducimus. Quonam autem pacto hęc omnia pro virtutis conseruatione pręstare valeamus, sequenti libro exactè declarabitur, & interim, cum de euacuatione sermo sit, considerandum, qua potissimum de causa virium sit habenda ratio, vt quantùm fieri potest conseruentur.

Cur euacuatio vires resoluat.

Vnde cũ inter enarratos virium conseruationis modos ille præcipuus videatur, vt prohibeamus, quod carũ substantiam exinanire, alterareue potest, & eua-

cuatio ob id vires resoluat, & imbecillas reddat, idcirco hæc est pręcipua causa, cur in euacuationibus moliendis tantopere soliciti debeant esse medici de virium statu, ac conditione.

In quo cõsistat viriũ substantia, & quomodo ab immoderata euacuatione noxam patiatur.

Nam ipsarum substantia, vt docuit Gal. 11. meth. cap. 3. consistit in debita quantitate, & qualitate spirituum, partium carnosarum, & solidarum. Vnde ab euacuatione immodica, quæ sit supra vires, quantitas præcipuè spirituum, & humorum, ex quibus spiritus ipsi generantur, ac carnosæ, & solidæ partes nutriuntur, nimis euacuatur, atq. necessariò resoluuntur vires. Insuper carnosarum, & solidarum partium substantia ob immoderatam euacuationem interdum ita alteratur, vt corruptioni sit propinqua. Propterea Galen. 9. meth. cap. 10. dicebat multos, & si non protinus, at postea ob virtutis infirmitatẽ perijsse, quos si quis citra eius resolutionẽ vacuasset, mortui nõ essẽt. Quin etiam aliqui in morbos inciderunt longos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Alijs, cum immodicæ vacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius, ex qua refrigeratione facilè ex quauis occasione lęsi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt, alij ex eo ipso in morbos inciderunt exitiales, aquam inter cutem, & orthopnęam, & iecinoris, ac ventriculi imbecillitatem. Ergo cum virtus tantopere necessaria sit, eam autem lędant omnia vacuantia remedia, si quis scilicet ijs parùm moderatè vtatur, ideo in euacuatione molienda vires considerandæ sunt, vtrum euacuationem perferre, an non perferre valeant. Atque hæc est ratio, & causa, propter quam uires contemplari debeat medicus vt pote quę ad curationem, & euacuationem conferant, & summopere sint necessariæ.

Vires dupliciter considerãtur in euacuatione.

Et rursus dupliciter considerari possunt vires in ipsa euacuatione, vt asserit Gal. 9. meth. cap. 11. primò, quia virtus aliquando vacuantia medicamenta citra noxam fert, vt potè nec adiuta ab his quicquam, quod sit æstimandum, nec verò læsa, & tunc velut inutilis pręter mittitur. Secundò quoniam sæpe magis, minusue tum iuuatur, tum lęditur. Quare quoties notabilis illi ex vacuantibus auxilijs noxa incidet, toties patere ipsam quoque tunc vtile aliquid ad considerandum indicare, æquè vtique vt cum manifestè iuuabitur. Siquidem cum notabilis noxa ob euacuationem viribus incidit, illam vel differre, vel moderari debemus, adeout à viribus tolerari possit. Quòd si ab euacuatione auxilium accepturæ sint vires, quod accidit, vt inquit Galen. 9. meth. citato cap. 10. cum plenitudo paulò viribus superior fuerit, tunc ex moderata vacuatione, adeo nullum accedit viribus incommodum, vt etiam maximum comparetur commodum, quod eas premebat, sublato. Cum itaque vires ab euacuatione incommodum patiuntur, illam vel omnino prohibent, vel saltem moderantur: cum verò ab euacuatione subleuantur, illam eandem coindicant, seu contraindicant, idest contrario modo indicant, ac faciat plenitudo, quoniam hęc euacuationem postulat pro sui ablatione, cum sit pręter naturam, illę euacuationem indicant pro sui conseruatione, vt lib. 2. cap. 4. dictum fuit, quando declarabamus, quæ nam essent contraindicantia.

Concludamus igitur in euacuatione vires necessariò considerandas esse, quia si extrema imbecillitate laborauerint, illam omnino prohibent, si verò non adeo robustę fuerint, vt totalem euacuationem perferre possint, illam moderantur, si validę, & robustę fuerint, tanquam inutiles prętermittuntur, & euacuationem permittere videntur: si verò ab euacuatione commodum illis contingat,

tingat,

tingat, tunc illam coindicant, vel contraindicant, idest contrario modo indicant, ac faciat multitudo, & humorum abundantia.

Totius rei determinatio.

Quando itaque queritur vtrum vires curationem indicent, & quomodo, respondendum ex Gal. 9. meth. cap. 13. vires vnam rem semper indicare, nempe sui custodiam, & primam omnium esse indicationem illam, quę à virtute sumitur, verùm non sic primam, vt quæ curationem doceat, cum ex numero curatricum indicationum non sit, sed vitalium, siue quę ad vitę custodiam pertinent. Nam neque vt valeamus, neque vt a morbis liberemur, à viribus quicquam primum desumimus, sed vt viuamus. non igitur vires indicant euacuationem, vel curationem primò, & per se, cum curatio à morbo, euacuatio à causa morbi primò, & per se indicetur, sed solùm eo, quo dictum fuit, modo considerantur.

Vires ex accidenti ad morborum sanationem cōferre.

Et additum est in sermone (subdit Gal. loco citato) illud primum, quoniā ex accidente aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit, ut in sequentibus se dicturum pollicetur, promissa autem seruat 11. meth. cap. 9. loquens de putredine, & dicens vires propter vitę ipsius respectum semper esse necessarias, aliquando vero & ex accidenti ad morborum sanationem. Hoc verò (inquit) me ostensurum promisi. Siquidem quod putrescit, si vestis esset aliud ue inanime corpus, vtique ex his duntaxat, quę prędicta sunt, indicationem caperemus. Nunc cum in uiuente corpore putredo concipitur, quod tū alterare potest, tum concoquere, tum vtile reddere, quicquid putrescentium veluti semiputrescens, semimalumque est, vtique facultatem eius, qua naturaliter concoquit, excitans, firmansq. quæ putrescentia sunt, sanabis. Hinc etiam idem Gal. primo acutorum 23. dicebat Hippocratem iussisse his, qui talia à pulmone expuunt, qualia oportet, ptisanam augeri oportere, ut roborata virtus ijs, quæ per tusses ex pulmone fiunt, homidorum expuitionibus sufficiat. Virtus itaque ex accidenti confert affectus curationi.

Dubitatio.

Quod si dixeris falsum esse uirtutem curationi ex accidenti conducere, quando totum oppositum docuerit Hippocr. 6. epid. 5. tex. 1. dicens naturas morborum medicas esse. Per se igitur, & adeo per se ad curationem concurrit virtus, seu ægrotantis natura, vt dixerit Gal. in commento illius contextus artem medicam esse ministram naturæ, cum illi instrumenta suppeditet, quibus morbos debellare possit.

Solutio.

Respondeo hæc omnia verissima esse, sed dico vires, & naturam in morborum curatione posse dupliciter considerari. Nam uel tanquam causæ sanitatem efficientes, & morbos pellentes capiuntur, uel tanquam aliquid indicantes. Primo modo per se natura, & uires curant morbos; secundo modo per accidens dicuntur indicare præsidia, quoniam hęc primo, & per se indicantur à morbo, & causa morbi, ut poteque sunt pręter naturam, & indicant sui ablationem. At natura, & uires primo, & per se indicant alimenta, & sui conseruationem, per accidens autem quandoque etiam remedia, ut dictum fuit.

Soluuntur Argenterij rationes. Cap. VII.

Ex ijs, quæ in antecedenti capite explicata fuerunt, non est amplius difficile soluere Argenterij rationes, quibus Gal. doctrinam demoliri tentauit. Et ex illarum solutione magis apparebit, qua ratione uires necessariò in morborum curatione, & pręsertim in peccantium humorum euacuatione considerari debeant.

Soluitur 1. ratio.

Ad primam igitur concedimus uires unum tantùm indicare, nempe sui conseruationem, non autem curationem, vel euacuationem: atque id fatetur Gal. apertis verbis 9. meth. cap. 13. quo loci statim ab initio ex dictis in antecedenti capite, vbi docuerat, quicquid pro natura sua indicat, id vnum semper indicare, ceu quod vnam habeat naturam, concludit hoc pacto, ergo vires quoque vnam rem semper indicabunt, vtique sui custodiam. Et nusquam reperies Gal. dixisse vires indicare euacuationem, aut curationem primò, & per se, quando totum oppositum affirmet cap. citato dicens indicationem, quę à virtute sumitur, non docere curationem, cum non sit ex numero curatricum indicationum. Quinimo cap. 10. eiusdem libri redarguens medicos illos, qui dicebant vires non indicare euacuationem hac ratione adducti, quia sępe videbant virtutem ex euacuatione nihil lędi, inquit: hinc sumitur inconsideratis, & temerarijs medicis occasio, vt eam prętermittant, ceu nusquam quicquam indicet; falluntur autem, proptereaquod non intelligunt alterius cuiusdam rei causa virtutem esse spectandã, (vt antecedenti capite declaratum fuit) nec, quicquam ad affectum amouendum indicare. Hæc Gal. quæ si ab Argenterio animaduersa fuissent, non ita acriter Gal. redarguisset. Nusquam etenim dixit vires indicare (nominè indicationis propriè sumpto) euacuationem, vel curationem, aut remedia, aut illorum quantitatem, qualitatem, vel locum, vel modum; cum indicatio à uiribus desumpta solùm pertineat ad uitę custodiam, quoniam neque ut ualeamus, neque ut à morbis liberemur ab ijs quicquam primum desumimus, sed vt uiuamus, ut docet 9. meth. 13. citato. Necessariò tamen uires sunt considerandæ propter causam in antecedenti cap. allatam, ut scilicet conseruentur.

Respondetur tacitæ obiectioni.

Quòd si quandoque Gal. inter scopos mittendi sanguinis uires enumerauit, ut 4. acutorum 19. & alibi, dicendum Gal. sumpsisse indicationis nomen communiter, quatenus scilicet indicatio est agendorum insinuatio, quæ ab omnibus ijs desumi potest, quę aliquo pacto, necessariò tamen concurrunt ad curationem, uel euacuationem, ut supra abundè declaratum fuit.

Tollitur 2. ratio.

Cum verò secundo loco instans supponit aliquem posse respondere uires non indicare, sed contraindicare, & inquit excusationem hãc grauiorem esse, quàm primus error, dum contraindicantia indicantium nomine appellamus, quia hac ratione nominibus abutimur, quorum proprietatem & uim diligenter seruandam esse passim Gal. pręcipit. Huic instantię respondeo Gal. manifestè dicere uires contraindicare euacuationem, illam uel prohibentes, uel cõtrario indicantes modo. Contraindicare etenim habet hæc duo significata, ut lib. 2. cap. 4. ostensum fuit. Et quòd dixerit Galen. uires contraindicare, idest prohibere euacuationem, patet ex 9. meth. cap. 10. Nam (inquit) si affectus uacuandum esse pręcipit, idque uel uena incisa, uel purgatione, harum autẽ neutram ferãt imbecillæ uires. Quoniam igitur in omnibus eiusmodi repugnantijs incerta succurrendi ratio est, oportet, ubi indicationes sibi aduersantur, & paulatim, quod uitiosum est, uacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est, pro eo reponere. Atq. 11. meth. cap. 3. dixit uirtutem morbo ceu aduersatricem esse oppositam; quare virtus contraindicat, idest contrarium indicat. Quandoque uerò idem indicat, sed contrario modo, ut docuit Gal. 1. acutorũ. tex. 45. & lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 13 ut lib. 2. supra citato abundẽ dictum fuit. Quapropter nusquam dixit Gal. uires indicare curationem, aut euacuationem, sed illam contraindicare, unde nec contraindicantia dereliquit,

nec

nec omnia confundit, ut ei falsò tribuit Argenterius.

At non possum maximè non admirari, quòd addit Galenum passim docuisse diligenter seruandam esse nominum proprietatem, & vim cum millies, & ad nauseam vsque profiteatur se minime nominibus addictum esse, & præcipuè 9 meth. 7. aliàs citato, vbi quærens an virtus necessaria sit ad curationẽ morborum, & aliquid indicet, concedit omnibus, vt vtantur nominibus, quibus libitum sit, dummodo id, quod in hac arte vtile est, ante oculos habeant.

Falsò Gal. tribuitur ipsum voluiße nominum propritatem seruandã esse.

Ad tertiam rationem, cum ait vires non posse indicare quantitatem remediorum, quando curationem indicare nequeant, dico eo modo, quo vires nequeunt indicare curationem, aut euacuationem, vt dictum fuit, licet ad ipsam earum consideratio summopere sit necessaria, ita etiam non possunt indicare quantitatem remediorum, sed quemadmodum ea, vel omnino prohibent, aut contrario modo indicant, ita eorundem quantitatem moderantur, aut admittunt, vt in sequenti capite demonstrabimus.

Respondetur 3. rationi.

Quarta ratio innixa contradictioni apparenti in Gal. qui lib. de opt. secta ad Thrasyb. demonstrat contra methodicos vires non indicare, cum alibi (vt inquit Argenterius) fateatur eas indicare euacuationem, falsa prorsus continet. Siquidem nullibi Gal. dixit vires indicare curationem, vel euacuationem (propriè sumpto indicationis nomine) sed considerandas esse rei alterius cuiusdam causa, nempe vt conseruentur, nec quicquam ad affectum amouendũ indicare, quemadmodum supra abundè ostensum fuit. Quòd si contra methodicos demonstrauit vires non indicare remedia, id iure fecit, quia ipsi credebant vires indicare curationem, & remedia, non autem prohibere, vel contraindicare.

Solutio 4. rationis.

Pariter vltima ratio nihil probat contra Gal. doctrinam. Fatemur enim cum eo aliud esse indicare, & aliud prohibere, aut modum indicantibus imponere, & ob hoc dicimus vires nusquam indicare euacuationem, sed eam vel omnino prohibere, si fuerint admodum imbecillæ, vel moderari, si parùm robustiores, vel admittere, aut contrario modo indicare, si fuerint validæ.

Tollitur vltima ratio

Vtrum euacuationis quantitas indicetur à quantitate humoris peccantis, an à viribus.

Cap. VIII.

HActenus qua ratione vires necessariò in euacuatione molienda considerandæ sint aduersus Argenterium, qui ueterum medicorum sententiam à Gal. reiectam, earum scilicet rationem minimè habendam esse existimantium, in lucem reuocare tentauit, ostensum fuit in antecedentibus capitibus, nunc reliquum est, vt paucis contemplemur, an euacuationis quantitas indicetur à quantitate humoris peccantis, an uerò à uiribus, quoniam pro vtraque parte adsunt auctoritates, & rationes.

Et in primis si Hippocr. credimus, hic 1. aph. 3. inquit euacuationes nõ esse ducendas ad extremum, sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenire. Per naturam autem Gal. in commento interpretatur vires. Quare ex Hipp. sententia vires illę erunt, quæ euacuationis quantitatem indicabunt.

Vires indicare euacuationis quãtitatẽ ostenditur Hippocr. auct.

Et iure merito, quia si finis medici est introducere sanitatem, & uitam pro-

Ratione.

producere, ac conseruare, frustra operabitur, si dum totum humorem peccantem educere tentat, hominem necaret vires immodica euacuatione resoluēs. Crudelis etenim hominis officium facit, vt inquit Gal. 12. meth. cap. 1. qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert. Tantùm igitur vacuandū, quantùm vires perferre possunt.

Gal. auctoritate.

Insuper hæc visa fuit etiam Gal. opinio lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 10. vbi inquit, à causa auxilij genus indicari, à loco vtendi modū, à facultate significari mensuram.

Ostenditur oppositum vires scilicet nō indicare euacuationis quantitatē

At ex altera parte quod non à viribus, sed potius à quātitate peccantis humoris indicetur euacuationis quantitas pręter rationem, & auctoritates supra cap. 4, adductas sic ex Gal. probari potest vires, seu facultatem ægrotantis non indicare posse euacuationis quantitatem, si vtamur eodem prorsus argumento, quo in lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 45. vsus fuit ipse Gal. contra methodicos, vt ostēderet tempora morborum non indicare qualitatem, neque quantitatem auxilij, quoniam non indicant auxilij genus, sit itaque argumentum.

Ratio id ostendens.

Quod non indicat auxilij genus, non indicat eiusdem qualitatem, aut quantitatem, at facultas nullum indicat remedium, ergo neque qualitatē, aut quantitatem indicare poterit, quare si nullum remedium ergo neque euacuationē, neque eiusdem quantitatem indicabit. Maior propositio clara est. Nā quod non indicat genus, neque generis species indicare poterit, qualitas, & quantitas sunt species auxilij, ergo quod non indicat auxilij genus, neque qualitatem, aut quanitatem eiusdem indicabit. Minor verò propositio, quòd facultas nullum indicet remedium, & per consequens neque euacuationem ipsam probatur à Gal. eodem libro de opt. secta cap. 42. tali pacto. Si robusta uis, atque facultas remedium indicaret, in sanis quoque, quoniam valida est, remedium indicaret, sed in sanis nullum remedium indicat, ergo neque in ægrotis remedium indicare poterit.

Euacuationis quantitatem indicari tum à viribus, tū à quantitate humoris

Augetur difficultas, quia Gal. 1. aph. 3. asserere videtur quantitatem euacuationis non solum ab humorū superabundantia, sed à viribus ægrotantis indicari, cum dicat intentionem quantitatis euacuationis non solum humorem superabundantem respicere, sed etiam naturam, hoc est vires hominis, qui debet euacuari. Alij enim alijs magis, minusue perferunt euacuationes.

Primum fundamentum pro difficultatis solutione.

Pro solutione huius difficultatis cognitu tam necessariæ quædam prius supponenda sunt. Primò igitur suppono id, quod lib. 2. cap. 20. declaratum fuit, indicantia videlicet esse in duplici discrimine cum quædam sint secundum naturam, quædam præter naturam. Indicans secundum naturam est ægrotantis virtus: (de hac enim in præsenti solùm sermo est) indicans verò præter naturam est morbus, & causa morbi. Et rursus indicans secundum naturam indicat sui custodiam per similia: indicans præter naturam indicat sui ablationē per contraria, vt habetur apud Gal. 11. meth. 3. Nam vt sæpius dictum fuit, medica facultas vtitur his duobus principijs, quod contraria contrarijs curentur, & similia similibus conseruentur.

2. Fundamentum.

Suppono insuper ex Gal. 9. meth. cap. 13. virtutem omnium primam custodiendam esse, quia est omnium principalissima indicatio, quæ à viribus desumitur. Vnde quicquid indicationi, quam vires præbent, aduersatur, id secundū occupat locum, ac posteriorem ijs, quæ illæ præcipiunt. Quamobrem in euacuatione molienda tenetur medicus non solum considerare id, quod euacuationem requirit, sed præsertim etiam prę oculis habere debet, an vires possint perfer-

perferre euacuationem ipſam, an potius reclament. Nam, vt ſubdit Gal. loco citato, ſi affectus, quem curare ſtudes, euacuationem requirit, vires autem extrema imbecillitate laborent, toto illo tempore, quo vires reficimus, eorum, quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotanti exhibebimus. Vbi verò eò roboris perueniſſe eas coniicimus, vt nihil, vel parùm ex euacuando ſint lædendæ, tum quoque accedendum eſt ad affectus curationem. Quare plus poteſt virtus ad prohibendum, & contraindicandum, quàm affectus, atque eius cauſa ad indicandum. Propterea facultas, licet non indicet curationem, aut euacuationem, illam tamen prohibere poteſt, vt docuit Gal. lib. de opt. ſecta ad Thraſyb. capit. 41.

Tertiũ fundamentũ. Quapropter ex dictis tertio loco ſupponẽdum eſt vires, ſi fuerint imbecillę, prohibere euacuationem, & contraindicare, ideſt contrarium indicare, cum cauſa morbifica, ſiue humores peccantes euacuationem requirant, vires verò debiles refectionem, & reſtaurationem expoſtulent, euacuatio autem, & refectio ſunt contraria. Contraindicans etenim, ideſt contrarium indicans ex Gal. lib. de opt. ſecta nuper citato eſt illud, quod vtile quidem indicat, id verò fieri, quod affectus poſtulat, non permittit. Tales ſunt vires, quæ vtile quidem indicant, nempe ſui conſeruationem, & poſſunt prohibere id, quod affectus pręter naturam requirit. Si autem vires nõ fuerint adeo imbecillæ, vt aliqualem euacuationem tolerare poſſint, tunc illam moderantur. Vnde in hoc caſu Gal. 9. meth. cap. 11. dicebat, paulatim, quod vitioſum eſt, vacuandum eſſe, & paulatim, quod ſalubre eſt, pro eo reponendum. Quòd ſi vires fuerint robuſtæ, & ex euacuatione commodum percepturę ſint, ſublato eo, quod illas premebat, tunc euacuationem coindicant, ſeu contraindicant, ideſt eandem indicant contrario modo, ac faciat plenitudo, vt lib. 2. cap. 4. dictum fuit. Sin denique vires ab ijs, quę affectum ſubmouent, vt docet Gal. 9. meth. 11. nec commodum vllum, neque incommodum accipiunt, tunc velut inutiles prętermittuntur, neque à medico conſiderantur.

Difficultatis terminatio. Exiſtimo igitur ex his difficultatem hanc ita determinandam eſſe. (Non enim Gal. exemplo 11. meth. cap. 13. quæ adeo neceſſaria cognitu ſunt, iterũ, atque iterum repetere grauabor, cum neque Hipp. ipſe Gal. teſte 10. meth. cap. 5. identidem repetere grauetur, quę maximè ſunt ad curationem neceſſaria, eademque maximè ignorata.) Vt primò redundantia indicet euacuationem, quando ex Hipp. 2. aph. 22. quicunque morbi ex repletione fiunt, curet euacuatio. Secundò talis euacuatio indicatur à tali ſpecie humoris peccantis, vt docuit idem Hippocr. 1. aphor. 2. dicens, ſic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet confert, & leuiter ferunt. Tertiò quantitas euacuationis à quantitate humoris peccantis indicatur; vnde ex Galen. lib. artis medicæ cap. 94. immodica repletio immodica euacuatione curatur. At facultas horum nullum indicare poteſt, cum ſolummodo indicet ſui conſeruationem per ſimilia, attamen ſi robuſta fuerit, & ab euacuatione adiumentum acceptura ſit, eo, quo premebatur, pondere exonerata, tunc eam coindicat, aut contrario modo indicat. Verùm ſi illi neque commodum vllum, neque incommodum allatura ſit peccantis humoris eductio, veluti contemnitur, & negligitur. Si denique debilis, & imbecilla extiterit, vt vel nullam, aut ſaltem minimè totalem euacuationem perferre poſſit, tunc eandem vel omnino prohibebit, aut ſaltem moderabitur.

Reſpondetur auctoritati Hipp. Ex quibus omnibus non eſt difficile reſpondere ijs, quę oſtendere videbantur

Respondetur auctoritati Hipp.

tur vires quantitatem euacuationis indicare. Nam quatenus pertinet ad Hippocr. auctoritatem iure merito in illo aphorismo dixit euacuationes non esse ducendas ad extremum, sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Nam vires illæ sunt, non quidem quæ indicant, quantũ sit euacuandum, sed quæ vel permittant, vel prohibeant, vel moderentur euacuationem eo modo, quo dictum est. Atq; eò magis virium mentionem fecit Hipp. in illo aphorismo, quoniam de euacuatione extrema erat sermo, in qua præcipuè vires sunt considerandæ, quando valde periculosum sit, etiamsi robustæ fuerint, ne ab extrema euacuatione dissoluantur. Quapropter maxima cũ ratione virium meminit: neque tamen verũ indicãs prætermisit. Siquidem loquens de habitu Athletarum, qui ad extremam repletionem deuenerunt, inquit necessarium esse hunc habitum statim soluere, idest euacuare, quia propter extremam repletionem valde periculosus est: extrema autem repletio euacuationem ei oppositam indicat, atq; requirit. Quare Hippocr. & euacuationis quantitatem indicans, & illam eandem permittens proposuit. Quod est illud idem, quod docuit Gal. 13. meth. 11. dicens modum euacuationis tum ex redundantiæ modo inueniri, tum ex ætate, natura, tempore anni, regione, & consuetudine, tum ante hæc ipsa laborantis virtute. Per modum autem eo loci intelligit Gal. quantitatem, & mensuram non rectam euacuationis administrationem, de qua infra dicemus. Si itaque medicus in euacuationibus moliẽdis præ oculis perpetuò habebit ægrotantis vires, sicuti omnino necessarium est, neque eas immodica euacuatione resoluet, neque crudelis officium faciet.

Soluitur Gal. auct.

Quo pacto pariter respondendum est auctoritati Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 19. Nam verissimũ est à causa indicari genus auxilij a loco vtendi modum, à facultate significari mensuram. Quia licet humoris peccantis quantitas euacuationis quantitatem ei oppositam requirat, attamen dum ad praxim deducitur, vires sunt considerandæ, & solùm tantùm est euacuandum quantum vires perferre possunt. Quinimo si vires admodum imbecillæ fuerint, omnino ab euacuatione est abstinendum. Non igitur vires indicant euacuationis quantitatẽ, sed indicatã vel permittũt, vel prohibẽt, vel moderãtur.

Respondetur rationi qua probabatur vires non indicare euacuationis quãtitatem.

At ex altera parte quando dicitur vires non indicare remedij quantitatem, quoniam remedij genus non indicant, concedenda est maior, quæ erat, quod indicat auxilij genus, non indicat eiusdem quantitatem. Ad minorem verò quando dicitur facultatem nullum indicare remedium, dicendum eodem prorsus modo, quo facultas remedij genus respicit, remedij etiam quantitatẽ respicere, sed euacuationem non indicat tãquam verum, & proprium indicãs, quia hoc est humoris peccantis redundantia, ergo neque eiusdem quantitatẽ indicabit, quæ à quantitate peccantis humoris indicatur. Quare quemadmodum facultas euacuationem vel permittit, vel prohibet, ita eiusdem quantitatem, vel permittet, vel prohibebit, vel saltem moderabitur.

Soluitur altera Gal. auctoritas.

Denique si Galen. 1. aph 3. dixit euacuationis quantitatem non solũ humorem superabundantem respicere, sed etiam vires respondeo eum proposuisse humoris quantitatem tanquam veram indicatricem, vires verò tanquam permittentes, vel prohibentes euacuationis quantitatem, aut saltem veluti ipsius moderatrices. Hinc subdit alios alijs magis minusue perferre euacuationes, quoniam vires in alijs magis, in alijs minus robustæ existunt.

Totius difficultatis determinatio

Patet igitur ex his, ni fallor, quomodo quantitas euacuationis indicetur à quantitate humoris peccantis, prohibeatur autem, vel permittatur, aut mode-

retur

tetur à viribus, quarum consideratio cæteras alias considerationes rerum præternaturalium anteire debet. Siquidem tanti facienda est in euacuationibus indicatio à viribus desumpta, vt aliquando ob virium languorem totus humor peccans educi nequeat. Sic Gal. 2. acutorum 10. loquens de sanguinis quantitate educenda in ijs, qui pleuritide laborant, dicebat, si interdum virtus tantum vacuare prohibeat, parti ipsi, quæ phlegmone obsessa est, minus quidem futurum auxilium scire oportere, sed melius est virtutem non exoluere, quàm sanguinem vacuare redundantem.

Qua ratione natura, ætas, consuetudo, aer ambiens, cæli status, regio, anni tempus, & similia concurrant ad euacuationem.

Cap. IX.

QVomodo virium consideratio tum ad euacuationem faciendam, tum ad eiusdem quantitati modum imponendum necessaria sit, ostensum huc usque fuit. Verùm præter viros ab Hipp. & Gal. in euacuationibus moliendis passim contemplantur ægrotantis natura, habitus, temperies, ætas, cõsuetudo, aer ambiens, cæli constitutio, regio, & anni tẽpus. Qua de causa itaq. hæc omnia licet nec euacuationem, nec eiusdem quantitatẽ indicent, necessariò cõsiderari debeant in euacuationibus faciendis ex Hipp. & Gal. mẽte contẽplari oportet.

Dico igitur horum omnium cognitionem ob id necessariam esse, quia videlicet aut vires debiles reddunt, aut robustas, vel illarum statum, qualis sit, demonstrant. Quare viribus mediantibus, vel euacuationem prohibent, vel permittunt, vel moderantur. Gal. etenim 13 meth. 11. dicebat euacuationem, & eiusdem quantitatem inueniri ex humore peccante, & redundantiæ eiusdem modo, idest quantitate: amplius ex ætate, natura, tempore anni, regione, & consuetudine, tum ante hæc ipsa laborantis virtute. Siquidem hæc in omnibus sunt communia.

Cur ætas, temperamentum, anni tẽpus & reliqua euacuationibus faciẽdis consideranda sũt.

Et quo ad anni tempus pertinet Hipp. lib. de aere, aquis, & locis iubet summopere obseruãdas esse magnas temporum mutationes, vt medicinas in illis, nisi coacti nõ adhibeamus. Periculosissima sunt etiã ambo solstitia, maximè verò æstiuum: periculosum etiam æquinoctium vtrumq., magis verò autumnale. Oportet autem. & astrorum exortus considerare, præcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum. Rationem hanc esse arbitror, quoniam in magnis temporum mutationibus, & in astrorum iam dictorum exortu vires ægrotantium labefactantur, cum natura difficulter patiatur subitas mutationes factas in aere, tum propter solstitia, & vtrunque æquinoctium, tùm propter exortũ, & occasum eorum syderum, vt videre licet apud Gal. 1. epid. 1. tex. 1. Quoniã Hipp. anni tempora distinguit, non sicuti faciunt Astronomi, sed præsertim ab ortu, & occasu dictorum astrorum.

Cur solstitia, & æquinoctia, & quorundã astrorum exortus in euacuationibus cõsiderare debeamus.

Insuper 4. aph. 5 scriptum reliquit Hipp. sub Cane, & ante Canem difficiles esse purgationes: cuius rei triplicem reddit rationem Gal. in commento. Prima est, quoniam tunc temporis exusta natura nostra non fert eam, quæ à medicamentis purgantibus prouenit, acrimoniam, quare plures quoque purgati hoc tempore incidunt in febres. Secunda causa est, quia natura ob æstum imbecillis magis ex purgatione dissoluitur. Tertiò purgatio difficilis, & parua redditur, cum calor ambientis in partem trahat extrinsecam contrariam ei, ad quam medicina ducit humores.

Cur sub Cane, & ante Canem difficiles sint purgationes.

Anni tempus, & regio consideranda.

Amplius Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. inter prohibentia missionem sanguinis anni tempus, & regionem recenset. Cum enim aeris constitutio exquisite calida, ac sicca fuerit, qualis est tempore medio inter Canis ortum, & Arcturi nō est secanda vena. Nam omnes, quibus medici nihil omnino de temporū statu cogitantes sanguinem abstulerunt, interierunt. Si etiam valde frigida fuerit, tunc quidem sanguinem mittere est formidandum, cum nō ignoremus non parua ex similibus sequi pericula. Quapropter neque in locis supra modum calidis, aut frigidis, neque in similibus anni temporibus sanguinem mittere audemus, quando in istis, vt opinor, periculum sit, ne calor innatus ob sanguinem detractum refrigeratus à frigiditate ambientis ex toto extinguatur: in illis ne ob nimium ambientis calorem vires resolutæ à sanguinis missione, vel purgatione ex toto dissoluantur. Vnde Auicenna de anni temporibus loquens non dissentiens ab Hipp. & Gal. doctrina 4. primi cap. 1. dicebat fortia tempora esse vitanda in faciendis euacuationibns propter iam dictas causas.

Eadem ratio de alijs est habēda

Eadem autem prorsus est ratio de locis, & regionibus, de cęli statu, & aere ambiente, vt passim docet Gal. sed præcipuè 9. meth. cap. 5. & 1. aph. 12. Nam ex vno alia nobis ad memoriam reuocanda sunt.

Aegrotantis natura in euacuationibus cognoscenda.

Verumtamen præter cęli statum, anni tempus regionem, aeremque ambientem consideranda etiam est in euacuationibus moliendis ægrotantis natura, temperies, habitus, consuetudo, & ætas. Et quo ad ægrotantis naturam pertinet, nonnulli sunt ex Gal. sententia 2. acutorum tex. 11. qui difficulter natura purgantur, alij modico assumpto medicamento purgantur copiosè. Quinam autem sint, Gal. non edocet, neque fortasse, nisi experientia cognosci possunt: nisi dixerimus illos, qui abūdant humoribus biliosis, acribus, & mordacibus, modico, medicamento assumpto copiosè purgari. Quod accidit, tum quoniā humores illi tenues ad motum sunt paratiores, tum quoniam sua acredine facultatem expultricem irritant. Ex aduersò verò, quorum corpus pituitosis, melancholicis, & frigidis succis refertum est, difficulter natura purgātur. Hoc igitur nouisse multum interest ad euacuationem faciendam.

Temperies

Temperies etiam huc referenda est. Nam ex Gal. 1. ad Glauconem cap. 14. quicunque calidi, & sicci natura sunt, hi omnes facilè ab integris euacuationibus offenduntur, propterea quod vires sub hac temperie cito, & facilè dissoluuntur. Et 9. meth. cap. 17. enumerat etiam calidos, & humidos. Nam quæ calida, humidaque sunt corpora, eorum substantia celerrime in ambientem dissipatur, aliàs in halitum sensibilem, idest in sudorem soluta, aliàs in perspirationes, quæ visum fugiant, sed ratione deprehendantur.

Corporis habitus.

Quo ad habitum spectat, ex Gal. 1. ad Glauc. citato eum quoque considerare oportet. Nam qui densa, & solida carne constant, his habitus haud quaquam facilis ad patiendum inest, quare non oportet vereri ipsos euacuare ex toto, si quidem & alia id iubent, sed qui mollem, & humectam, & diffluentem habent carnem, hi mirum in modum sunt ad patiendum habiles, ergo etsi reliqua omnia sanguinem esse mittendum persuadent, non tamen id facere audendum est: sed & alijs euacuationibus, quantùm moderatè, & cautè fieri potest, vtendum est. Eodem modo & quicunque supra modum crassi sunt, aut macilenti. Nam & his venam incidere cauendum est, aliasque euacuationes integras vereri oportet. Hæc Gal. & ratio est in promptu. Siquidem habitus mollis, ac laxus facilè dissoluitur ab euacuationibus, similiter quicunque supra modum crassi sunt, difficulter euacuationes tolerant, quoniam habent calorem

lorem imbecillem, & paucum sanguinem, atque plurimum pinguedinis. Gal. etenim de illa corporis crassitie loquitur, quæ fit ob multam, atque copiosam pinguedinem, non autem de carnosa, quando in hac venę sint latiores, & ideo copiosiorem sanguinem contineant, atque vires sint robustæ, in illa verò ob venarum angustiam deficiant tum vires, tum sanguis. Macilenti item ab euacuationibus lęduntur, propterea quod facultates habent imbecillas, ab euacuationibus igitur nimis resoluuntur, & exsiccantur, in macilentis autem omnia, quæ exsiccandi facultatem habent, vereri oportet.

Consuetudo quoque ex Gal. 1. ad Glauconem citato non parui momenti est, tum ad omnia alia, tum præcipuè ad euacuationis indicationem. Quidam enim nunquam antea fuere euacuati, neque vnquam euacuationem integram pertulerunt, & multis cibis vsi sunt, nonnulli contra neque multis cibis vsi fuerunt, & euacuationibus sunt assueti, hos igitur intrepidè euacuare oportet, quando & reliqua etiam consentiunt, cæteros verò, nempe insolitos, nec si omnia alia id suaserint. *Consuetudo.*

At aliquis dubitare poterit, cur Gal. vereatur eos euacuare, qui multis cibis vsi sunt. Nam hoc videtur omnino, præter rationem, quando probabile sit illos, qui copiosis vtuntur alimentis, plura coaceruare excrementa, & superfluos humores, qui absque dubio indicant sui euacuationem, iuxta illud Hippocr. 2. aph. 22. quicunq. morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. *Dubitatio.*

An respondebimus Gal. solùm respexisse ad consuetudinem, & formidare euacuationes in illis, qui euacuationibus minimè sunt assueti, sed potius repletionibus indulgent. Quocirca, cum natura non patiatur subitas mutationes à contrario in contrarium, iure Gal. dixit consuetudinem considerandam, & timendam esse euacuationem in illis, qui nunquam antea fuere euacuati, & multis cibis vsi sunt. At non ideo inferendum ipsum arbitrari eos, qui superfluis abundant humoribus ob nimiam repletionem minimè euacuandos esse. *Solutio.*

His denique ex Gal. 1. ad Glauconem citato ætas annumeranda est veluti accidens quoddam, quod prohibendi interdum integram euacuationem vim habet. Neque enim pueri, neque seniores hanc sine noxa tolerant: pueri quidem, quoniam ex Gal. sententia 9. meth. cap. vlt. eorum substantia omniũ facillimè digeritur, ac dissipatur, propterea quod est cæterorum humidissimá, & calidissima, quo minus vacuantibus pręsidijs eget, cum habeat ex se ipsa, vnde naturaliter vacuetur. Seniores autem difficulter euacuationes tolerãt, quoniam iam calor deficit, & vires languent. *Aetas.*

De recta præsidiorum euacuantium administratione, & primò de eorundem quantitate, seu dosi.

Cap. X.

NVllum equidẽ remediũ reperitur, cuius rectè materia administrari non debeat, quando non solũ in præsidiorum inuentione, sed etiam in recto eorundem vsu vera, & tuta medendi methodus consistat. At si in vllo vnquã pręsidio recta agendorum administratio locum habet, & summè necessaria est, ea profectò ad vnguem obseruanda in euacuationibns moliendis, & studiosè cauendum ne vllus prorsus in illa committatur error. Propterea, cum hactenus in genere de indicantibus euacuationem ipsam actũ fuerit, rectus eiusdem

vsus

vſus contẽplandus: ita tamen vt nõ egrediamur vniuerſalis methodi terminos. Quod aſſequemur, ſi ſolùm vniuerſalia præcepta, exemplis tamen quibuſdam illuſtrata propoſuerimus. Nam cum rectus vſus reſpiciat pręſidiorum euacuantium materiam, cuius in pręſenti non fit mentio, quando conſiderari debeat in particalaribus tractatibus, videlicet de venæ ſectione, de purgãtibus, de diureticis, ac de reliquis huius cenſus euacuantibus remedijs. Idcirco ibi exactius recta agendorum adminiſtratio conſiderabitur, atque interim vniuerſalia pręcepta ad eam pertinentia ſufficient, ſine quorum cognitione impoſſibile foret vnquam rectè mederi.

Et in primis occurrit quantùm agendum, ſeu euacuantium doſis, quæ adeo coniecturalis eſt, & periculo plena, vt fortaſſe nil difficilius, & magis periculoſum ſit in hac arte, cum multoties tam in excedente, quàm in diminuta euacuatione ægrotantis vita pręſertim in acutis morbis in diſcrimen adducatur.

Nonnullorum opinio de euacuãtium doſi à quo indicetur.

Exiſtimarunt quidam uiri pręclariſſimi quantum agendum deſumi ab actione materię morbificę. Per exemplum ſi bilis ſit ſumma actio, indicatur ſumma doſis materię remedij, vt Rhabarbari. Vnde Gal. 1. aph. 23. in vehementiſſimis febribus, in maximis inflammationibus, atque in ſummis doloribus euacuandum eſſe vſque ad animi deliquium docuit ex Hipp. mente, quoniã horum affectuum vehementia ſummam morbificę materię actionem nobis inſinuat.

Confirmatur Gal. authoritate.

Verum non adeo ſicco pede hęc pertranſeunda eſſe cenſeo. Nam licet in cõmuni, & in genere de pręſidiorum euacuantium doſi nil certi determinari poſſit: attamen pręcepta quędam vniuerſalia ad hoc negotium pertinentia (id quod pręſentis methodi munus eſt) paulò diligentius contemplari oportet.

Atque ante omnia animaduertendum eſt, euacuationum, quæ vniuerſum corpus reſpiciũt, de quibus interim præcipuè eſt ſermo, alias eſſe ipſius ſanguinis, ideſt omnium humorum ex æquo, alias verò humorum à ſanguinis natura diuerſorum.

In euacuationibus ſanguinis nõ eſt quærenda doſis materiæ præſidiorũ

In ſanguinis euacuationibus certum eſt non eſſe quærendam materiæ pręſidiorum doſim, ſed ipſius ſanguinis, qui educitur quantitatem, quæ nõ ab eiuſdem actione, ſed potius à quantitate ſuperabundante metiri debet. Tota enim quãtitas peccantis ſanguinis (quæ nullo alio pacto, quam euacuatione corrigi poſſit) quancunq actionẽ habuerit, educenda eſt, dum vires permiſerint, quas interim ſeclud mus, cum abundè de ijs actum fuerit, ſic ſenſit Gal. 1. aph. 23. dicens, ſicuti enim qualitatem pro humoris moleſtantis ratione vacuari, ita videlicet quantitatem multitudini moleſtantis humoris reſpondere oportet. Verùm hoc potius pertinet ad quid agendum, quod determinatur qualitate, & quantitate ipſius præſidij, quàm ad rectam adminiſtrationem. Quare in ſanguinis euacuatione rectus vſus reſpectu ipſius doſis, quæ reſpicit remedij materiam, nullum videtur habere locum, ſicuti in purgantibus. Quis enim doſim pręſcribet venę ſectioni, aut cucurbitulis, aut hyrudinibus, quæ ſunt huius præſidij materiæ? Niſi fortaſſe quis dixerit, ſanguinis euacuationem quã prius mente concepit medicus tantam eſſe debere, quæ reſpondeat multitudini peccantis ſanguinis, pertinere ad quid agendum, dum verò ad praxim deducitur, & per exemplum ſanguis mittitur ad vncias octo, vel ad libram, hoc ſpectare ad rectum vſum. Vtcunque tamen vtrunque indicatur nõ ab actione, ſed à vitioſi ſanguinis quantitate.

Quid

Quod si Gal. in vehemētissimis febribus, & maximis inflāmationibus, atq. doloribus ex Hipp. quoq. sententia vsque ad animi deliquium euacuandum esse docet, quoniam horum affectuum vehementia demonstrat summam materiæ morbificæ actionem. Respondendum arbitror euacuationem vsque ad animi deliquium pertinere potius ad vtendi modum, quàm ad quantitatem præsidij, vt infra cap. 13. demonstrabo. Et licet libro 1. cap. 19. dixerim hoc pertinere ad quantum agendum respondeo pertinere quidem ad quantū agendum respectu quantitatis sanguinis, quę educitur; sed quantitas hęc diuersimode euacuari potest, nempe vel pluribus vicibus, vel vnica tantum vice, & interdum etiam vsque ad animi defectum. Qui sanè vtendi modus, conuenit in vehementissimis febribus, quia hac ratione nō solum educitur tota peccantis sanguinis quantitas, sed etiam, vt inquit Gal. in commento illius aphorismi statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur. In maximis verò inflammationibus, & doloribus fit magna euacuatio à parte affecta, & magna quoque spirituum resolutio, ita vt non tantùm ratione quantitatis, sed etiam ratione huius agendi modi, nullum maius reperiatur pręsidiū in similibus affectibus, quàm vsque ad animi defectionem euacuare.

Declaratur Gal. authoritas.

At quemadmodum sanguinis educendi quantitas maior, vel minor non indicatur ab eiusdem maiori, vel minori actione, sed à multitudine, ita ne existimandum est dosim purgantium medicamentorum, aut aliorum, quæ humores à sanguine diuersos educunt, minimè indicari ab eorundem lęsione, seu actione, sed à maiori, minoriue copia, aut ab aliqua alia re? Crediderunt nonnulli, vt supra apparuit, dosim desumi ab actione, vt si bilis sit summa actio, indicetur summa Rhabarbari dosis. Et re vera primo aspectu ratio ita suadere videtur. Nam si contraria contrarijs curantur, & remedia debent esse æqualia morbo, vel causæ morbificę, ergo quò maior erit lęsio humorum educendorum, eò maior debebit esse dosis medicamentorum, quę eos euacuandi vim possideant.

Ratio prædictam opinionem cōfirmans.

Cæterum eiusmodi indicans, nimirum summa, vel minima humorum actio, mihi videtur genericum, quare indicabit præsidium genericum, vel summæ, vel minimæ actiuitatis, quod illi actioni, seu læsioni opponatur. Non itaque poterit indicare dosim determinatam, quæ est indicatum specificum. Nam cū humores varijs modis lædere, & agere possint, sicuti supra cap. 3. dictum fuit, videlicet vel substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel motu, vel quiete, dicendum est horum vnumquodque vitium indicare determinatum remedium, quod illi contrarium sit. Et si ratione huius, vel illius vitij humores validam, vel debilem habebunt actionem, tunc indicabunt remedium illi quidem vitio oppositum, sed vel validè, aut debiliter agens. Cum itaq. certum sit, non quālibet humorum læsionem, seu actionem, vel summam, vel minimam indicare summam, aut minimam remedij purgantis dosim: perperam igitur dicimus ita in confuso summam bilis actionem indicare summam Rhabarbari dosim. Nam deueniendum est ad aliquod particulare indicans, quod purgantium quantitatem, seu dosim præscribere posit.

Reijcitur prædicta opinio.

Hoc autem assequemur, si considerauerimus causas, ob quas sæpissime talium medicamentorum dosim mutare solemus. Vna, eaque maximè principalis est, quoties vires totalem perferre nequeunt euacuationem, hinc, quæ vna vice humorum quantitas educenda foret, partitis vicibus purgamus imminuta purgantium dosi. Verum hoc pertinet ad vtendi modum, non autem ad quantum

Enumerātur causæ, quæ euacuantium dosim mutare solent.

tum

tum agendum, propterea quod vires dosim non indicare, sed vel permittere, vel moderari, vel omnino prohibere dicitur. Altera causa est humorũ crudorũ copia, quæ quia semel tota cõcoqui, & educi nõ potest, paulatim diminuta purgantium quantitate educimus, vt quod remanet facilius cõcoquatur: quod pariter pertinet ad quomodo agendum. Tertia causa est humoris resistentia modò summa, modò mediocris, modò minima, non tamen quælibet, sed illa tantũ, quæ purgationi reluctatur, ratione scilicet cuius humores, vel facilius, vel difficilius extra corpus educuntur.

Purgantium dosis à quo indicetur.

Atque hæc est illa causa, quam quærimus, quæque est dosis purgantium indicatrix. Nam dum volumus exempli gratia totam peccantem bilem vnica vice purgare, cur interdum vtimur summa Rhabarbari dosi, interdum mediocri, nonnunquam minima? Nulla alia sanè de causa, nisi quia bilis educenda, vel multùm, vel mediocriter, vel parùm, quacunque ratione id contigerit, purganti medicamento resistit. Cum etenim in maiori quanto maior sit virtus, ergo maior purgantis remedij quantitas maiorem etiam vim attrahendi humorem sibi similem, & facultatem expultricem irritandi habebit, quod requiritur, dum humor expulsioni, & attractioni, huic à medicamento, illi à natura factæ magis resistit. Quapropter purgandi humoris resistentiam, vel magnam, vel mediocrem, vel minimam esse medicamenti purgantis dosis indicatricem arbitror. Quæ causa fortasse fuit, cur Hippocr. 4. aphor. 9. melancholicos plenius purgandos esse dixerit: quando humor hic terreus, ac crassus existens, atque proinde difficile mobilis, & qui reluctetur medicamentis purgantibus indigeat summa eorundem dosi, vt facilius attrahi, & facultas expultrix magis irritari possit. Et Gal. in commento ait Hippocr. dixisse plenius pro fortius, non autem fortius per inferiora educetur, nisi magna adfuerit hunc humorem purgantis medicamenti vis, quæ nõ tantùm in eius qualitate, verùm etiam in magna dosi consistit.

Aliæ causæ enumerantur, ob quas variatur dosis.

Porrò ob multas alias causas, vel coindicantes, aut saltem dosim virtute intermedia moderantes purgantium dosis variari potest. Sicuti sunt temperies, corporis habitus, ætas, sexus, vitæ studia, proprietas indiuidualis, consuetudo, aer, regio, anni tempus, & similia. Quæ tamen omnia interim prætermittere oportet, quando eorũ cõsideratio nõ pertineat ad vniuersalem medendi methodum, quam nunc profitemur, sed ad particularem de purgãtibus medicamentis tractationem.

Hæc autem paucis nunc tradita in medium afferre volui, vt ostenderem summam humoris educendi actionem non indicare summam euacuantiũ dosim. Et quod de purgantibus dictum est, idem intelligi debet de alijs præsidijs vniuersum corpus euacuantibus, siue per vrinam, siue per sudorem, siue quocunque alio modo id præstent, quorum omnium natura, & recta administratio, à quibus indicetur, peculiaribus tractationibus considerari debet.

De quomodo agendum. Cap. X I.

DE vtendi modo nihil certi in genere determinari potest. Nam respectu materiæ euacuantis præsidij, quæ varia, & diuersa esse potest, tam multiplex est harum materierum vsus, vt nemo etiam parùm in medendi methodo versatus credere possit, reperiri quoddam genericum, quod indicet vtendi modum genericum. Siquidem tot, tamque diuersi his præsidijs vtendi

modi

modi non habent vnum commune genus, quod de omnibus speciebus prædicetur.

Quis etenim exempli gratia missionem sanguinis fiendam, siue per venę sectionem, siue per cucurbitulas, siue per hyrudines, (qui sunt varij, atque diuersi, quibus sanguis mitti solet, modi,) existimabit indicari à facili, seu difficili, vt dicunt sanguinis passione? Nam si quis quæreret, quænam sit hæc sanguinis difficilis passio, fortasse, qui hanc sententiam sequuntur, id declarare nescirēt. Et quicquam aliud requiritur ad indicandam sanguinis missionem hoc, vel illo modo fiendam, quàm illius facilis, seu difficilis passio.

Facilē, seu difficilem passionem non esse indicatricem vtendi modi ostenditur exēplo missionis sanguinis diuersimode factæ.

Amplius purgantia medicamenta varijs administrantur modis, nimirum vel sub forma electuarij, potus, pillularum, rotularum: sic Rhabarbarum adhibetur vel in substantia, vel in infusione. Nolo interim disputare, à quibus modi hi indicentur, quia suo loco id determinari debet, solum dico, hosce modos, cum sint diuersi, non indicari à passione materiæ morbificæ, ita vt vnica eiusdem passio pręscribere possit varios vtendi euacuantibus remedijs modos. Ergo quòd sola bilis difficilis passio, vt affirmant, quando est crassior, indicet Rhabarbarum exhibendum esse in bolo, quia hoc modo efficacius agit, & agere debet, quia bilis ob crassitiem difficulter patitur, non videtur esse rationabile, propterea quod varientur modi isti ob plures causas, nempe vel vt iucundè medeamur, cum alij in potu, alij in bolo, alij in alia forma medicamenta desiderent. Amplius quotiescunque educendi humores sunt in parte remota, vt puta in capite, vel artubus, medici præscribere consueuerunt medicamenta in forma solida, quia tunc magis morantes in ventriculo à lōginquis partibus trahere possunt. Insuper, qui facile euomunt, ijs interdicitur potus, & medicamenta solida, quæ difficilius euomuntur, adhiberi solent. Non igitur vnica humorum facilis, difficilisue passio indicare poterit tam diuersos vtendi modos.

Probatur idem exēplo purgantium vario modo administratorū

Ad hæc quòd humores educendi vel vnica, vel partitis vicibus, & paulatim educi debeant, id pertinet ad vtendi modum, qui tamen non ab humorum educendorū passione siue facili, siue difficili indicatur, sed potius à viribus, vel Gal. testē 9. meth. 10. Quoties enim affectus euacuatione indiget, & vires eam perferre præ imbecillitate nequeunt, tunc paulatim, & per vices euacuamus. Quare hic vtendi modus à viribus totalem euacuationem perferre nequeuntibus præscribitur, non autem à causę morbificæ passione. Non quòd vires indicent (propriè sumptó nomine indicationis) hunc vtēdi modum, sed quia integram euacuationem prohibentes nobis ita agendum esse insinuant, vt vires non labefactemus, & affectui, qui euacuationem expostulat, medeamur.

Idem ostēditur exemplo desumpto è partita euacuatione

Cum itaque tot, ac tam varij sint modi, quibus euacuantibus præsidijs vtimur, & isti non habeant vnum commune genus, quod de ijs omnibus vniuocè prædicetur, ergo neque assignari potest vnum indicans genericum, quod sub se complectatur specifica, & diuersa indicantia diuersum, & specificum vtendi modum. Quocirca concludendum est euacuantium pręsidiorum tam varium vsum non ab vnico, sed à pluribus, ijsq. diuersis indicantibus indicari.

Cur euacuantibus remedijs sæpe vtamur partitis vicibus.

Cap. XII.

VArij sunt modi, quibus vtimur euacuantibus præsidijs, vt ex dictis in antecedenti capite apparuit: inter hos frequens est ille, & maxima consideratione dignus, qui fit per vices, seu per epicrasin: quare paulò diligentius inuestigandæ sunt causæ, ob quas medici sæpissime nō vnica vice, sed paulatim peccantes humores educere tentant.

Enumerantur causæ ob quas partitis vicib⁹ euacuamus

Existimarem itaque partitam fieri euacuationem his præcipuè de causis, videlicet vel respectu virium totalem euacuationem perferre nequeuntium: vel respectu humorum, quotiescunque aut nimis copiosi, aut frigidi, aut crassi sunt, aut diuersæ naturæ, vel denique respectu motus eorundem, vt reuellātur à parte affecta, ad quam indecenter fluunt. Atque interim hac vltima causa seclusa, de qua infra quando de vitio humorum secundum motum erit sermo, reliquæ considerandæ sunt.

1. ratione virium.

Vnde si vires contemplemur, quæ in euacuationibus multæ faciendæ sunt, vt supra cap. 6. longa ratione ostensum fuit, fieri potest, vt sint adeo imbecillæ, vt euacuationem perferre nequeant, saltem totalē: quare si affectus vacuandum esse præcipit, vel vena incisa, vel purgatione, harum autem neutram ferāt imbecillæ vires, tunc in huiusmodi repugnantijs incerta ratio succurrēdi est. Quocirca vel insanabilis redditur affectus, aut longo tempore, ægrèq. sanari poterit, idque si magnum nactus sit medicum. Oportet namque vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicē, quod salubre est, pro eo reponere. Quæ est Gal. doctrina 9. meth. cap. 10. Insuper libro de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. dicebat, vbi multa euacuatione est opus, verùm vires sunt imbecilliores, in his partiri euacuationem expedire. Hæc itaque est vna, eaque potissima causa, cur sępe medici vtantur euacuationibus per epicrasin factis, incumbentes semper ei, quod magis vrget, altero non neglecto. Siquidem vires laborantes reficere tentant; cum verò aliquid roboris eas acquisiuisse cognoscunt, tunc peccantes humores educunt, idque per vices, & paulatim faciunt.

2. ratione multitudinis humorum.

Quòd si respectu humorum efficienda est euacuatio per epicrasin; id in primis accidit, quotiescunque multi, & copiosi sunt peccantes humores, qui sui euacuationem indicant. Nam cum ex Hipp. 2. aph. 51. omne nimium sit naturæ inimicum, neque patiatur natura subitas mutationes; idcirco periculo plena erit totalis multorum humorum euacuatio etiamsi vires robustę videantur, quoniam periculum non mediocre est, ne insignem labem à tam magna mutatione ab extremo ad extremum patiantur. Tutius igitur erit euacuationem partiri.

3. ratione qualitatis humorum.

Occurrit præterea qualitas educendorum humorum: si enim frigidi, crassi, ac viscidi fuerint, cum paulatim concoquantur, paulatim etiam, & per vices euacuari debent. Sic Gal. 1. ad Glauc. 10. in curatione quartanę febris, quę pendet ab humore melancholico frigido, crasso, ac terreo, ait purgātibus nō semel tantū, sed sępius vtendū esse. Id qđ in pituitosa febre, aut morbis à pituita penden-

pendentibus curandis obseruandum quoque est. Hoc idem etiam ostendere possunt obstructiones contumaces, quæ quia pendent ab humoribus crassis, lentis, & viscidis, curari quidem solent medicamentis deobstruentibus, quæ humores attenuant, detergunt, & incidunt, ita tamen vt paulatim præparati, paulatim etiam, & per vices educantur.

Denique diuersę naturę humores non omnes vnica vice euacuari debent, quando alij citius, alij tardius pro eorum diuersitate concoquantur, quare cum non eodem tempore coctionem patiantur, ergo neque eodem tempore, sed partitis vicibus sunt educendi. *Tandem ratione diuersæ naturæ humorum.*

An vnquam liceat euacuare vsque ad animi deliquium, & à quo indicetur hic agendi modus.

Cap. XIII.

PErtinet etiam, vt ego arbitror, ad vtendi modum euacuatio vsque ad animi deliquium. Nam licet primo aspectu hoc alicui videri possit pręter rationem, cum potius humorum educendorum quantitatem, quàm vtendi modum respicere videatur, quando similis euacuatio copiosa admodum necessariò esse debeat. Attamen cum quantùm agendum respiciat humorum peccantium quantitatem, quæ absque dubio tota euacuari debet, & id fieri possit diuersimodè, videlicet vel vnica vice, vel partitis, & iteratis euacuationibus, vel etiam vsque animi defectum; hinc factum est, quòd ego existimem id pertinere ad vtendi modum.

Cæterum cum quæstio an sit cæteras pręcedere debeat, & in dubium reuocetur apud nonnullos, an vnquam euacuationem vsque ad animi defectum aggredi liceat, ideo an omnia proponendæ sunt præsertim Auerrois rationes, quibus 7. collectaneorum aduersus Hippocr. & Gal. sententiam ostendere contendit, nusquam euacuandum esse vsque ad animi dissolutionem. *Auerroes ostendere nititur non esse euacuandum vsque ad animi deliquium.*

Harum prima talis est, si medicus naturam, cuius minister dicitur, rectè operantem imitari debet, & hęc nusquam euacuationem tentet vsq. ad animi defectionem, ergo neq. medicus adeo audax esse debet, vt tali vtatur euacuatione. *1. Ratio.*

Amplius in euacuationibus moliendis ea solùm humorum quantitas euacuanda est, quæ pręter naturam existit, vt supra cap. 8. ostensum fuit, sed hoc pręceptum non seruatur in euacuatione vsque ad animi defectum, quando in illa nedum quod superfluit, sed etiam, quod est vltra mediocritatem, educatur, ergo minimè tentanda. *2. Ratio.*

Tertio principalis medici scopus est, nō solum sanitatis introductio, sed etiā vitę custodia, at in simili euacuatione ægrotantis vita in maximum discrimen adducitur, & interdum eam mors sequitur, quocirca euacuatio vsq. ad animi defectum non est aggredienda. Periculum autem, quod imminet est, quia morbus non tollitur, cum remaneat putredo, & virtus adeo labefactatur à tali euacuatione, vt pro putredinis relictę curatione sufficere nequeat. *3. Ratio.*

Verùm antequam nunc dictæ rationes soluantur, paucis duo consideranda sunt. Alterum est, an euacuatio vsque ad animi deliquium fieri possit nedū per sanguinis missionem, sed etiam per medicamentum purgās. Alterum est, quid intelligere debeamus cum Hipp. & Gal. per verba illa, *vsq. ad animi defectionē.* *uo consideranda.*

Quo ad primum pertinet Gal. 1. aphor. 25. sensisse videtur, interdum pur-

An instituі possit purgatio vsque ad animi deliquium.

gandum quoque esse vsque ad animi deliquium. Loquens enim de vehementissimis doloribus dicebat in ijs nullum maius reperiri remedium, quàm vsque ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat vsque ad animi defectionem, quemadmodum in libro de venæ sectione monstrauimus. Hæc Galen. Veruntamen hoc omnino videtur præter rationem, vel etiam ipsius Gal. testimonio, qui lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. docet hoc esse discrimen inter purgationem, & sanguinis missionem, quòd hanc ad libitum medicus sistere potest, illam verò minimè. Nam si quis ab assumpto pharmaco magis, quàm conueniat, purgetur, impossibile est purgationem sistere, quare nemo sanę mentis purgationem vsque ad animi defectum tentare audebit. Et si Gal. 1. aph. id asserere visus fuit, dicunt verba illa, *vsque ad animi defectionem*, non reperiri in veteri translatione, quod ex eo confirmari potest, quia idem Gal. citat librum de venæ sectione, in quo totum oppositum sentire videtur.

Quid intelligere debeamus per verba illa, vsq. ad animi defectionem.

Qua ratione autem verba illa, *vsque ad animi deliquium*, intelligenda sint, & qualis ex Hipp. & Galen. mente esse oporteat huius euacuationis terminus nonnulli declarantes, & ponentes discrimen inter lipothimiam, & syncopem dicunt, eam fieri debere non vsque ad syncopem, quæ est omnium virium subitò facta concisio, sed vsque ad lipothimiam, in qua vires non adeo resoluuntur, & vsque quò præludia tantùm quædam appareant futuræ defectionis, quæ sunt oscitationes, pallor vultus, suspiria, extremorum refrigeratio, oculorum calligatio, sed potissimum pulsus intermissio, vel occultatio. Vnde Gal. lib. de curat. per sangu. miss. cap. 12. iubet vt pulsuum diminutiones animaduertantur, ne pro animi deliquio mors occupet. Quod innuit etiam Hippocr. dicens, *si æger possit tolerare*, per quæ verba docere voluit, euacuationem duci debere vsque ad illum animi defectum, qui est cum aliqua virium perseuerantia, ita vt in pristinum restitui possint. Sed hęc pauca sufficiant, cum potius pertineant ad tractationem de venæ sectione.

Notandum maxima consideratione dignum.

Interim autem, cum de euacuatione in vniuersali sit sermo, noto valdè periculosam esse similem euacuationem, quare etiamsi Hipp. & Galen. eam rationabiliter admittere videātur, existimarem tutius esse à simili euacuatione abstinere cum eam quoque formidet Gal. loco nuper citato dicens satius esse à tam copiosis euacuationibus abstinere, nisi magna incumbat necessitas. Et quemadmodum sanguinis missio vsque ad animi defectum periculo plena iudicatur, ita alię quoq. euacuationes, siue per sudorem, siue per aluum, siue quęcunque fuerint, (quas tamen nunquam licet vsque ad animi defectionem ducere) copiosę, & affatim factæ fugiendæ, & valde timendæ sunt. Nam ex Hipp. mente 2. aph. 51. plurimum, atque repente euacuare periculosum, quoniam omne nimium est naturę inimicum.

Soluitur 1. Auerrois ratio.

At licet euacuatio vsque ad animi defectum periculo plena sit, & magnum medicum requirat, qui eam opportunè faciat, non tamen rectè argumentatur Auerroes aduersus Hipp. & Gal. sententiam. Nam qui horum dogmata sequuntur primę rationi respondent dupliciter. Primò non esse necessarium, vt semper medicus imitetur naturam, quando interdum faciat, quę natura minimè exequi potest, vt habemus apud Gal. lib. de const. artis medicæ cap. 12. sicuti quando per exemplum luxatos artus, vel intestina delapsa in pristinum locum reducit, vel superexcrescentem carnem imminuit. Secundò dicunt, non esse omnino verum naturam nusquam euacuare usque ad animi deliquium: Siquidem

quidem aliquando criticè tam copiosum sudorem promouet, aut sanguinis fluxum è naribus excitat, ut ægrotantes semianimes reddantur.

Tollitur 2. ratio.

Secunda ratio soluitur, quia in euacuatione usque ad animi defectum potius respicimus hunc utendi modum, quàm humoris peccantis quantitatem. Vnde licet educatur non solum humor, qui superfluit, sed etiam vltra medio-critatem, non tamen peruertimus præceptum, & regulam, quæ est, vt tantùm euacuetur illa humoris quantitas, quæ excedit, quoniã medici intentio in simili euacuatione non est, vt solummodo superexcedentem humorem educat, sed præsertim, vt hoc vtendi modo vehementissimo affectui occurat. Hinc Gal. 1. aph. citato dicebat in ardentissimis febribus, si vsque ad animi defectionẽ sanguis mittatur, statim totius corporis habitum refrigerari, & febrẽ extingui.

Respondetur 3. rationi.

Tertia denique ratio falsa assumit, quòd videlicet huiusmodi euacuatio ad extremum vitæ periculum ægrotantes deducat, & etiam ad mortem. Nam non est facienda vsque ad syncopem, sed neque etiam vsque ad lipothimiam, nisi exclusiuè, idest vsquequò lipothimiæ præludia appareant. Quare si virtus adeo robusta erit, vt iudicare possit medicus, eam toleraturam esse similem euacuationem, facienda erit, dummodo maxima necessitas vrgeat, sin minus abstinendum, qua ratione ægrotantis vita in discrimen non adducetur.

Soluitur instantia.

Quando verò additur, saltem virtutem adeo labefactari, vt putredinis reliquum superare nequeat. Respondeo Gal. id optimè cognouisse, & propterea 11. meth. cap. 14. cum putredo non curetur sanguinis missione, sed alijs præsidijs, dixit in putridis febribus, dum sanguis mittitur, tantum relinquendum esse, vt vires sufficere possint, vsque ad morbi solutionem. Quo supposito dico euacuationem vsque ad animi deliquium non esse aggrediendam in illis febribus, in quibus viget putredo, sed solùm in febribus ardentissimis, seu synochis, in quibus sanguis est adhuc in via ad putredinem, ita vt simile præsidiũ cõueniat tum ratione sanguinis nimis copiosi, & excalfacti, tum ratione febris ardentissimæ, non autem ratione putredinis, qua vigente non conuenit talis euacuatio.

A quo indicetur euacuatio vsque ad animi defectũ.

Cum itaque secundum Hipp. & Gal. doctrinam interdum conueniat euacuatio vsque ad animi deliquium, dicendum est, à quo indicetur hic vtendi modus. Certum est, indicatum, seu remedium debere esse æquale affectui præter naturam, quare, cum nullum reperiatur præsidium generosius, & validius euacuatione vsque ad animi dissolutionem, existimandum est eam indicari ab affectibus vehementissimis, vltra quos alij non reperiuntur. Quæ causa fuit, cur Gal. 1. aph. citato in maximis inflammationibus, in ardentissimis febribus, atque vehementissimis doloribus præsidium hoc conuenire dixerit.

Duo in simili euacuatione obseruanda.

Animaduertendum tamen est, duo in euacuatione vsque ad animi defectionem præsertim obseruari: alterum est remedii qualitas: alterum est agendi modus. Qualitas indicatur ab humore peccante, qui sui non alteriùs euacuationem indicat: qua de causa Gal. loco nuper citato docuit in vehementissimis doloribus adhibendam esse distinctionem, an mittere sanguinem, an purgare oporteat. Nam si dolor à sanguine efficiatur, hic mittendus est. At modus agendi indicatur à maxima actiuitate peccantis humoris, ratione cuius vel inflammationem intensissimam, vel vehementissimum dolorem, vel ardentissimam febrem efficit, quare educendus quidem est, sed modo vehementissimo, ut remedium euadat æquale vehementissimo affectui.

De Vbi agendum. Cap. XIV.

GAl.6.epid.2.tex.33.explicans hanc vocem (vbi,) cuius mentionem facit Hipp. in textu, ait, nil aliud sibi voluisse diuinum illũ senem, nisi quòd in euacuatione molienda considerare debet medicus, per quam nam corporis partem ea sit facienda, quod sane pertinet ad rectam administrationem: an videlicet humor peccans per vomitum, per aluum, per vesicam, per vterum, per nares, per sudorem, aut per latentem vocatam transpirationem, seu per quamlibet aliam partem educendus sit. Quod sanè nouisse in medicina facienda non est parui momenti, vt ex dicendis manifestum fiet.

Aliorum opinio a quo indicetur vbi agendum.

Crediderunt nonnulli, vbi agendum indicari à subsistentia materiæ morbificæ, vt per exemplum si materia hæc in ventriculo residet, exhibendum est medicamentum per os. Quod si Gal. indicationem hanc à parte affecta interdum desumere videtur, vt infra dicemus: respondent partem laborantem non indicare vbi agendum, sed esse signum substantiæ ipsius peccantis materiæ, vt verbi gratia si iecur afficiatur basilica secanda, quia ita indicat subsistentia, cuius signum est iecur affectum.

Opinionem hanc nec improbo, nec approbo, sed derelictis istis subtilitatibus, solidiorem Hipp. atque Gal. doctrinam sequens pluribus quidem eorundem auctoritatibus, sed præ cæteris vno Hipp. aphorismo tanquam totius discursus fundamento innixus demonstrare contendam, qua ratione medicus cognoscere possit, per quam nam corporis partem facienda sit peccantis humoris euacuatio.

Quid Hippo. & Gal. senserint.

Vnus igitur, isq. celebris aphorismus est vigesimus primus primæ sectionis. *Quæ ducere oportet quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit*, inquit Hipp. pro cuius intelligentia sedulò considerandum est, quid sibi voluerit per naturam, & quæ nam sint conferentia loca. Et rursus cum Gal. in commento per naturam intellexerit nedum humorum inclinationem, sed etiam affectę partis naturam, dicens Hipp. duplicem dedisse nobis intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris inclinationem, atque humorum inclinatio pendeat, vel à facultate expellente, vel à proprio eorundem motu, propterea, vt quantum fieri potest, confusionem euitemus, & res hæc tanti momenti exactè declaretur, seorsim hæc omnia declarare oportet. Primò etenim de facultatis expultricis, seu naturæ motu; secundò de humorum impetu, seu inclinatione, deinde de partis affectæ natura; & denique de locis conuenientibus sermo erit.

De naturæ motu imitando. Cap. XV.

QVemadmodum in electione humoris educendi, vt euacuatio succedat talis, qualis esse oportet, docuit nos Hipp. 1. aph. 2. imitandam esse naturam, quæ in spontaneis euacuationibus talia educit, quæ euacuare opus est, ita in electione regionis, per quam fieri debet euacuatio præcepit 1. aph. 21. animaduertendam esse humoris inclinationem, seu naturę motum, vt per illam partem, ad quam natura vergit, euacuemus.

Natura expellit, vel sponte, vel irritata.

Porrò hęc humorum inclinatio, vt dictum fuit, vel pendet à natura, seu facultate expultrice, vel à proprio eorũdem motu, & rursus natura dum expel-

lit,

lit, vel ſponte id facit, quia materiæ morbificæ dominatur, & eam regit, ac per loca conferentia ducit, vel irritata à qualitate, ſeu ab humorum peccantium copia expellit quidem, verùm id præſtat, aut per loca minimè conferentia, aut etiamſi per loca opportuna ducat, attamen euacuatio eſſe poteſt ſine conferentia, & tolerantia.

Declarantur illa Hippoc. verba, quò maximè natura vergit.

His ſic ſtantibus, quando Hipp. inquit euacuandum eſſe per eam regionē, ad quam natura vergit, exiſtimo illius ſententiam ita intelligi debere, vt medicus ex locis, per quæ facienda eſt euacuatio, (dum natura nihil tentat, aut deficienter mouet) illum eligat, per quem natura in affectu ſimili ei, quem præ manibus habet, ſpontè operans, & materiæ morbificæ dominans expellere ſolet. Ita nanque ſentire videtur Galen. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum cap. 4. dicens, cum didicero, quæ probè à natura perficiuntur; ſuperaddito eo, in quo illa deficit, facilè ei adiumento eſſe potero: rurſum ſi ipſa nihil penitus mouet, id quod quandoque morboſarum cauſarum vehementia ſuperata, patitur, tum ego illud omne ſuggerere enitar. Quæ ſanè Gal. verba & ſi intelligi poſſint, & debeant de euacuationis tum qualitate, tum quantitate, docent tamen etiam in recta adminiſtratione nos naturam imitari debere, adeout, cum interim loquamur de vbi agendum, ſemper euacuatio molienda ſit per illa loca, per quæ natura non impedita ducere ſolet. Cum etenim præ imbecillitate opus aggredi, vel eidem incepto finem imponere nequit, artis auxilia implorat.

At ſi natura non ſponte, ſed irritata à qualitate, aut humorum peccantium copia expellit quidem, ſed per loca minimè conferentia, tunc iſte naturæ motus, non eſt imitandus, quando non ſit per loca conuenientia: quemadmodum nec adiuuari debet, etiam ſi fuerit per loca opportuna, ſed ſine tolerantia, & conferentia. Non enim ſat eſt ad optimam euacuationem efficiendam, vt fiat ſolùm per loca conuenientia, ſed præſertim requiritur naturæ motus ſpontaneus, quem ęgri nedum facilè tolerant, ſed ab eo etiā ſubleuantur, & propterea nō dixit Hipp. ſimpliciter euacuandū eſſe per loca conferentia, ſed etiam principaliorem conditionem addidit, quæ continetur illis verbis, *quò maximè natura vergit*: & fortaſſe Hipp. poſuit vocem illam, *maximè*, non ſine cauſa, vt videlicet doceret nos conſideranda quidem eſſe loca conferentia, ſed præcipuè, & maximè naturæ motum animaduertendum.

Concludendum igitur eſt medicum in electione regionis, per quam moliri euacuationem intendit, debere imitari naturæ rectè operantis motum. Animaduertat itaque, vt inquit Gal. in commento illius aphoriſmi, naturę inclinationem: & ſiquidem idonea fuerit ſubminiſtrare, & adiuuare: ſin autem cōtrariè ſimul, ac noxiè fiat, prohibere, transferre, atque diuertere oportet.

Dubitatio.

At difficultas eſt, quia Hipp. ſibi contradicere videtur. Nam 4. aph 41. loquens de ſudore multo facto abſque cauſa manifeſta, ideſt à natura, inquit, ſi ortum non habuerit à copioſo alimento, corpus euacuatione indigere, ergo admonet, vt interdum medicus euacuare debeat per eum locum, ad quem non ſolum natura non vergit, ſed qui potius ſit contrarius illi, per quem ipſa euacuat. Siquidem, quod natura per cutim expellere tentat, ille ab hoc termino reuellere, ac per aluum educere præcipit.

Solutio.

Reſpondendum exiſtimo Hipp. loqui de ſudore non ſimpliciter à natura ſponte operante, ſed potius ſymptomaticè facto, quatenus videlicet natura robuſta quidem, ſed à multitudine peccantium humorum grauata tenuiores tan

tùm

eùm per sudorem expellere conatur. Vnde ex hoc symptomate tanquam signo arguens Hipp. aliorum humorum copiam adesse, qui per sudorem omnes auferri nequeunt, inquit euacuatione opus esse, vt tota morbifica materia è corpore educatur. Sic etiam sensisse videtur Auicenna, qui fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 68. explicans hunc eundem aphorismum inquit, per sudorem fortasse non egredi de ea multitudine nisi illud, quod subtile est, tenue, & paruum, & dimitti corruptum inobediens in corpore.

Per quem locum euacuare liceat natura nihil mouente.

Cap. XVI.

Proponitur difficultas non contemnenda.

EX dictis in antecedenti capite oritur non leuis difficultas. Nam si medicus debet in electione loci naturam rectè operantem imitari, cum hæc in quibusdam affectibus non semper per eadem, sed per diuersa loca euacuet, dubiũ est, natura vel nihil, aut imperfectè, sed per diuersa loca mouente, per quam regionem à medico, vel facienda euacuatio, vel quis naturæ motus imperfectus sit adiuuandus. Hoc declaro exemplis. Est Gal. doctrina 3 de crisibus cap. 3. ardentem febrem iudicari, vel sanguinis è naribus profluuio, vel sudore multo, & calido per totum corpus emanãte, aut dum per vomitũ, aut per aluũ biliosa excernuntur. Ita & tertiana vomitibus, & excrementis alui biliosis, & sudoribus multis toto corpore fluentibus iudicatur. Amplius hepatis deuexis partibus inflammationem patientibus soluitur affectus fluxibus sanguinis è nare dextra, sudoribus multis, & vrinis abundantibus. Et alij etiam quamplures affectus soluuntur natura modò per vnam, modò per aliam regionem peccantes humores ducente. Si itaque contingat, vt sæpissime euenit, naturam à vehementia causarum superatam pre imbecillitate nullam euacuationem tentare, quomodo cognoscere poterit medicus, per quam regionem euacuare debeat, an videlicet per fluxum sanguinis è naribus, an per sudorem, an per vomitum, an per aluum, an per aliam accommodatam regionem? Rursus si accidat naturam moliri quidem euacuationem, imperfecte tamen, & per diuersa loca, qua ratione dignoscet medicus, quis nature motus imperfectus adiuuandus, & quis omittendus? Reperitur ne aliqua, quæ nesci scientificè, saltem coniectura quadam artificiosa docere possit, per quem locum facienda sit euacuatio?

Resolutio difficultatis.

Ego difficultatem hanc ita determinandam esse existimo. Si nullum prorsus adest signum, vel symptoma, quod per hanc potius, quàm per illam partem euacuandum esse ostendat, tutius est eam regionem eligere, aut per quam frequentius natura educere solet, aut potius per quam ars minori cum difficultate, & ægrotantis discrimine euacuare posse creditur. Vnde si exempli gratia affectus iudicari solet à natura, vel per fluxum sanguinis è naribus, vel per sudorem, vel per vomitum, vel per alui fluxum, certum est natura nihil mouente artem magna cum difficultate, & egri periculo aggredi sanguinis euacuationẽ per nares, & rursus cum ars facilius euacuet per aluum, & per vomitum, quàm per sudorem, propterea hæc omissa, alui euacuationem, vel vomitum tentabit.

Preterea dico educẽdos humores, vel esse in vniuerso corpore, vel in aliqua determinata parte, si fuerint in loco affecto determinato, vt puta in cerebro, ventriculo, per quam regionem educendi sint, infra declarabitur, quando de natura

natura affectæ partis erit sermo. At si noxij humores in vniuerso corpore redundabunt, omnes euacuationum species admouendas esse docuit Gal. libello quos, & quando purgare oporteat.

Solutio.

Veruntamen hæc nimis communia sunt, & tantùm confusè docent, per quẽ locum euacuare liceat, quare ad magis particularia deueniens quædam consideratione digna propono, ad quæ medicus respiciens coniectari poterit, per quam regionem euacuare debeat, natura nihil mouente, & præsertim existentibus humoribus noxijs in vniuerso corpore. Considerare itaque oportet habitum corporis, consuetudinem, seu aptitudinem, aut oppositam dispositionem anni tempus, & denique læsiones, quæ sequi possunt euacuationem factã per hanc, vel illam partem. Ad habitum corporis, ad consuetudinem, seu aptitudinem, atque ad anni tempus simul respiciens Hipp. 4. aph. 6. & 7. dicebat. *Graciles, & facilè vomentes purgare superius, cauentes hyemem. Vomentes verò difficulter, & mediocriter benè carnosos per inferiora, cauentes æstatem.* loquaquamur autem primò de habitu corporis, deinde de facilitate, seu consuetudine, & opposita dispositione, ac postea de anni tempore.

Quæ considerari debeant, vt cognoscamus per quem locũ euacuare liceat.

Graciles ait euacuari debere per superiora. Huius Hippocraticæ sententiæ causa est inuestiganda, hoc prius supposito, quòd veteribus vomitus erat vsitatissimus, tam in morborum curatione, quàm in præseruatione, vt propterea multa de vomitu scripserit. Gal. in commento inquit, graciles euacuandos esse per vomitum, quoniam magna ex parte sunt biliosi, bilis autem facilius per superiora educitur.

Cur graciles per vomitum sint euacuandi.

Verùm Hippocr. sententia non videtur vniuersalis, quoniam multi graciles sunt, qui minimè per superiora euacuari debent: & Cornelius Celsus lib. 1. cap. 3. dicebat vomitum esse inutilem gracilibus: quinimo ipsemet Hipp. aphor. 8. sequenti scribebat tabidos non esse per superiora euacuandos. Tabidi autem omnes sunt graciles, siue modò per tabidos cum Galen. intelligamus eos, qui morbum à Græcis phthisin nominatum patiuntur, vel qui ad eum sunt natura proni. Quare Hippocr. sententia intelligenda solùm est de ijs, qui graciles sunt ea gracilitate, quæ sequitur calidam & siccam, seu biliosam temperaturam siue natiua fuerit, siue adscititia; qui verò alijs de causis graciles existunt, non sunt per superiora euacuandi. Et optimè sciens Hippocr. non omnes graciles euacuari debere per superiora fortasse addidit, eos tantùm ita euacuandos, qui facilè euomunt, cæteros exclusit tanquam illos, quibus vomitus est inutilis. Quinimo neque qui facilè euomunt, semper per superiora sunt euacuandi, sed vt plurimùm; hinc Galen. in commento dixit contextui Hippocratico addendam esse vocem, (magis) sicuti habetur etiam in 4. aphor. eiusdem libri.

Nõ omnes graciles p superiora euacuandi.

Ex aduerso mediocriter benè carnosos per inferiora euacuandos esse dicit. Ratio est, quia si graciles, quibus carnosi opponuntur, sunt per vomitum euacuandi, ergo carnosos per contraria, nempe per inferiora euacuare oportebit, oppositorum enim oppositæ sunt conditiones.

Mediocriter benè carnosi per inferiora euacuandi.

At non ita facile intelligi potest, quid significare voluerit Hipp. per mediocriter benè carnosos. Nam vtitur quidem anthitesi, & à contrario arguere videtur, non tamen rectè, quia mediocriter benè carnosi non opponuntur gracilibus, quando illi, qui admodum crassi sunt, macilentis, & gracilibus sint contrarij, sicuti docuit idem Hipp. 2. aph. 44. dicens, qui natura admodum crassi sunt, citius interire, quàm qui graciles. Debebat igitur potius dicere admodum

Dubitatio.

crassos per inferiora euacuandos esse. Præterea afferenda est causa, cur mediocriter benè carnosi per inferiora sint euacuandi.

Solutio.

Pro huius rei declaratione noto ex Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. quicunque supramodum crassi sunt, aut macilenti difficulter admodum euacuationes ferre, & propterea in eis integras euacuationes vereri oportet, vt supra cap. 9. dictũ fuit. Quocirca cum istis duobus aphorismis loquatur Hipp. de euacuatione, ergo credendum est ipsum non facere mentionem eorum, qui supramodũ crassi, vel graciles sunt, sed eorum, qui ad gracilitatem ratione temperamenti biliosi, vel ad benè carnosos ratione frigidioris temperamenti magis accedunt, & hoc pacto inuicem opponi dicuntur, quatenus hi ad vnum extremum, illi ad alterum tendunt. Quare existimandum est Hippocr. per mediocriter bene carnosos intelligere eos, qui sunt naturæ frigidioris, in quibus præualet pituita, aut etiam melancholia naturalis. Nam cum Galen. 1. de san. tuen. cap. 5. & alibi benè carnosos vocet eos, qui temperati sunt, & optimè constituti, quia calor in illis non admodum excedit, & humido naturali prædominatur, ergo mediocriter tales dicentur illi, in quibus calor potius deficit, & sunt frigidioris temperaturę, ratione cuius benè carnosi effici nequeunt, sed cum sint inferioris conditionis mediocriter tales vocantur. Cum itaque in istis prædominetur naturalis pituita, seu melãcholia, & humores huiusmodi per inferiora facilius, quàm per superiora educantur: hęc, vt arbitror, causa esse potest, cur dixerit Hipp. per inferiora magis euacuandos esse.

Quid intellexerit Hippocr. per mediocriter benè carnosos.

Notandum

Noto tamen Hipp. non simpliciter respexisse ad gracilitatem, vel ad crassitiem, sed etiam ad facilitatem, & promptitudinem, aut difficultatem in vomendo. Vnde si contingat graciles interdum difficulter vomere, non per superiora, sed per inferiora euacuandi erunt: quemadmodum ex altera parte mediocriter benè carnosi, & facilè vomentes per superiora euacuari poterunt: addita quoque indicatione ab anni tempore desumpta, vt ex dicendis clarum fiet.

Consuetudinem, & inassuetudinem considerandam esse in electione loci per quem euacuandũ

Quapropter si præter corporis habitum consuetudinem quoque, & inassuetudinem contemplemur, quam Hipp. vocauit facilitatem, & difficultatem in vomendo, (vtranque enim interim confundere liceat) quando illi apti sint ad vomitum, qui frequenter vomere consueuerunt, inepti verò, qui vel nusquam, vel magna cum difficultate euomunt, dico hanc pręsertim considerandam esse. Siquidem tum Hipp. tum Gal. multùm consuetudini tribuunt, vt ex penè infinitis eorum auctoritatibus colligere licet. Si quem itaque nouerimus facilè euomere, etiamsi natura nil moueat, attamen audacter illum per superiora euacuabimus, qui verò opposito modo dispositi erunt, eos per inferiora purgabimus. Difficulter autem illi euomere solent, vt docuit Gal. libello quos, & quando purgare oporteat, & 1. de humoribus tex. 12. quorum pectus est angustum, & collum longum.

Anni temporis consideratio ad idem facit

Tempus pariter anni ab Hipp. consideratur, qui cum 4. aphor. 4. dixisset *medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores*: sequentibus aphorismis citatis 6. & 7. in gracilibus, & facilè vomentibus docuit, dum vomitum tentamus, vitandam esse hyemem, in mediocriter benè carnosis, & difficulter vomentibus, dum per inferiora educimus, vitandam esse æstatem, quoniam æstate per superiora, hyeme per inferiora euacuare debemus. Ratio adducitur à Galen. in commento præcitati aphorismi, quia æstate superabundat flaua bilis, hyeme verò pituita, de quorum humorum motu, &

incli-

inclinatione infra sermonem habebimus. Altera ratio,quæ ad nostrum propositum nunc facit,est,quia æstate tota natura animalis propter ambientis caliditatem magis ad superiora mouetur: proprium siquidem caloris est sursum ferri,& secum trahere humores,hyeme verò oppositum contingit.

Dubitatio. At oritur difficultas. Nam iubet Hipp. vt graciles,& facilè vomentes per superiora,difficulter vomentes,& mediocriter benè carnosi per inferiora euacuentur,sed cum hac conditione,vt in istis æstas,in illis caueatur hyems. Penitus nè igitur in gracilibus,& facilè vomentibus hyeme fugiendus vomitus & in ijs,qui opposito modo sese habent,æstate fugienda est euacuatio per inferiora?

Solutio. Respondendum arbitror noluisse Hipp. in gracilibus,& facilè vomentibus semper hyeme vomitum cauendum esse,in mediocriter benè carnosis,& difficulter vomitum patientibus semper æstate vitandam esse euacuationem per inferiora,sed solum admonere voluit,vt cautè magis æstate per inferiora,hyeme verò per superiora euacuemus,& tunc tantum quando necessitas vrget. Nam quocunque anni tempore euacuare licet tum per inferiora, tum per superiora,sed medicus semper animaduertere debet ea,quæ maiorem vim habet in indicando. Ita vt si promptitudo ad vomitum,& habitus corporis necessariò vomendum esse indicauerint,etiam si anni tempus prohibere videatur, vomitus tamen excitandus. At si ex altera parte plus poterit hyems in prohibendo,quàm facilitas in indicando,tunc vomitus fugiendus; ita sentiendum de æstate in euacuatione per inferiora facienda. Noluit itaque Hipp. ęstate ab euacuatione per inferiora,hyeme à vomitu prorsus cauendum esse,sed æstate magis per superiora,hyeme per inferiora magis ducendum,& vtranque anni tempestatem timendam,nec temerè quicquam agendum esse docere voluit, nobis insinuans,quantam vim habeat anni tempus,nedum in euacuationibus faciendis,sed etiam in recta earundem administratione.

Dubitatio. Sed quorsum dicet aliquis tot de vomitu dicta sunt ex Hipp. mente, cum nostris temporibus,(loquor de ea euacuatione per vomitum facta,quæ totum corpus euacuat,) parùm in vsu esse videatur huiusmodi euacuatio,& ferè neglecta?

Solutio. Respondeo semper magnifaciendam esse veterum medicorum,& pręsertim Hipp. doctrinam,& propterea perperam agere recentiores illos, qui ab antiquo medicinę tramite deuiant. Fateor artes omnes in dies perfectionē quandam accipere,sed quòd pręsidia veteri comprobata vsu,atque rationi consentanea negligenda,aut paruifacienda sint,laudare non possum. Propterea quo ad vomitum spectat, cum sępe videamus naturam agredi euacuationem per vomitum,cur igitur ad naturæ imitationem eo non vtemur,cū ipsum tanti fecisse visus fuerit Hipp.? Quinimò cum nostra tempestate homines magis,quā veteres fecerint,gulæ indulgeant,& ex Cornelio Celso lib. 1. cap. 3. vomitus vtilis sit repletis, ergo nullo pacto auxilium hoc pętermittendum esse censeo.

Hęc hucusque de euacuatione molienda,siue per vomitum, siue per aluum à corporis habitu,à consuetudine,seu facilitate,atque ab anni tempore desumpta dicta sufficiant.

Verū si de ea loquamur,quę per vrinā fieri solet,parū,vel nihil colligere poterimus ab habitu,à cōsuetudine,& anni tēpestate,an natura nil tētāte,p vrinā euacuatio aggrediēda sit in ijs affectibus,quos ipsa,& si per alias,interdū tamē

 per

Ex quibus cognoscere liceat, an per vrinā faciēda sit euacuatio. 1. ex materiæ multitudine, vel qualitate

per hanc viam sanare consueuit. Quare considerandam esse existimo, tum materiam morbificam peccantem, tum vires, tum denique ægrotantis naturā seu proprietatem. Nam materia morbifica vel multa est, vel pauca, vel serosa: vires aut debiles sunt, aut robustæ: ægrotantis verò proprietas talis est, vt vel facilè, vel difficulter perferre possit purgationem ipsam.

Si itaque materia fuerit multa, per aluum educenda erit, si pauca per vrinā, vt docuit Gal. 7. meth. cap. vlt. fortasse quia materia multa requirit patentiores vias, & fortiora medicamenta, quàm pauca expostulet: patentiores autem, & laxiores sunt viæ, quæ ducunt per aluum, quàm quæ per vrinam, & medicamenta purgantia maiorem habent vim in agendo, quàm diuretica. Insuper si materia serosa fuerit, cum renes habeant facultatem eliciendi similem materiam, facilius deducetur ad vias vrinæ, per quas totius sāguinis serosa superfluitas expurgari solet, Galen. teste 4. aph. 2. & 7. aph. 55. qui per vrinas humorem hydropicorum moueri dicebat.

2. ex robore, & imbecillitate virium.

Præterea vires considerandæ sunt, quæ si adeo imbecillæ fuerint, vt purgationem tolerare nequeant, tentari poterit peccantium humorum eductio per vias vrinæ, quando hæc inter cæteras euacuationes facilius feratur, & sine vlla virium iactura morbificos, ac malos succos educat.

3. ex ægrotantis proprietate.

Denique respicere etiam poterimus ægrotantis proprietatem quādam: sunt enim quidam, vt ait Gal. 2. acutorum tex. 11. qui difficulter natura purgantur, quare in his purgationes vereri oportet, & ea aggredienda potius est euacuatio, quæ fit per vrinam. Siquidem vna alterius defectui supplere potest, vt colligere licet ex Hipp. 4. aph. vlt. asserente mictionem noctu plurimam factam paruam significare egestionem.

Dubitatur in quibus morbis sudor promouendus sit.

De sudore res magis in ambiguo posita videtur, an vnquam liceat natura nil moliente sudorem promouere in ijs affectibus, qui interdum sudore iudicari solent, inter quos præcipuè sunt febres ipsæ, & inter eas acutæ præsertim, quibus multi laborantes per sudorem iudicantur, vt colligere licet ex Hipp. 1. & 3. epid. vbi recenset multorum ægrotantium historias, qui acuta febre laborantes per sudorem iudicati fuerunt. Nam morbi diuturniores non admodum solent per sudores iudicari ex Gal. mente 4. aphor. 36. Vnde quis fortasse existimare poterit licere medico sudorem potius prouocare in acutis morbis, quàm in diuturnioribus, quando natura frequentius illos, quàm hos per sudorem soluere consueuerit.

Cautè admodum sudor in acutis excitādus est.

Ego tamen cautè admodum agendum esse puto, & credo tutius in diuturnis, quàm in acutis sudorē excitari posse, dummodo aliquod signū non habeamus, quo mediante, nisi scientificè saltem coniectura ea artificiosa, quæ propè ad veritatem accedit, naturam aliquo præsidio adiutam facilè aggressuram esse euacuationem per sudorem, cognoscamus. Et ratio, quæ me mouet est, tum quia sudor vires admodum debiles reddit, quando etiam ij, qui magis robusto sunt corpore, ex immoderato sudore animi defectum patiantur, vt docet Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. tum quia errores commissi in acutis grauiores sunt, & ij præcipuè, qui ad euacuationem pertinent.

Quodnam anni tēpus ad sudorē mouendum sit magis idoneū ex Aristotele

Veruntamen si sudor promouendus est, id æstate potius, quàm hyeme faciendum esse docuit Aristoteles 2. sect. probl. 21. quoniam tunc temporis, (quæ etiam est Hipp. sentētia 1. aph. 15.) deteriores fiunt concoctiones ob caloris natiui languorem, plura itaque excrementa generātur, quæ per sudorem euacuare oportet. Addere etiam possumus Aristotelicę rationi, quòd hyeme

densa-

densatur corporis habitus à frigiditate ambientis, humores ad intima recurrunt, totum autem oppositum ad sudorem efficiendum requiritur.

Ex Hipp.

At melius sensisse videtur Hipp. qui non in quacunque æstate, sed in ea præsertim, quę sit verisimilis, sudores in febribus multos expectare oportere docuit 3. aph. 6. Nam ad sudoris generationem, vt ait Gal. in commento duo requiruntur, efficiens, nimirum calor, qui humores attenuet, & ab intimis ad exteriora tum trahat, si externus, tum pellat, si internus fuerit, atq; humor tanquam materia sudoris. Si itaque æstas loco siccitatis humidum acquisierit, profectò habebit vtrunque, quod ad sudoris generationem requiritur. Præterquamquod caloris humiditati iuncti proprium est, cutem laxare, & rarefacere, quod summopere expetitur in promouendis sudoribus.

Temperamentum item, ætas, & habitus corporis cõsiderãdus.

Ex quo patet considerari quoque debere temperamentum, ætatem, & corporis habitum. Nam cum ad sudorem facilè excitandum requiratur calor, & cutis laxitas, ergo ijs, qui temperamento erunt calido & humido, in ætate pueritiæ, & adolescentiæ constituti, & habitu corporis molliori, sudores perfacilè mouebuntur. E contra verò in naturis siccioribus, ętate prouectiori, & habitu corporis denso difficilis erit euacuatio per sudorem, & minimè tentanda.

Quale humidum ad sudorem sit magis aptum.

Notandum tamen est, non omne humidum videri idoneum ad sudoris productionem, sed illud præsertim, quod tenue est, aqueum, & serosum. Qua de causa Gal. lib. de atra bile cap. 2. sudorem prouenire ex aquosa, & serosa humiditate, & lib. de const. artis medicę cap. 19. per sudorem purgari tenuia in toto corporis habitu existentia dicebat. Vnde iure, vt dictum fuit, cum talis sit materia sudoris, idem Gal. existimauit morbos diuturniores, qui fiunt ab humoribus frigidis, crassis, & viscidis, non admodum solere per sudores iudicari.

Tutius in diuturnis, quàm in acutis excitatur sudor

Cæterum etiamsi diuturni morbi non admodum per sudorem solui consueuerint, & natura frequentius acutos per sudorem iudicet, & ars sit naturę imitatrix, attamen ob rationes superius adductas euacuationem hanc in acutis formidandam esse arbitror, non quia prorsus in huiusmodi affectibus ab ea abstinendum sit, sed quia periculo plena est, & magnum requirit medicum, qui temerè ea non vtatur. At in diuturnioribus affectibus tutius sudorem excitare poterimus, quotiescunque humores in vniuerso corporis habitu existẽtes euacuari postulant, vt colligitur ex Gal. lib. de const. artis med. cap. 19. qui licet crassi, viscidi, & frigidi fuerint, attamen à medicamẽtis, & calore attenuati per sudorem rectè euacuabuntur. Hinc medici ad debellandos diuturnos, & inueteratos quoque affectus, dum vtuntur ijs præsidiorum generibus, quæ insensibiliter euacuant, sudorem magno cum fructu proliciunt.

Cur medici frequentius per aluum euacuent.

Ex his itaq. & ex dicendis etiam in sequentibus cognoscere poterunt medici per quam regionem facienda sit euacuatio peccantium humorum: frequentius tamen vtuntur medicamentis purgantibus, quàm vomitorijs, vel diureticis, vel sudorificis, quia dum natura ad nullam partem vergit, & per omnes dictas regiones euacuare solet, tutiorem alijs existimant euacuationem per aluum: licet cæteris quoque vtendum sit, quando à diligenti medico vtiles, & necessariæ iudicabuntur, vt ex Hippocr. & Gal. mente, & ratione etiam ostensum fuit.

Læsiones, euacuationẽ sequẽtes docere, vbi agendum.

Denique considerare debemus læsiones, quę interdum sequuntur euacuationes factas per hanc, vel illam partem, vt quantùm fieri potest tutò medeamur, istę etenim gerunt vicem prohibentium, quò minus euacuatio fiat per eam regionem, per quam fieri deberet, quare altera eligenda erit. Hinc Cor-

nelius

nelius Celſ. lib. 1. cap. 3. vomitũ inutilẽ eſſe dicebat gracilibus, atq. imbecillũ ſtomachum habentibus; non quidem gracilibus, qui facilè euomunt, quorum ſupra ex Hipp. ſententia facta fuit mentio, ſed gracilibus, quibus difficilis eſt vomitus, quorum videlicet collum longum eſt, & pectus anguſtum. Siquidẽ in ſimilibus imminet periculum fracturæ alicuius venæ imbecillum autem ſtomachum habentibus vomitus noxius eſt, quia ex toto ſolui, aut ſaltem magnam labem pati poteſt ventriculi robur.

Cur vomituris oculos velarẽt

Prohibetur ſimiliter vomitus, dum oculi male ſe habent, quos à vomitu ſummopere lędi expertiſſimum eſt, vt ideo veteres conſueuerint oculos velare & conſtringere ijs, qui vomituri erant.

Et Gal. 13. meth. 11. dicebat medicamenta vrinam cientia non eſſe adminiſtranda, dum renes, & veſica phlegmone tentari cęperint. Adhæc exiſtimarũt nonnulli in lienteria omnino prohiberi euacuationem factam per aluum.

Quid agendum, dum natura imperfectè mouet, ſed per diuerſa loca.

Cap. XVII.

QVando integra morborum iudicatio facta eſt, vel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportere, vbi verò deficienter natura iudicat, id, quod deficit, ſupplere nos conuenire docuit Gal. ex Hipp. mente 1. aph. 20. quod ſanè præceptum nullam habere videtur difficultatem.

Proponitur difficultas de imperfecto naturæ motu per loca diuerſa.

At, quod negotium facesſit, eſt, quis naturæ motus imperfectus adiuuãdus, & quis omittendus, dum natura imperfectè mouet, ſed per diuerſa loca. Exemplum habemus apud Hipp. 1. epid. 3. tex. 24. in hiſtoria Metonis febre laborantis, in quo natura morbi ſolutionem, tum per fluxum ſanguinis è naribus, tum per ſudorem tentauit, ſed quoniam minus iuſtò fluebat ſanguis, & euacuatio illa imperfecta erat, adiutus fuit hic deficiens naturę motus lotione capitis. Nam ſicuti docuit Gal. in commento ex eiuſdem Hipp. ſententia 3. acutorum 59. caput non lauandum eſt ijs, quibus de naribus erumpit ſanguis, niſi minus iuſtò fluat: nunc vero quia in Metone laborante erat iuſtò minor ſanguinis fluxus, ſiquidem deliria, & vigilię perpetuabant, idcirco Hipp. deficienti naturæ motui per ſanguinis fluxum è naribus pręſtò fuit, motum verò per ſudorem prætermiſit, quando hic aut parùm, aut nihil prorſus adiumento eſſe potuerit ſymptomatibus, quę circa caput ſpectabantur.

Si itaque contigerit naturam per diuerſa loca peccantes humores mouere, ſed deficienter, qua methodo cognoſcemus, quis motus ſit adiuuandus? an omnes, an alter ſolummodo?

Methodus ſoluendi difficultatem.

Difficultatem hanc à nullo fortaſſe animaduerſam ſic determinare poterimus. Certum eſt in primis, ſi quis horum motuum fuerit per loca minime cõferentia, eum omnino cohibendum eſſe. At ſi omnes fuerint per loca conuenientia, & à natura facti; tunc conſiderare debemus, an alter alteri contrarius ſit, ita vt ſe inuicem impedire poſſint, an verò ſint diuerſi, adeo vt vnus alteri minimè eſſe poſſit impedimento.

Quid agendum dum motus ſunt diuerſi.

Siquidem vnus alterum non impediat, omnes adiuuari poterunt. Exempli gratia dum materia peccans in thorace continetur, hæc expurgari ſolet per tuſſim, & ſępiſſime etiam per vrinam: vnde ſi natura vtranque euacuationem aggreſſa imperfectè operetur, vterque naturę motus adiuuari poterit, quando

alter alteri impedimento esse nequeat. Non est tamen semper necessarium, vt diuersi motus omnes adiuuentur, sed potius sat est, vt soliciti simus de eo, qui magis conueniens est naturæ affectui. Quemadmodum fecit Hipp. qui in historia Metonis fluxum sanguinis è naribus adiuuit, sudorem autem omisit, quoniam symptomata omnia præsertim circa caput spectabantur, capitis videlicet grauitas, vigiliæ, & deliria, quæ sanari potius sanguinis fluxu è naribus, quàm sudore conueniens erat.

At si accidat, vt motus, quos imperfectè per diuersa loca natura tẽtat, sint contrarij, ita vt vnus alterũ impedire possit, tunc cautè magis agendum est. Exempli gratia dum natura vno, & eodem tempore mouet per aluum, & per sudorem in aliquo præter naturam affectu, qui per ambas euacuationes sanari solitus sit, tunc motus isti contrarij dicuntur, quando eorum vnus sit à centro ad circunferentiam, alter verò à circunferentia ad centrum.

Cuiusdam dubitationis solutio

Sed antequam, quid in simili casu agendum sit, explicemus, dubitari potest de veritate huius dicti, quia probabile est naturam rectè operantem nusquam vno, & eodem tempore mouere ad oppositos terminos. Ego tamen crederem nullum esse inconueniens in multitudine materiæ morbificæ, vel quæ sit naturę diuersæ, aut quæ in diuersis locis existat, naturam posse mouere per loca opposita. Et habemus etiam in huius rei confirmationem exemplum ab Hipp. propositum 1. epid. 3. tex. 30. vbi mulierem quandam trimestri fętu grauidam acuta febre laborantem vomitu bilioso flauo, & subcrebro, ac sudore ab ea liberatam fuisse docuit.

Quæ considerãda dũ motus sunt contrarij.

Quapropter in hoc casu ad tria præsertim debet respicere medicus, videlicet ad ægrotantis vires, ad humorum naturam, multitudinem, & subsistentiã, & denique ad naturam affectus.

1. vires.

Ad vires itaque præcipuè respiciens eam euacuationem adiuuare debet, quàm facilius vires tolerare possunt, quæ autem eas debiles reddit, vel cohibeat, vel saltem moderetur, aut si ab ea maius iuuamentum speretur, quàm ex aliquali virium lapsu timeatur detrimentum, vires manu tenens euacuationẽ eam naturæ derelinquat. Nam tanti faciendæ sunt vires, vt Gal. 1. ad Glauc. 14. existimauerit vnam euacuationem sufficere, quamuis non sit pro multitudinis ratione, ne à diuersis euacuationibus vires adeo debilitentur, vt æger in grauiora pericula adducatur.

2. Humorum, vel naturam.

Si humorum naturam contemplemur, non est inconueniens expultricem facultatem per contraria loca diuersos humores mouere, tenues quidem per sudorem, vel vrinam, crassiores verò per aluum, & tunc præsertim si locus, in quo subsistunt, vt nunc dicemus diuersus sit, in quo sanè casu vterque naturæ motus adiuuari poterit.

Vel subsistentiam.

Quocirca si de materiæ subsistentia sit sermo, dum hæc per exemplum in primis venis extiterit, euacuatio per aluum magis proderit, quare hęc adiuuanda, sudor autem omittendus, vt qui eam impedire possit: si in corporis habitu fuerit, sudor magis esse ex vsu videbitur, quàm alui purgatio eadem de causa: si vtrobique extiterit, vtraque euacuatio conueniens erit, cum hac ratione vna alteri minimè sit impedimento, dummodo tamen à viribus vtraque perferri possit.

Vel multitudinem.

Insuper materia multa pręcipue in vniuerso corpore redundans omnes euacuationum species requirit ex Gal. lib. quos, & quando purgare oporteat. Quare si natura etiam ad opposita loca imperfectè moueat, quilibet eiusdem

motus

motus adiuuari poterit, non tamen vno, & eodem tēpore, sed vnus post alterum, prout curanti medico opportunum videbitur.

3. Affectus natura.

Deniq. consideranda quoque est affectus natura, & videndum qualisnam ex euacuationibus, quas natura molitur, ei sit conuenientior, & adhæc iuuanda erit. Exempli gratia tutius erit in hydrope ascite laborantibus adiuuare naturæ imperfectè operantis motum per vrinam, quam per aluum.

De humorum inclinatione. Cap. XVIII.

IN electione loci, per quem facienda est euacuatio, maximè quidem naturæ, seu facultatis expellentis motus, siue qui fit, siue qui fieri deberet, obseruandus, ita tamen, vt mobile quoque, nimirum educendus humor, ad quam partem magis inclinet, consideretur. Nam etiam si prima facie hoc videri possit parùm rationabile, quādo in euacuatione secundum naturæ leges facta certum sit humores per eam partem educi, ad quam à natura expelluntur, cum interdum etiam sibi vias incredibiles paret, quod sensit Gal. 7. aph. 54. ex mente Hipp. dicens eum opinari viam semper materiebus inuenire naturam, quando valida fuerit, etiā si quàm maximè sint quodammodo crassæ, & per angusta foramina debeant permeare, cū & per ossa fieri inquit abscessus: licet inquā sufficiens hac de causa videri possit naturæ motus obseruatio, attamē humores quoque educendi cōsiderari debent, ad quam partem magis sint inclinati, vt ideo Gal. existimauerit in cōmento aph. 21. Hipp. duplicem dedisse nobis intentionem, & ipsam partis naturā, & humoris inclinationem. Quia dum natura nihil mouet, tunc considerare quidem debemus eiusdem motum, qualis esse soleat in eo affectu, quem curare studemus, vt eam imitemur, sed debemus etiā animaduertere humoris inclinationem, ad quam partem facilius vergat, vt tuta, & ex voto succedat euacuatio, quando facilius ad eam partem humores moueantur, vel à natura, vel ab arte, ad quam magis sunt inclinati.

Humorum motus dupliciter consideratur.

Porrò humorum inclinatio, seu motus dupliciter considerari potest, vel actu, vel potestate: actu quidem, quatenus humores actu mouētur, aut ad hāc, aut ad illam partem, quocunque modo id contingat: potestate vero, quando scilicet quiescunt, sed magis apti sunt moueri ad vnam, quàm ad aliam partem.

Quid agendum in cōcitato humorum motu.

Si de humorum motu actu existente sit sermo, dico humores vel è corpore educi, & per aliquam partem euacuari, vel concitatiori motu per corpus ferri. Si motu vehementiori à partibus ad partes ferantur per corpus, vt contingit in eorundem turgentia, tunc Hipp. 1. aph. 22. statim per aluum purgandos esse docet. Et ratio est in prōptu. Cum enim periculum sit, ne ferantur in aliquam partem principem, ideo subitò, & eadem die euacuandi, vt docuit idem Hipp. 4. aph. 10. non possunt autem citius euacuari, quàm exhibito medicamento per aluum eos purgante. Siquidem euacuationes per alias partes factæ (loquor de ijs, quibus succus à sanguine diuersus educitur) longius tempus expostulāt, quàm turgentis materiæ necessitas requirat.

Tripilci de causa humores extra corpus sponte educantur.

At si humores sponte, idest à nulla causa extrinseca moti extra corpus per aliquam partem educantur, ex Gal. sententia 4. aph. 2. tripliciter id contingit: nonnunquam ea, quę nostrum corpus regit, potentia ipsos expurgante: nonnunquam ex irritamento aliquo: aut tertiò quia à vasis non contineantur. Primus est naturę rectè operantis motus, quæ vel integrè euacuat, & tunc ipsi to-

tum

tum opus permittendum, vel imperfectè mouet, & tunc eius motus adiuuandus, vt supradictum fuit.

Humorum motus, qui ex irritamēto fit, differt à critico.

Verùm secundus motus, qui ex irritamento humorum pēdet, videtur potius ab eorundem acredine, & mordacitate, & interdum copia, quàm à natura fieri. Nam licet etiam optima crisis non sit sine aliquo irritamento, attamen hæc intercedit differentia, quòd in euacuatione vere critica irritamentum est tanquam causa sine qua non, at principalis causa est natura: in hac verò principalis causa est irritamentum, aut si mauis dicere naturam non per se operantem, sed materiæ peccantis irritamento lacessitam.

Difficultas est, quid sit agēdum in motu ex irritamento facto.

Si itaque contingat per aliquam partem euacuari humores, quia ad eam vergant propria inclinatione, quatenus videlicet irritant, & stimulant naturam ad sui expulsionem, tunc quid agendum sit non adeo facilè cognosci potest, vtrum nimirum adiuuandus, vel cohibendus, aut naturæ permittendus sit iste humorum motus.

Rationes pro vtraque parte.

Nam ex vna parte adiuuandum esse docere videtur Hipp. & cum eo Gal. aph. 21. in superioribus citato, quando humorum natura, seu inclinatio vergat ad eam regionem, ad quem autem locum natura vergit, eò ducere conuenit. Insuper etiamsi motus iste non pendeat à natura rectè, & sponte operante, sed irritata, nihilominus, cum noxius humor educatur, præter rationem omnino videretur agere, qui motum hunc cohibere, aut ad aliam regionem diuertere tentaret. Ex altera parte, cum iste motus sit symptomaticus, nec à natura rectè agente factus, potius cohibendus, quàm adiuuandus videtur.

Difficultatis resolutio.

Difficultatem hanc meliori tamen sententiæ, (si melior inueniri potest,) me subscribens ita determinandam esse arbitror, vt videlicet medicus consideret locum, per quem fit hæc euacuatio, humorem, qui educitur, & præ cæteris, si fit cum aliquali conferentia, vel tolerantia, vel sine. Hæc etenim omnia simul sumpta, vel saltem horum quædam demonstrare poterunt, an euacuatio per hanc, vel illam partem factam à natura ab humorum irritamento prouocata adiuuari, cohiberi, aut naturæ tota permitti debeat.

Quapropter si contingat, vt locus, ad quem feruntur humores, conueniens sit naturæ illius affectus, cuius curatio quæritur: si humor noxius, qui morbum facit, exeat, & præsertim adsit aliqualis conferentia, quoniam noxium educitur: amplius licet vires, (nusquam enim in similibus euacuationibus adest ea tolerantia, quæ requiritur, cum ex se non operetur natura, sed materiæ peccantis stimulo excitata,) aliquam labem patiantur, ita tamen vt maior sit vtilitas quæ ex peccantis humoris euacuatione, quàm detrimentum, quod ex aliquali virium lapsu sequitur, tunc hanc humorum inclinationem si opus erit, per eam partem, ad quam vergit, adiuuandam esse existimo: si totum oppositum eueniat, omnino cohibenda est: si verò talis fuerit, vt, dum eam cohibere, vel adiuuare tentamus, vtroque modo maius detrimentum ægrotans passurus sit, tota naturæ permitti poterit.

Exemplo difficultatis resolutio manifestatur.

Quæ omnia exemplo declarare oportet: Laborent tres homines tertiana febre notha, in quibus appareant tres euacuationes inter se diuersæ, cum sint diuersorum humorum, & per diuersa loca factæ, quæ solùm in hoc conueniant,

quoniam fiũt non à natura rectè operante, sed ab humorum inclinatione, quatenus irritantes facultatem expultricem ab ea modò per hanc, modò per illam partem, ad quàm magis inclinant, expelluntur. Atque harum euacuationum vna fit humorum biliosorum, & pituitosorum simul, vel per vomitũ, vel per aluum: altera fit per sudorem: tertia per fluxum sanguinis è naribus. Certum est hanc vltimam euacuationem, neque esse per locum conuenientem affectui, neque humoris facientis morbum, quare neque erit cum conferentia, omnino igitur cohibenda, quocunque etiam morbi tempore appareat. Ex opposito prima adiuuari poterit, si opus erit, & presertim si fuerit per vomitum in accessionis principio, vel per aluum in fine eiusdem, hanc quidem per clysterem, illam verò per vomitorium, sed vtrunque remedium placidissimum sit, oportet. Quæ verò euacuatio per sudorem fit, tota naturæ permittenda erit, cum detrimentum non contemnendum, tàm si cohibeatur, quàm si adiuuetur, sequi possit, loquor de eo sudore, qui fit inter morbi initia ob multitudinem materiæ facultatem expultricem irritantis.

Qualis humorum motus pessimus sit, & omnino cohibendus.

Tertius deniq. humorum motus, qui non amplius, vel à natura per se agente, vel irritata fit, sed, quia intra vasa humores contineri nequeunt ob facultatis retentricis imbecillitatem, per quancunque partem efficiatur, nusquã adiuuandus, sed cohibendus, quoniam pessima est hæc euacuatio, & prauæ dispositionis signum, vt docuit Gal. in commento præcitati aphorismi.

Qua ratione cognoscere liceat, dum humores actu non mouentur, ad quam partem sint magis inclinati.

Cap. XIX.

VErùm si non amplius de humorum motu actu existente, sed de eorum aptitudine sermo sit, hæc quoque necessariò consideranda est, vt per quã partem fieri debeat euacuatio manifestum fiat, quoniam facilius euacuabuntur per eam partem, ad quam magis inclinant. Hanc autem humorum inclinationem, seu aptitudinem, ad quam videlicet partem magis vergant, cognoscemus, si obseruauerimus non solum eorundem naturam, sed etiam accidentia quædam hoc idem ostendentia.

Humorum naturã docere, ad quã partẽ magis vergant.

Quo ad humorum naturam, certum est in doctrina Hipp. & Gal. bilem magis vergere ad superiora, cum sit humor leuis, & qui spõtè continuò superfluitet, pituitam verò, & melancholiam ratione frigiditatis, & grauitatis magis ad ad inferiora inclinare. Hinc Hipp. 4. aph. 4. dixit, medicari æstate superiores magis, hyeme inferiores cum æstate bilis, hyeme pituita superabũdet: & eiusdem libri aph. 9 melancholicos plenius per inferiora euacuari debere docuit: & Gal. lib. quos, & quando purgare oporteat, seu potius Oribasius, cuius creditur esse ille liber; 7. collectionum medicinalium cap. 23. amaram bilem per superiora, pituitam per inferiora magis educere conuenire dicebat.

Apparens cõtradictio in Hippoc.

Cæterum ex dictis difficultas emergit, quia Hipp. sibi cõtradicere videtur. Nã lib. de salubri diçta existimauit sex menses hybernos vomendũ esse, quoniã hoc tẽpus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput fiunt, & regionem eam, quæ est supra septũ transuersum: cum verò æstas, ac calor fuerit, infusis vtendum

dum esse docuit. Hora enim hæc æstuosa est, & corpus biliosius, & lumbi, ac genua grauantur, & calores oboriuntur, & in ventre tormina fiunt. Quapropter corpus perfrigerare oportet, & quæ in sublime eleuantur, infernè subducere ex istis locis. Hæc Hippocr. cuius sententiæ videtur etiam subscribere Celsus lib. 1. cap. 3. vomitum videlicet vtiliorem esse hyeme, quàm æstate. Nam tum & pituitæ plus, & capitis grauitas maior subest. Ex aduerso idem Hippocr. vt dictum fuit, 4. aphorism. 4. totum oppositum docuit, æstate nimirum per superiora, hyeme per inferiora euacuandum esse.

Contradictionis solutio ex Gal.

Vidit etiam Galen. hanc apparentem contradictionem in Hipp. lib. 1. de humoribus tex. 12. & eam soluere contendit dicens, in libro de salubri diæta monuisse, vt hyeme per superiora, æstate per inferiora euacuemus, quia hyeme pituita in ventre gignitur, quo circa iubet, eam vt vomitibus euacuemus, at æstate vult, vt bilem supernatantem deorsum retrahamus. Verùm si totum corpus euacuare velis, æstate per superiorem ventrem, hyeme per inferiorem medicamento faciendum est, vt in aphorismis habes. Hoc idem docet etiam libro quos, & quando purgare oporteat, dùm ait amaram bilem per superiora, pituitam per inferiora educere magis conuenire, quamuis interdum contrarium facere oporteat, si in ventriculo pituita, in intestinis aggesta bilis constiterit.

Adeo vt plus possit locus, in quo humor adest, ratione cuius magis ad hãc quã ad illã partẽ inclinat, ad indicandam regionem, per quam educi debeat, quã humoris natura. Vnde cũ pituita in ventriculo existens facilius per superiora purgetur, vt quotidiana experiẽtia demonstrat, & hyeme ibi plus pituitæ adsit, ergo hyeme per superiora ea pituitæ portio, quæ in ventriculo subsistit, educenda. Pari pacto bilis in intestinis aggesta facilius, & tutius per inferiora educetur, quando inibi cõtenta ratione loci magis inclinet ad eductionẽ per aluũ, quàm per vomitum. Quinimo tanti facienda est humorum inclinatio, vt Gal. 1. ad Glauconem 9. in curatione tertianæ exquisitæ dixerit humorem biliosum, cum ad ventriculum repit, per vomitum educere oportere; cum verò vergit ad inferiora, per inferiorem excretionem. Verùm si non amplius in ventriculo pituita, & bilis in intestinis subsistat, sed sint in toto corpore, & totum ab humoribus istis purgare velimus, (quando enim in aliqua parte determinata subsistunt, per quam regionem educendi sint, dicemus in sequenti capite,) atque ad nullam partem humores vergant ex Hippocr. præscripto æstate per superiora, hyeme per inferiora eos purgabimus ob rationes adductas.

Dubitatio à curatione quartanæ & quotidianæ desumpta.

Cæterum difficultatem facit Galen. auctoritas de curatione quartanæ, & quotidianæ primo ad Glauconem cap. 11. & 12. in quibus proponit vomitum, & tamen vterque humor potius per inferiora educendus esset.

Solutio de quotidiana, & cur in ea vomitus conueniat.

De vomitu in quotidiana febre proposito leuis est dubitatio, & facilè tolli potest. Nam cum in hac febre ventriculus afficiatur, & pituitam generet, hæc dum in ventriculo existit, euacuari debet, vt auferatur causa antecedens quotidianæ, facilius autem per vomitum inibi subsistens educitur, & propterea Galen. proponit vomitorium leue admodum, dum iubet, vt post radiculas, & cibos assumptos euomant: atque simul etiam respiciens ad causam coniunctam subdit, iis quoque, quæ pituitam subducunt, vtendum esse.

Aliorum solutio de quartana reijcitur.

At maior difficultas est de quartana, in qua pro vomitorio proponit etiam elleborum album. Vnde qui dicunt Gal. proposuisse vomitum in quartana, quia ratione diuturnitatis affectus labefactatur facultas ventriculi, & generatur multa copia crudorum humorum, & pituitæ, quam per vomitum educendam esse asserit, quia licet febrem non efficiat, saltem potest ipsam fouere, qui, inquam, ita dicunt, difficultatem non soluunt. Quoniam si Galen. proposuisset vomitum solùm ratione euacuationis humorum crudorum, & pituitosorum in ventriculo existentium, non debuisset proponere vomitoriũ adeo validum, cuiusmodi est elleborum album, quod ne dum à ventriculo, sed à toto corpore potenter educit humores.

Vera solutio, & cur ĩ quartana conueniãt vomitoria, purgantia, & diuretica.

Crederem itaque nos posse dicere, ipsum proposuisse, tam potens vomitorium ratione euacuationis humoris melancholici, quia licet humor iste facilius ex propria natura per aluum educatur, attamen ratione societatis, quam habet lien cum ventriculo ob vasa ab eo ad ventriculum ascendentia, & lien sit humoris melancholici metropolis, vt iure asseruerit Gal. 1. ad Glauconem cap. 5. rarò effici quartanam febrem, quin lien afficiatur, ergo respiciens Gal. ad hanc societatem, & simul etiam ad inclinationem huius humoris ad hanc partem, cum naturaliter ad eam ferri solitus sit, proposuit tam validum vomitorium. Et rursus, cum humor iste terreus sit, grauis, & frigidus, qua de causa per inferiora educi debet, præter vomitum proposuit quoque validam purgationem per aluum. Et denique cum melancholici copiosissimo sero abundent, vt Hipp. lib. 4. de morbis melancholicorum sanguinem passim aquam vocet, atque ichorosus humor facilè per vrinam euacuetur, proposuit Gal. etiam remedia diuretica in quartanæ curatione. Quare, vt humor iste adeo rebellis euacuetur, & corpus ab eo liberum remaneat, per tot vias, ad quas ipse diuersa tamen ratione inclinat, euacuari debere docuit.

Atram bilẽ nusquã per superiora euacuãdam esse.

Notatione dignum est id, quod habetur apud Gal. lib. quos, & quando purgare oporteat, bilem videlicet, & pituitam interdum per superiora educi debere, quod etiam contingit humori melancholico, vt dictum fuit ab eodem Gal. in quartanæ curatione, solam atram bilem per inferiora semper eijciendam esse, nusquam autem per superiora. Rationem hanc esse arbitror, quia humor iste adeo prauus est, vt dixerit Gal. lib. de atra bile cap. 3. quibus corporis partibus pura, impermistaque adhæserit, eas protinus exedendo vlcerare, quare si per vomitum euacuaretur, os ventriculi superius adeo afficere, & vlcerare posset, & eò magis, cum sit exquisitissimo sensu præditum, vt inde mortis periculum immineret. Qua de causa Hipp. (licet ob alias quoq. id eueniat) 4. aph. 22. vomitum bilis atræ lethalem esse existimauit.

Accidẽtia ex Hipp. mente ostẽdentia ad quẽ locum magis vergãt humores.

Denique ad quam regionem humores magis inclinent, ostendere nobis poterunt quædam accidentia, seu symptomata, quemadmodum docuit Hippocr. præsertim 4. aph. 17. 18. & 20. Nã aph. 17. ait. *si quis febrẽ non habẽs abstineat à cibo, & cordis morsum, & tenebricosam vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat.* At ex altera parte aph. 20. docet, qui nam sint illi, qui purgatione per inferiora egeant, dum scribit. *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur.* Aphorismo verò 18. vtriusque purgationis mentionem facit dicens. *Supra septum transuersum dolores purgationem indigere per superiora significant. Quicunque verò inferiora molestant, per inferiora.* Cum etenim Hipp. tum ex corporis habitu, tum ex anni tempestatibus in

præ-

præcedentibus aphorismis docuisset, per quam regionem euacuandum sit, in nunc citatis proposuit signa quædam, quæ nos idem docere possunt, cum arguant, qualis nam sit humorum inclinatio, an videlicet ad superiora, an ad inferiora, quando ad eam partem, ad quam vergunt, ducere debeamus.

Proponitur vnum quæsitum.

Attamen hæc declaratione indigent, & eò magis, quia nonnulla non carent difficultate. Declarare itaque primò oportet, cur Hippocr. aph. 17, & 20. faciat solùm mentionem eorum, qui febre carent.

Alterum quæsitum.

Secundò considerandum, an in 18. per dolores intellexerit re vera dolores solummodo, an potius doloris nomine alia quoque symptomata, quæ humorum inclinationem ad eas partes significent, intelligenda esse voluerit.

Proponitur difficultas.

Terriò difficultatem faciunt, quæ alibi ab Hipp. dicta fuerunt. Nam 6. epid. 1. tex. 6. loquens de renum dolore, qui est infra septum trāsuersum, ait iuuenes veratro purgandos esse, veratrum autem præsertim purgat per superiora. Insuper 4. aph. 28. ait, superuenientibus biliosis deiectionibus surditatem cessare, & aph. 60. eiusdem libri, quibus in febribus aures obsurduerunt, aluum turbatam morbū soluere asserit. Ad hæc 6. aph. 17. habemus lippientem alui profluuio corripi bonum. Non itaque semper verum est, affectus supra septum transuersum apparentes docere purgationem per superiora, qui verò sunt infra, per inferiora faciendam esse. Id quod etiam in praxi quotidie obseruamus, dum in morbis supra diaphragma existentibus per inferiora, & in ijs, qui sunt infra, per superiora sępe purgamus.

Soluitur 1. quæsitū.

Quo itaque ad primum spectat, existimo Hipp. locutum fuisse solùm de ijs, qui non febricitant, quia, si febris adesset, iam enarrata symptomata potius à febre, quàm ab humorum inclinatione ad illas partes fieri possent, vt igitur signa illa non à febre pendere, sed tantummodo humorum impetum ad regionem vel superiorem, vel inferiorem ostendere certi essemus, dixit, quibuscunq. non febricitātibus hęc acciderint, eos indigere purgatione, vel per superiora, vel per inferiora. Quòd si etiam pręsente febre hęc contingerent, & pręsertim febri superuenirent, atque cognosceret medicus ea causari ab humorum inclinatione, non autem simpliciter à febre, idem pręceptum seruandum esset, dummodo euacuandi tempus idoneum iudicaretur, de quo infra.

Respondetur 2. quæsito.

Ad secundum rationabiliter dici potest Hipp. per dolores supra, vel infra septum transuersum, nedum dolores simpliciter intelligere, sed eorum nomine quęcunque etiam alia symptomata, quæ docere possunt humorum inclinationem ad hanc, vel illam partem. Siquidem æternus fuit Hipp. mos pręsertim in aphorismis, vbi tradit vniuersalia artis pręcepta ex vno particulari inferre plura alia similia. Hinc libro de salubri dięta dicebat, cum morbi circa caput fiunt, & regionem eam, quæ est supra septum transuersum, vomendum esse; cum verò lumbi, & genua grauantur, & in ventre tormina fiunt, infernè subducere oportere, sicuti habemus etiam aph. 17. & 20. nuper citatis. Ita Cornelius Celsus lib. 1. cap. 3. vbi amari ructus cum dolore, & grauitate pręcordiorum sunt, ad vomitum confugiendum esse docuit: item (subdit) prodest ei, cui pectus æstuat, & frequens saliua, vel nausea est: aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est.

Quibus etiam adderem celebrem illam Hipp. auctoritatē 2. acutorū 10. & 11. vbi iubet, vt in pleuritide dolore ad clauiculā ascēdente, & partes supra septum transuersum afficiente secemus venam cubiti internam, at eas, quæ sub septo transuerso sunt, partes dolore infestante, ventrem vel nigro veratro,

vel

vel peplio soluamus, tanti facit humorum, qui inflammationem pariunt, vergentiam, & inclinationem. Adderem, inquam, auctoritatem hanc, nisi Gal. suspecta videretur, qui in acutis semper tutiorem inter initia existimat euacuationem factam per venæ sectionem, quàm per purgationem: quando vel ipsemet Hipp. 1. aph. 24. moneat, vt in acutis passionibus rarò, & in principijs medicinis purgantibus vtamur. Attamen hanc quoque auctoritatem obiter tetigisse volui, vt ostenderem, quanti fecerit Hippocr. humorum inclinationem.

Pro solutione difficultatis primum suppositum.

Quatenus autem pertinet ad difficultatem tertio loco propositam, eius solutionem non adeo facilem existimo: attamen, quid ego sentiam, liberè proponam, alij deinde iudicabunt, an allata solutio sit ex natura rei desumpta, & ad Hipp. atque Gal. mentem. Supponendum itaque in primis est, Hipp. 4. aph. libro, & præsertim in quampluribus aphorismis in principio illius libri propositis tradere vniuersalia pręcepta spectantia ad euacuationem in genere, & maximè ad purgationem, quare proponit nedum eam indicantia, & prohibentia, sed etiam quæ doceant eiusdem rectam administrationem, vt ex hucusque dictis manifestum est. Ex quo supposito colligo Hipp. intentionem in præsentibus aphorismis non esse docere curationem alicuius determinati morbi per euacuationem fiendam, sed solùm vniuersalia, vt dixi, euacuationis pręcepta manifestare.

2. fundamentum.

Suppono secundò euacuationes duabus pręsertim de causis adhiberi. Prima est, vt humor peccans simpliciter euacuetur, vel à toto corpore, aut à parte determinata: secunda, vt vnà cum euacuatione peccantis humoris fiat quoque eiusdem reuulsio à parte affecta.

Difficultatis resolutio.

Ex quibus dicendum arbitror, nullos ex affectibus, qui tanquam signa ab Hipp. locis citatis propositi fuerunt ad docendum, an per inferiora, an per superiora euacuandum sit, proponi tanquam morbos, aut symptomata alicuius determinatæ partis, siue supra, siue infra septum transuersum existentis, vt eorum propriam, & peculiarem curationem doceat, sed solùm veluti accidentia quędam ab humoribus ad illas regiones impetum habentibus causata, ad ostendendum per quam partem eorum euacuatio fieri debeat. Quod fortasse videntur etiam significare Gal. verba in commento aph. 18. proposita, dū ait, Hipp. sermoni suo addidisse (purgatione indigentes,) ne quis fortasse arbitretur eum curare omnes dolores simpliciter per euacuationem, neque enim nunc dicit hoc, sed quòd secundum humorum infestantium inclinationes, oportet etiam facere euacuationes. Hæc Gal. quibus profectò demonstrat Hipp. intētionem non fuisse, docere curationem dolorum partes, siue supra, siue infra septum transuersum existentes infestantium, sed solùm in vniuersali (licet more suo particulari exemplo vtatur) declarare vbi agendum in euacuationibus moliendis, & tradere hoc præceptum, per eam videlicet regionem euacuandum esse, ad quam peccantes humores magis inclinant.

Ecquis enim tam parùm versatus est in Hipp. & Gal. doctrina, qui non nouerit esse omnino præter rationem credere morbos omnes infestantes partes supra septum transuersum, qui tamen euacuatione egeant, curari euacuatione per superiora, nempe per vomitum, & qui inferiores occupant, semper per inferiora? Quis pleuritidem, pneumoniam, capitis, & cerebri affectus vomitu curandos esse putabit?

Conciliatur Hip.

Quocirca si Hipp. partium infra diaphragma contentarum affectiones eua-

cuatione per superiora facta quãdoq. curari, & membrorũ supra ipsum existentiũ morbos euacuatione per inferiora interdũ tolli dixit, vt eius auctoritates superius allatæ demonstrant, iure ita sensit, quia locis citatis non simpliciter de euacuatione loquitur, neque eius vniuersalia præcepta tradit, sed particulares particularium quorundam morborum curationes edocet, qui quidem euacuatione indigent, sed tali administrata modo, vt per eam fiat quoque confluentium ad affectam partem humorum reuulsio, quæ ad oppositum terminum effici solet. Propterea si simpliciter de euacuatione totius corporis sermo sit, certum est, per eum locum fieri debere, (dummodo conueniens sit) ad quem humores magis inclinant. At qui reuulsionem facere volunt, tantùm abest, vt humorum inclinationem imitentur, vt potius contrario motu fluentium humorum impetum compescere quærant, de qua sanè reuulsione infra suo loco sermo habebitur. Quòd si deinde requiratur particularis euacuatio à parte affecta, per quam regionem eam facere debeamus, sequens caput docebit.

De affectæ partis natura, qua ratione ostendat per quem locum fieri debeat euacuatio.

Cap. X X.

PRæter humorum inclinationem, & facultatis expultricis motum, de quibus hactenus dictum fuit, partis quoque affectæ natura ex Hipp. referente Gal. aphor. 21. toties citato nos docere potest, per quam regionem fieri debeat euacuatio. Non etenim per eam partem, per quam exempli gratia euacuatur hepar, cerebrum est euacuandum. Vnde pro diuersa affectæ partis tum figura, tum situ diuersa loca pro euacuatione humorum illam infestantium eligenda sunt, vt sensit Gal. 7. meth. cap. vlt. & 2. ad Glauc. 2. Quæ tamen indicatio desumpta ab affecta parte, siue à materia ibi subsistente, (ne litem cum logicis medicis habeamus) præsertim obseruatur in particularium præter naturã affectuum particularem quandam partem obsidentium curatione, dummodo tamen euacuatione indigeant.

Si itaque spectemus figuram, seu formationem partis, ab ea indicatio ipsius modi vacuandi excrementa suggeritur ad hunc modum. Ventriculus vomitu, deiectioneque inanitur, quandò ratione propriæ figuræ habeat duo orificia, alterum superius, alterum inferius, ita vt per vtrunque euacuari possit. Sicuti iecinoris caua, & intestina deiectione tantùm euacuantur; sunt enim tali formatione prædita membra hæc, vt per aluum facillimè expurgentur, licet hepatis caua, vt mox dicemus, per vomitum etiam purgari possit. Hac eadem de causa renes, & vesica per vrinas: loci muliebres per menstrua: cerebrum autem per palatum, & nares, & aures: pectus, & pulmones per asperam ateriam, & fauces ab excrementis, seu superfluis, & peccantibus humoribus expurgari debent. *Quã ratione figura partis doceat locũ euacuationi conuenientem.*

De hepatis gibba est aliqua difficultas, cum eam Gal. tum per vrinam, tum per aluum expurgari dixerit. Cum etenim vnum ab vno tantùm indicetur, qua ratione fieri potest, vt materia in eadem parte subsistens indicet sui euacuationem per duas regiones? *Difficultas de hepatis gibba parte, per quẽ locum expurgetur.*

Huic difficultati respondet Gal. loco citato dicens, si iecinoris gibba multo vitioso succo sunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgari: *Difficultatis solutio.*

sin

ſin mediocri per vrinales meatus. Rationem arbitror, quia euacuatione per vrinam tota peccantis materiæ multitudo, vel educi non poterit, vel ſaltem longo tempore, quare tutius eſt, vt per aluum expurgetur. Et eò magis id fieri poteſt, quoniam pars illa hepatis habet ſocietatem cum vtriſque euacuationis regionibus, ergo non eſt incõueniens, vt materia inibi ſubſiſtẽs, licet ſit vnicum tantùm indicans, quatenus vtranq; viam reſpicit, indicet ſui euacuationem modò per vias vrinæ, modò per aluum, aut quatenus multa eſt, vt dicit Gal. per ventrem, quatenus mediocris per vrinales ductus ſit educenda.

Situs partium oſtendit per quẽ locum facienda ſit euacuatio.

Sed præter figuram partium, earum quoque ſitus ad euacuationes per hãc, vel illam regionem faciendas nonnihil indicat, dum ſocietatem laborantis particulæ cum alijs docet. Nam niſi illud compertum haberemus, quòd cauo iecinoris ſubijcitur ventriculus, & ieiunum quòd ieiuno ipſi tenue inteſtinum ſuccedit, id verò colon excipiat: ac colon, quod appellant rectum, vtiq; inueniſſe illud non licuiſſet, quod iecur, & per aluum, & per vomitum expurgari poſſit: quemadmodum thorax, & pulmo per tuſſim, & fauces: vẽtriculus per vomitum: inteſtina per excretiones inferiores: cerebrum per palatum, nares, & aures. Quo ſanè pacto conſiderantes, quam ſocietatem habeant ſingulæ partes cum locis euacuationi conuenientibus, de quibus in ſequenti capite erit ſermo, cognoſcemus per quam regionem euacuari debeant.

Probatur auctoritate Hippoc. & Gal.

Vnde Hipp. quoque ad ſitum reſpiciens 6. epid. 2. tex. 30. exiſtimauit humores in cute exiſtentes, aut ad eam vergentes per eam euacuandos eſſe, habet enim hæc verba. Latæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ, quales Simon hyeme habebat, qui ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur, vomitus non iuuabant: puto, ſi quis calida fomenta adhibuiſſet, vtilitatem percepiſſet. Gal. in commento tantùm illud nouiſſe ſatis eſſe, inquit, ſuccos ad cutem vergentes per eam eſſe euacuandos. Nam iterum ad intima corporis reuulſio ipſis valde longinqua eſt, vt per aluum, aut vomitum euacuentur. Qua de cauſa idem Gal. lib. de conſt. artis med. cap. 19. dum humores totum corporis habitũ occupant, ſiue ſenſibiliter, ſiue inſenſibiliter per cutim expurgãdos eſſe docuit, cũ ratione ſitus affectæ partis facilius per eam educantur regionẽ.

De locis euacuationi conuenientibus, quænam ſint, & quas conditiones ſibi aſciſcant.

Cap. XXI.

PEr loca conuenientia, ſeu conferentia euacuandum eſſe docuit Hippocr. quare dicendum, quænam ſint hæc loca, & quas conditiones requirant, vt re vera conferentia dici poſſint, & euacuatio ſecundum naturæ leges ſuccedat.

Enumerantur loca cõferentia, et eorum conditiones ex Gal.

Gal. in commen. aph. 21. ait loca euacuationibus conferentia eſſe inteſtina, ventrem, veſicam, vterum, cutim vniuerſam: ad hęc palatum, & nares quando vel cerebrum expurgamus, vel per profluuium ſanguinis fit excretio. Quòd ſi de conditionibus, quas habere debent loca hæc, ſit ſermo, has etiam enumerat, vt videlicet ſint è directo poſita ad patientem locum. Amplius quòd nullum habeant principatum, ita vt dum humores, per ea feruntur maius ex ipſis damnum ſit ſubſecuturum, quàm morbi, qui indicatur, dignitas expoſtulet. Inſuper vt ſint aperta quare quæ nullam effluxionem habent non ſunt loca confe-

conferentia. Hæc Gal. quæ tamen omnia more noſtro methodo quadam diſponi debent, vt facilius intelligi, & memoriæ mandari poſſint.

Vnde ſi loquamur de locis euacuationi conuenientibus, & conſideremus, quæ nam ſint huiuſmodi loca, dico ea eſſe talia, vel ex accidenti, vel à natura in hũc vſum facta, vt excrementorũ, aut ſuperfluorum euacuationibus inſeruiant.

Loca ex accidẽti euacuationi deſtinata, quę dicantur.

Loca euacuationi deſtinata ex accidenti ſunt exempli gratia fiſtulæ aliquę ſatis longo tempore patere conſuetæ, vt colligere licet ex Gal. 6. epid. 2. tex. 29. has enim, ſi qua de cauſa occludantur, aperirę oportet, vt excrementa per eas exire conſueta euacuẽtur, quando retenta morbos neceſſariò paritura ſint. Huius cenſus videntur quoque eſſe fonticuli in aliqua parte excitati, et diutius geſtati, vt iam natura ad eos excrementa tranſmittere conſueuerit.

Loca à natura deſtinata ad euacuationem ſunt in duplici diſcrimine & quanã ſint.

Loca autem à natura in euacuationis vſum conſtructa videtur eſſe in duplici diſcrimine, quoniam alia occluſa ſunt, alia patentia. Occluſa voco glandulas præſertim poſt aures, ſub axillis, & in inguinibus poſitas, quę cerebri, cordis, & hepatis excrementa ſuſcipiunt. Patentia verò quamplura ſunt, & per hęc vel ſanguis, vel humor à ſanguine diuerſus, aut quoduis aliud excrementum educitur. Sanguis ſolùm in mulieribus per vterum naturaliter expurgatur: at in quibuſdam ſępe per nares, & per hęmorrhoides etiã euacuari à natura ſolet, licet id non ſit ſecundum naturam: qui verò nonnunquam per alias partes exit, is omnino præter naturam exit. Excrementa autem alia à ſanguine diuerſa cuiuſcunque generis fuerint, expurgari conſueuerunt, vel per aluum, vel per vomitum, vel per veſicam, vel per nares, per aures, per palatum, per aſperã arteriam, & fauces, vel denique per cutim, per quam fit ſuperfluitatum duplex euacuatio, vel ſenſibilis, vt contingit in ſudore, ſordibus, & pilis, vel inſenſibilis, quando ſuperflui humores attenuati, & in inſenſibiles halitus, reſoluti per cutim educuntur.

Locorum quædam vniuerſalia, quædã particularia.

Tot igitur ſunt loca euacuationibus conferentia, quorum nonnulla vniuerſalia ſunt, alia particularia: vniuerſalia dico, per quæ vniuerſum expurgatur corpus, particularia verò, per quæ ſolùm pars aliqua determinata excrementa in ea contenta, vel ibi genita, vel aliunde tranſmiſſa expellit. Vniuerſalia itaque erunt, ventriculus, inteſtina, veſica, vterus, hęmorroides, & nares, ſi ſanguis per eas exierit, ac denique cutis ipſa. Particularia ſolùm dici poterunt palatum, aures, nares, dummodo per eas materia à ſanguine diuerſa educatur, per quæ ſanè loca cerebrum: aſpera arteria, & fauces, per quæ pulmo, & thorax expurgantur. Atque notandum per loca vniuerſalia nedum vniuerſum corpus, ſed etiam determinatam aliquam partem ſæpe expurgari poſſe.

Quænam ſint conditiones locorum.

Commune eſt (quatenus pertinet ad conditiones, quas ſibi aſciſcunt loca euacuationi deſtinata) omnibus locis tam vniuerſalibus, quàm particularibus, vt ſint ignobilia, aperta, & incolumia. Sed particularia loca præter has conditiones, alias quoque expoſtulare videntur, vt videlicet ſint proxima, conſentientia, & è directo poſita. Vnanquanque harum conditionum paucis contemplemur.

1. Quòd ſint ignobilia.

Debent itaque in primis eſſe ignobilia. Et re vera, ſi ita natura comparatum eſt, vt partes nobiliores, & robuſtiores propellant excremẽta ſua ad ignobiliores, & imbecilliores, atque ad eas præcipuè, quę huic officio deſtinatę sũt, qui fieri poteſt, quòd in euacuationibus à natura rectè operante, vel arte eius

imitatrice factis oppositum sequatur, & fiat excrementorum ab ignobilioribus ad nobiliores expulsio? Id equidem omnino absurdum est, & præter naturæ leges, vt per præstantiores partes, quæ nobiliores actiones edunt, excrementa expurgentur.

2. quòd sint aperta.

Secunda conditio est, vt sint aperta. Nam si excrementa, vt conueniens est, è corpore exire debent, ideo loca, per quæ exeunt, aperta esse oportet. Vnde, licet inter loca excrementorum expurgationi destinata, glandulas proposuerimus, quæ minimè apertę sunt, factum est, vt natura expellente superfluitates ad eas non omnino tuta iudicetur hæc transmissio. Qua de causa Gal. 1. aph. 20. meliorem iudicationem existimauit eam, quæ fit per euacuationem, quàm quæ per abscessum. Et rursus adhuc minus tuta erit superfluitatum expulsio ad regiones eas, quæ, pręter quamquod manifestum meatum non habent, non sunt à natura destinatę ad suscipienda excrementa, vt dum humores non amplius ad glandulas, sed ad artus fluunt, siue id eueniat humoris impetu, siue natura ad eas partes humores noxios expellente.

3 quod sint incolumia.

Debent insuper loca euacuationibus accommodata esse incolumia. Neque enim, vt inquit Gal. 13. meth. 6. cum vel circa sedem, vel aliquam huic vicinã partem initium inflammationis incidit, aluum deijcies, neq. cum in vesica, vel renibus est cępta, pharmaca, quę vrinas prouocent, bibenda dabis: nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis, sed ad partes, quæ maximè longinquæ sint, semper reuulsionem facies.

Locorum particularium prima cõditio est, vt sint proxima.

Quatenus verò pertinet ad conditiones, quas particularia loca sibi assiscũt, eæ tres erant. Prima, vt sint proxima, quod adeo de se clarum est, vt maiori declaratione non indigeat. Nam quis ignorat materiam in pulmonibus contentam facilius per tussim, seu fauces, & asperam arteriam, quàm per vrinam, aut per aluum euacuari, cum hæc longinqua loca sint, illa verò proximiora. Renes pariter, & gibbæ hepatis partes multò facilius eadem de causa per vrinam euacuabuntur, quàm per vomitum, aut per aluum.

2. vt sint consentientia.

Altera cõditio est, vt sint consentientia, ita vt affecta particula habeat societatem, idest vasorũ communicantiam cum locis, per quæ fieri debet euacuatio, vt dictũ fuit cap. antecedenti. Et hoc est etiã illud idẽ, quod docuit Gal. 3. de crisib. cap. 3. excretionem videlicet debere esse morbo conueniẽtem. Quæ sanè Gal. sententia verificatur non solũ si respiciamus naturã humoris peccantis, & facientis morbũ, vt quòd febris ardens vel sanguine è naribus fluẽte, vel post vehementem rigorem sudore multo, & calido per totum corpus emanante, aut per vomitum, aut per aluum biliosorum excretione: ita & tertiana vomitibus, & excrementis alui biliosis, & sudoribus multis toto corpore fluentibus iudicetur. Non solum, inquã vera est Gal. sententia habito respectu ad naturam humorum, de qua iam dictum fuit, sed etiam ad partis affectę societatem, quã habet cum locis eius euacuationi conuenientibus. Hinc thorax, & pulmo per fauces, & asperam arteriam: cerebrum per palatum, nares, & aures: renes, & vesica per vrinam: ventriculus per vomitum, & aluum optimè euacuantur. Et rursus nonnullę partes sunt, quę quoniam societatem habent cum diuersis regionibus, ideo per diuersa loca expurgari possunt. Quare vt ait Galen. loco citato hepatis deuexę partes inflammationem patientes tribus pręcipuè modis iudicantur, fluxibus sanguinis è nare dextra, & sudoribus bonis, & vrinis abundantibus: conuexę autem partes excrementis alui

biliosis

biliosis, atque sudoribus, nonnunquam etiam & vomitibus. Quocirca medicus in euacuationibus moliendis habito respectu tum ad humoris naturam, tum ad societatem partis loca illa eligere debet, quæ parti affectæ, & peccanti humori conuenientia sunt. Qua de causa Gal. 13. meth. 11. in iecinoris inflammatione dextri cubiti internam venam secandam esse docuit, propterea quod & è regione, & ampla via cum vena, quę caua dicitur, societatem habẽt.

Denique loca debent esse è directo posita. Ideo Gal. 1. ad Glauc. 2. dicebat, & si quidem in parte dextra locorum muliebrium passio fuerit à dextra manu, aut crure detrahendum esse sanguinem: si verò in sinistra à membris, quæ illi è directo sunt. Quod enim ab ipso Hipp. κατ'ἴξιν dicitur, hoc ipsum est secundum rectitudinem. Verùm de rectitudine in euacuationibus seruanda sedulò sequenti capite agendum. *3. vt sint è directo posita.*

De rectitudine in euacuationibus seruanda.

Cap. XXII.

TAnti fecerunt pluribus in locis tum Hipp. tum Gal. rectitudinem in euacuationibus ipsis, vt videlicet humor peccans è directo affectæ parti educatur, siue ab arte, siue à natura, vt nullam fortasse bonam euacuationem crediderint, quæ è directo non fiat. Sic Gal. 3. de crisib. 3. dicebat oportere per directum fluere sanguinem ex dextra quidem nare hepate patiente, vel locis in dextris præcordijs positis, ex sinistra autem liene, & locis vicinis. *Quanti fecerint Hippoc. & Gal. rectitudinem.*

Atque Hipp. 2. epid. 2. tex. 12. morborum mutationes, iudicationes, & abscessus per rectum fieri debere scripsit dicens, secundum rectum & costarum dolores, & præcordiorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus eruptiones, & aures secundum rectum. Hinc, quæ è directo membro patienti non fit euacuatio, praua ab eodem Hipp. dicitur in Coacis prænotionibus, & 3. prorrhet. 53. & à Gal. confirmatur, Sanguinis (inquit,) ad latus diuersum eruptiones, malę: vt si cum lien magnus fuerit, dextra ex nare fluat: similiter res se habet in hypochondrijs.

Cum itaque tanti æstimanda sit rectitudo, & hanc nedum in euacuatione, sed in reuulsione etiam, atq. deriuatione obseruari omnino debeat, idcirco in præsenti de ea tantùm agendum, quę in euacuatione simpliciter consideratur, quia procedente sermone de ea, quæ reuulsioni, & deriuationi necessaria censetur, infra pertractabitur. Quare interim dicendum, quænam sit huius rectitudinis ratio in euacuationibus tantoperè desiderata, seu in quibus consistat rectitudo. Deinde inuestiganda est causa, cur euacuationes è directo factę bonę, quæ verò opposito modo sese habent, prauę ab Hipp. & Gal. iudicentur.

Verùm ante omnia supponendũ, sermonem esse de ea humorum euacuatione, qui aliquam determinatam partem infestant, vt videlicet euacuãdi sint per eam regionem, quæ è directo partis afflictæ posita est, qualiscunque ea fuerit, dummodo eas habuerit conditiones, quas loca euacuationi conuenientia requirunt. Nam in humorum, qui præsertim in vniuerso venoso genere, aut totius corporis habitu continentur, euacuatione rectitudo non videtur habere locum.

Quærendum igitur primo loco est, in quo nam consistat huius rectitudinis ratio, an in fibris, an in vasorum societate, & communione, an potius in situ, quando non defuerint, qui vel vnam, vel alteram ex his opinionibus defendedere conati sunt.

Rectitudinis ratione non consistere in fibrarum rectitudine.

In conuellenda eorum opinione, qui fibrarum rectitudinem attendendam esse crediderunt, non multũ laboro, quia ex eo satis absurda apparet, quando euacuatio siue à natura, siue ab arte facta, vel per venam sectam, vel per medicamentũ purgans, non fiat ope fibrarum, ita vt vna parte propellente, & altera attrahente efficiatur, vt ipsi voluerunt. Nam esto facultatem expultricem, tum ex se operantem, tum medicamento adiutam mediantibus fibris circularibus expellere humores noxios, attamen nulla fit attractio ope fibrarum rectarum: quia, si facultas de se expellat, id fit, quoniam, vt inquit Gal. 2. de diff. feb. vlt. robustiores partes excrementa ad imbecilliores transmittunt, & rursus illę ad alias magis imbecillas, quousque peruenerint ad eam partem, quæ adeo inualida sit, vt non possit amplius ea expellere. Quem sanè superfluitatum, aut noxiorum humorum motum nemo rectarum fibrarũ ope à partibus imbecillioribus attractione fieri existimabit, cum partium propriũ sit attrahere id, quod sibi vtile est, & expellere, quod inutile existit. Eadẽ prorsus ratione contingit, dum humores praui, & præter naturam extra corpus per aliquam partem euacuationi destinatam a facultate expultrice expelluntur, cum eorum nulla fiat attractio. At si id fiat auxilio medicamentorum purgantium, tunc attractio fit à medicamenti facultate, non autem à partium fibris. Insuper in venæ sectione fit euacuatio non virtute fibrarum rectarum attrahentium, sed ratione vacui. Non itaque rectitudinis ratio consistit in fibrarum rectitudine.

Neque in vasorum societate.

Sed neque in vasorum societate, & communione rectitudinis natura posita est, vt alij existimarunt. Quod ex eo facilè conuincitur, quia hepar eandem habet cum vtraque nare vasorum societatem, cum tamen qui fluit sanguis in hepatis affectionibus à sinistra nare è directo fluere minimè dici possit ex Gal. doctrina 3. de crisib. citato. Insuper quæ communio, aut vasorum societas inter lienem, & sinistram narem reperitur? Nulla sanè adest, & nihilominus in lienis affectionibus fluens sanguis à sinistra nare secundum rectitudinem fluere dicitur. An forsan quis inuenietur adeo anatomiæ ignarus, qui existimet eo modo, quo ab hepate caua vena sursum per thoracem fertur, ex liene aliam ortam partibus distribui sinistris, vt referente Gal. 3. prorrhet. 33. nonnulli falsò opinati sunt?

Benè verum est, vasorum societatem esse vnam ex conditionibus, quas requirunt loca euacuationi cõuenientia, vt dictum fuit capite antecedenti, at nõ est eadem cum rectitudine, de qua interim loquimur, licet sępissime vtraque conditio simul coincidere possit. Nam dum exempli gratia in hepatis inflammatione sanguis, natura eum expellente, fluit à dextra nare, aut ab arte per venę brachij, vel manus dextrę sectionem mittitur, seruatur nedum rectitudo, sed etiam venarum societas: at non est semper necessarium, vt in rectitudine situs adsit etiam vasorum communio.

Rectitudinis naturã consistere in situ ex Hippoc. & Gal.

Quocirca concludamus cum Hipp. & Gal. rectitudinis rationem consistere in situ, ita vt partes dextræ dextris, & sinistrę sinistris secundum rectitudinem positæ dicantur ratione situs, siue dextri, siue sinistri, non autem ratione fibrarum, aut societatis vasorum. Demõstratũ enim (dicebat Gal. 14. de vsu part 7.) nobis sępe est, id quoque ab Hipp. rectè dictum, quòd partes, quæ secundum rectitudinem sunt sitę, necessariò plus inter sese communicant, ac fruuntur. Quod sentit etiam 2. ad Glauc. 2. quemadmodum in fine antecedentis capitis diximus, necnon, 3. de crisibus 3. citato. Quare rectitudinis natura consistit nõ in fibrarum rectitudine, non in vasorum communione, sed in situ, vt nimirum

pars,

pars,per quam fieri debet euacuatio,ſiue à natura,ſiue ab arte è directo affectæ parti ſit poſita.

Cur euacuationes è directo factæ ſint bonæ, non docet Gal.

Verutamen difficilius multò eſt inuenire cauſam,cur euacuationes ſecũdum rectitudinem factæ bonæ,quæ verò oppoſito modo ſeſe habent,prauę cenſeantur.Gal.3.prorrh 33.quòd res ita ſeſe habeat,ex frequentia inferre videtur,ſi quippiam aliud,(inquit,)ſępius contingere ipſe vidi,ita & hoc: & ſubdit Hippocr.ex multa experientia,quam ex particularibus ſibi fecit, vniuerſalia collegiſſe,videlicet eruptiones ſanguinis ad latus diuerſum malas eſſe, ſecundum rectitudinem autem factas bonas. Verùm huiuſce rei cauſam non addidit Galen.& licet ſubiungat Hipp.in libris epidemiorum ſcripſiſſe ægrotos multos, alios quidem,quibus ſanguis ſalubriter erupit,alios vero,quibus inſalubriter, quorum cauſam alibi enuntians ſe conſideraſſe fatetur; attamen ego cauſam, ob quam euacuationes,quæ ſecundum rectitudinem fiunt,bonæ,quę oppoſito modo ſeſe habent,malæ ſint,in Gal.monumentis adhuc non inueni.

Affertur cauſa, cur euacuationes è directo factæ ſint bonæ.

Vt igitur huius effectus cauſam habeamus, ſic fortè diſcurrere poterimus. Si frequentia experimenta docent euacuationes ſecundum rectitudinẽ factas eſſe bonas, oppoſitas verò malas,ideo etiam illas à natura rectè operãte factas, & verè criticas,has verò ſymptomaticas eſſe cognoſcemus,ergo facultatis expellentis,dum ſponte operatur,eam naturam eſſe inferre poterimus, vt ſecundum rectum tantùm moueat. Quare eadem erit cenſenda cauſa , cur facultas ſecundum rectum humores peccantes expellat,& cur euacuationes ſecundum rectitudinem factæ ſint bonæ. Hanc autem eſſe puto, quoniam naturæ motus ordinati ſunt, & qui ſemper eodem modo efficiantur, niſi quid impediat:natura ſiquidem continuò eodem modo operatur,& qui dicit naturam,dicit ordinem,hinc Alexander ordinem vocauit vniuerſi formam. Quapropter exiſtimandum eſt humorum motus à natura probè operante factos debere eſſe ſecundum rectitudinem,aliter ordinati non eſſent,ſed contra potius inordinati, & indeterminati; hinc qui humores à natura non reguntur,tanquam turgẽtes, & proprio impetu moti ad quancunque partem non rectà,ſed inordinatè,& indeterminatè mouentur. Mouet inſuper natura pręcipuè ſecundum rectum, quoniam licet ſit conſenſus vnus,conſpiratio vna,& omnia conſentiẽtia,attamen partes è directo poſitæ magis inter ſeſe communicant,& ideo facilius,ac promptius ſurſum,& deorſum,quàm ad latera diſtribuuntur, ac mouentur humores. Quocirca ſi facilior,ſi ordinatior,ſi ſemper idem eſt motus rectà factus,& hic ſit naturæ probè mouentis effectus,concludendum erit euacuationes è directo factas,cum ſint à natura ſpontè,& rectè operante factæ,bonas eſſe,ſicuti ex aduerſo prauę illę iudicantur,quæ oppoſito modo fiũt, cum cauſam pręter naturam habeant.

Diſcat itaque medicus,qui ſe naturæ imitatorem ſedulum profitetur,in euacuationibus humorum determinatam aliquam partem infeſtantium,vel imperfectum naturæ motum è directo factum adiuuare,vel eum,natura nil tentante, imitari. Ex quò factum eſt, vt hepate affecto ſecetur vena dextri brachij, vel manus,& in lienis affectionibus ſanguis mittatur ex ſiniſtris partibus: quemadmodum ex pede modò dextro ,modò ſiniſtro ſanguis educitur in paſſionibus renum,aut vteri,prout dextram,vel ſiniſtram vteri partem,ſeu dextrũ, aut ſiniſtrum renem affligunt. Adeo vt inuiolabile pręceptum ſit in hac medica facultate,quòd videlicet in euacuationibus perpetuò ſeruari debeat rectitudo. Et licet magna ſit lis inter auctores, vtrum in pleuritide ſecanda ſit vena

eiuſdem

eiusdem, aut oppositi lateris, attamen disputatio potius est de reuulsione, quàm de euacuatione, quando, si solam euacuationem ab affecta parte prę oculis habeamus, certum sit eam fieri debere ab eodem latere, de reuulsione autem infra agemus.

De quando agendum, & vtrum morborum tempora aliquid indicent. Cap. XXIII.

SI in alicuius alterius pręsidij recta administratione agendorum opportunitas præceps, & ferè momentanea existit, quæ semel è manibus elapsa, præsertim in acutorum morborum curatione, amplius opportunè arripi nequeat, id pręsertim verificatur in eligenda temporis, quo euacuandum sit, opportuna occasione, de qua interim agendum est, & videndum à quo indicetur. Verùm cum quispiam in medēdi methodo parùm versatus, & ductus quibusdam Hipp. & Gal. auctoritatibus malè intellectis euacuandi opportunitatem à morborum temporibus indicari existimare posset, ideo, vt omnis amoueatur difficultas, considerandum in primis est, an morborum tempora indicādi facultatem habeant, & qua ratione considerari debeant.

Quod tempora morborum indicent ostenditur auct. Hippoc & Gal.

Et quòd morborum tempora indicare possint, colligitur ex Gal. lib. de opt. secta ad Trhasyb. cap. 13. vbi ait, tempus etiam oportere animaduertere: alia namque incipientibus morbis auxilia adhibentur, alia vigentibus. Incipientibus enim, si quid videtur mouendum, moue, vigentibus quietem agas, pręcipit Hipp. Et phlegmonę incipienti quidem reprimentia adhibemus, post id autem cataplasmata, & illapsam materiam dissipare valentia.

Et clarius lib. de totius morbi temporibus cap. 2. Gal. ex Hipp. mente morborum tempora pręsertim in euacuationum occasione arripienda summopere conferre docuit dicens, tempus, quod morbi principium nominant, ad pręsidia ferenda mirum in modum conducere. Ac Hipp. huc respiciēs 2. aph. 29. inquit, incipientibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, consistentibus verò pręstat conquiescere. Similiter 2. aph. 30. illud dixit, circa principia, & fines omnia imbecilliora sunt. Quin etiam 1. aph. 22. de purgatione scriptum reliquit, cocta purgare conuenit, & mouere non cruda, neque in principio: nisi stimulauerint. Ad hęc 1. aph. 24. in morbis acutis rarò in principijs vtendum purgationibus. Multa insuper alia partim Hipp. partim alij medici omnes veteres memoriæ prodiderunt. Hęc Gal. quibus apparet, quam uim habeant morborum tempora in indicanda euacuationum opportunitate.

Ratio Gal. ostendens morborum tēpora non indicare.

Quòd si ex altera parte non recedentes à Gal. doctrina lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. pręsertim 45. vsi fuerimus hoc argumento ad ostendendum morborum tempora non indicare remedia, quoniam videlicet quicquid indicat, vel sui conseruationem, vel sui ablationem indicat, at dicere tempora hęc indicare sui conseruationem esset prosus ridiculum, sed neque indicare poterunt sui ablationem, quia ablatio fit per contraria, ergo si indicarēt euacuationem, vt auferentur, sequeretur euacuationem esse contrariam morborum temporibus, quod non est asserendum, tū quia contraria sub eodem genere posita maximè inter se distant, tum quia vnum duobus contrariaretur, euacuatio nempe esset contraria nedum redundantię, sed etiam ipsis temporibus, quare morborum tempora nullo pacto indicabunt.

Infirmatur ratio prædicta.

Si inquam hac ratione arguerimus, verissimumquidem argumentum propo-

suisse

fuisse videbimur, sed tamen tale, quod non omnino ostendat morborum tempora indicare minimè posse quando agendum in euacuationibus. Nam aliud est indicare remedium, aliud indicare remedij rectam administrationem. Cum itaque ex Hipp. pręscripto 2. aphor. 29. habeamus: in principijs morborum, si quid tibi videtur mouendum, moue, vigentibus verò quietem agere melius esse: profectò ex hoc colligere licet tempora morborum nos docere quando euacuandum sit, & quando ab euacuatione desistendum.

Altera Galen. ratio idē demonstrans.

Et rursus si vtamur altero Galen. argumento desumpto ex 4. method. 4. quo ipse vsus fuit aduersus Thessalum dicens se à tempore in nullo morbo curationem vnquam inuenisse, sed ab ipso, quem sanandum sibi proposuit, affectu. Prorsus enim si tempus spectabitur, tanquam ab eo indicatio sumatur, alteram omnino secundus, alteram tertius dies indicationem dabit: ad eundem modum & quartus alteram à quinto, & ab his omnibus sextus, & reliqui singuli, qui post ipsos. Quod quidem argumentum optimè probat aduersus Thessalum in curatione vlcerum diuturnorum indicationem non esse sumendam à tempore. Non enim profectò, vbi à malis succis vlcere affecta pars eroditur, diuersam ex eo, post quattuor menses indicationem sumemus ab ea, quam statim ab initio sumpsimus. Attamen argumentum hoc non concludit vniuersaliter in curatione omnium morborum tempora non indicare: quando certum sit etiam ex Gal. sententia lib. artis medicę cap. 85. & ex Hipp. 2. aph. citato alijs alio tempore morbos egere auxilijs. Quod docuit etiam lib. de opt. secta ad Trasyb. cap. 13. Quare non solum argumentum à Gal. allatum non concludit intentum, sed etiam sibi contradicere videtur.

Contrapræ dictam rationem arguitur.

An dicendum est morborum tempora (propriè sumpto indicationis nomine) nusquam indicare posse quando agendum, idest quando euacuandum sit. Cum etenim euacuandi occasio indicetur à pręsentia eius, quod euacuari debet, vt sequenti capite ostēdemus, ergo non poterit indicari à morborum temporibus, vnum enim semper ab vno per se indicatur. Ex quo patet Gal. argumentum primo loco propositum optimè concludere. Nam si ex eiusdem sentētia lib. artis med. cap. 85. tēporis occasio non videtur esse tertium aliquod diuersum à qualitate, & quantitate pręsidij, quia si tali, & tanta re oblata eget corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore opportuno offerri debeat, ergo si morborum tempora, neq. qualitatem, neq. quantitatem euacuationis indicant, quoniam genus nimirum euacuationem non indicant, vt ostēsum fuit, neq. igitur euacuationis occasionem indicare poterunt, cum non sit quoddā tertium à qualitate, & quantitate euacuationis diuersum, aut saltem in eis contineatur eo modo, quo libro primo cap. 18. declaratum fuit.

Difficultatis determinatio.

Gal. primā rationem optimè concludere.

Posterius autem Gal. argumentum non concludit vniuersaliter, & notauimus quando certum sit alijs alio tempore morbos sępe egere auxilijs: non tamen sibi contradicit Gal. quoniam contrariæ propositiones vniuersales sunt vtręq. falsę, sub contrarię vtręq. verę cum sint in materia contingenti. Falsum enim est affectus omnes alijs alio tempore indigere remedijs, quemadmodum falsum etiam est, nullos affectus diuersa diuerso tempore expostulare auxilia: verum autem est, quosdam diuersis temporibus diuersa, quosdam diuersis temporibus eadem semper requirere pręsidia. Per exemplum febris quatenus febris est, quocunque tempore refrigerātia requirit, & nullum tempus est, in quo refrigerantibus non egeat, at causa febrem efficiens alijs tempori-

Alterā Gal. rationem non esse vniuersalē.

bus

bus alia remedia indicat, cum quodam tempore euacuantia, alio alterantia postulet.

Respondetur Hipp. & Gal. auctoritatib. quibus probabatur tēpora morborum indicare.

Quòd si Hipp. 2. aph. 29. & alibi, atque Gal. tum lib. de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 13. tum lib. de totius morbi temporibus cap. 2. morborum tempora ad ostendendam euacuationum opportunitatem magnam vim habere dixerunt, non tamen inferendum ea indicare quando euacuandum sit, & quando ab euacuatione desistendum; nisi solùm ea ratione, secundum quam connumerantur inter reliqua communia indicantia, quæ ideo indicare dicuntur, quia eorum consideratio necessaria est pro exacta curatione morborum, quæ tamē cum de se nihil indicent, sed tantummódo de alio, idcirco ea à verè, & propriè dictis indicantibus excluduntur, vt ostensum fuit lib. 2. cap. 23. Cum itaq. morborum tempora de se nihil indicent, neque videlicet vt conseruentur, neq. vt auferantur, hinc est, quod diximus ex Gal. mente ea propriè, & per se non indicare euacuationis occasionem, sed solùm per accidens, & tanquam signa, quatenus scilicet docent virium statum, quæ sanè vires cum validę sunt, euacuationem permittunt, quando sunt debiles prohibēt; quare si tunc tantùm euacuantia remedia conueniunt, quando indicans præsens est, prohibens verò nullū, & inter prohibentia connumeretur præsertim virium languor, atque morborū tempora doceant statum ipsarum uirium, ergo ea solùm de causa indicare dicuntur, quando euacuandum sit, aut ab euacuatione desistendum, quia demonstrant vires vel permittere, vel prohibere euacuationem ipsam.

Cur in principijs morborum euacuandū sit, vigentibus verò quiescendum.

Vnde Hipp. 2. aph. 29. dixit, in principijs morborum, si quid tibi videtur mouendum, moue; minimè verò dum consistunt, quia, vt interpretatur Galen. in com. inter morborum initia virtus est valida, nec à morbo, symptomatibus ve fatigata, quando, vt docuit idem Hipp. sequenti aphorismo, in quo antecedentis causam reddere videtur, circa principia, & fines omnia symptomata sint imbecilliora: existente autem virtute valida, & euacuationem perferre valente, si quid videtur mouendū, mouere debemus, vt minor facta materia, quod reliquum est, natura facilius possit concoquere: secus accidit in vigore morbi, tum quia virtus fatigata est à morbo, & symptomatum vehemētia, tum quia intenta est concoctioni materiæ morbificę, quare non est euacuantibus pręsidijs amplius debilitanda, & distrahenda.

Non itaque Hipp. morbi initium propositum sibi faciens, tunc admouenda remedia pręcepit, quia tempora morborum occasionem indicent, sed ab initio nondum vires infirmas esse significatur, posseq. eas inanitionem ferre conijcitur; at morbi summus impetus facultatis imbecillitatē manifestat: tunc enim causæ valentes sunt, facultas verò languida, atque ideo quiescere iubet, vt optimè docuit Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 40.

Et si incipienti inflammationi reprimentia adhibemus, vt ait Gal. non tamen ab inflammationis principio, sed ab humoribus ad affectam partem fluere incipientibus indicantur.

Soluitur altera Hipp. auctoritas.

Illud autem Hipp. 1. aph. 22. Concocta purgare conuenit, & non cruda, neque in principio, non ostendit morborum tempora indicare quando euacuandum, sed solùm nos admonet Hipp. materię morbificæ cruditatem prohibere euacuationem ipsam, quam sanè cruditatem adesse morborum initium manifestat, quare per accidens, & tanquam signum indicare dicitur, quatenus scilicet nos edocet crudam esse materiam morbum facientem, & ideo euacuationi ineptam.

Denique

Denique nec ex 24. primæ sectionis aphorismo rectè colligitur tempora morborum indicare. Siquidem non sunt morborum initia, quæ indicent rarò in acutis morbis medicinis purgantibus vtendum esse, & maxima cum præmeditatione, sed multa alia sunt, quæ suspectam, & periculosam reddunt purgationem in initijs acutorum morborum fiendam, vt videre licet apud Gal. in commento illius aphorismi, quæ referre non oportet, cum non faciant ad rem præsentem. Hæc etenim consideranda sunt, vbi agitur de purgatione ex professo, interim autem loquimur solùm de euacuatione in genere, cuius nec qualitatem, nec quantitatem, nec occasionem indicare possunt morborum tempora, licet eorum consideratio necessaria sit, & insinuent quando euacuādum, eo tamen, quo declaratum fuit, modo.

Declaratur alia Hipp. auctoritas.

De opportuno euacuandi tempore. *Cap. XXIV.*

MVlta de agendorum opportunitate precedenti lib. cap. 35. tradita fuere, sed si vnquam diligens medicus acri iudicio opus habet, vt agendi occasionem angustissimam, & breuissimi temporis opportunè arripere possit, eo præsertim eget in eligendo, non dicam, die, sed sepe hora, ac interdum, penè dixerim, momento, quo euacuatio administrari debeat, quando ex opportuno euacuandi tempore elapso, aut ex intempestiuè administratis euacuātibus prȩsidijs, prȩcipue dum ægrotans acuto afficitur morbo, certum exitium sȩpissime immineat. Vnde Hipp. 4. aph. 10. in acutis eadem die medicari oportere admonuit, si materia turget: tardare enim in talibus malum est.

Euacuandi opportunũ tempus esse maximi momenti.

Quapropter vt opportunum euacuandi tempus cognoscere valeamus, hȩc sedulò consideranda, & examinanda sunt. Quȩnam videlicet sint indicantia, & quȩ prohibentia euacuationis opportunitatem. Secundo loco determinandum quando euacuatio tota naturȩ permittenda sit, & quando medicus debeat euacuare. Tertio quȩrenda est causa, cur, cum medicus sit naturæ imitator, sȩpissimè euacuationem aggrediatur inter morborum initia, licet natura nusquam rectè euacuet in morborum principijs. Et denique contemplandum, an sit aliqua euacuatio, quæ quocunque tempore indifferenter administrari possit.

Quænam consideranda sint pro opportunitate arripienda.

Opportunum itaque euacuandi tempus indicatur à prȩsentia eius, quod euacuari expostulat: tunc enim euacuationes tempestiuè fiunt, cum id, quod contristat, expellitur, sicuti ait Gal. lib. de diff. sympt. cap. 6. quod adeo clarum est, vt à nemine etiam rerum medicarum ignaro in dubium verti possit. At ex Gal. sententia lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 35. & 38. non solum remedia adhibenda sunt, quando indicantia sunt prȩsentia, sed etiam requiritur prohibentium absentia.

A quibus indicetur euacuandi occasio.

Porro prohibentia euacuationem duo prȩcipua sunt, nimirum virium languor, & materiȩ morbificȩ cruditas, virium quidem imbecillitas quascunque euacuationes prohibet, materiæ verò cruditas eas tantum, quæ sunt humorũ à sanguine diuersorum. Siquidem Hipp. 1. aph. 22. concocta non cruda mouenda esse docuit, ommissa interim ea disputatione, an tenues, serosi, & aquosi humores coctionem requirant, quemadmodum etiam neque quȩrendum est, an crudis existentibus humoribus conueniat venæ sectio, quoniam hȩc, & similia

Euacuationem prohibentia sũt duo præsertim.

considerari debent proprijs tractatibus de venę sectione, & purgatione.

Alia, quæ euacuationem prohibent.

Rursus inter prohibentia euacuationem multa alia connumerantur, videlicet temperamentum, ætas, corporis habitus, consuetudo, anni tempus, cęli status, regio, & huiusmodi, horum tamen non memini, quia ea solum ratione euacuationem prohibere dicuntur, quatenus vel vires debiles ostendunt, vel reddunt, vt supra cap. 4. satis, superq. ostensum fuit. Concludamus igitur opportunum euacuandi tempus indicari à pręsentia eius humoris, qui morbum facit, aut facturus est, dummodo tamen nullum adsit prohibens. Quæ omnibus nota, & conspicua sunt, at quæ sequuntur obscuriora existunt, & ideo longiori, & maiori declaratione indigent.

Solet interdum natura sponte agens peccantes humores expellere, sępe verò præ imbecillitate, aut quauis alia de causa seu impedita, seu distracta nullā euacuationem aggreditur. Et denuo si expellit, vel perfectè, & integrè mouet, aut mediocriter, & deficienter id præstat. Vnde necessarium est, vt medicus exactè cognoscat, quando euacuatio sit tota naturæ permittenda, & quando ipse euacuare debeat. Id docet Hipp. & cum eo Galen. 1. aphor. 20. Quę iudicantur, & iudicata sunt integrè (inquit Hipp.) neque mouere, neq; nouare aliquid, siuę medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. Quòd si natura in euacuando deficiat, id, quod deficit, oportet adiungere, vt inquit Gal. in com. insuper si natura nullo pacto moueat, moue tu hora motus eius, vt nos admonet Auicenna lib. 9. fen. 1. tract. 2. cap. 7. Quæ sanè omnia contemplari oportet ea ratione, vt cognoscere valeamus quando euacuandum sit, & quando ab euacuatione desistendum.

Quando totum opus naturæ sit permittendum.

Dum igitur morbus integrè vel iudicatur, vel iudicatus est totum opus naturæ permittere oportet, & nihil mouendum, aut nouandum: sed neque dum crisis speratur, quicquam tentare debet medicus. Quocirca, ne intempestiuè, & magno cum vitę ægrotantis discrimine euacuatio administretur, necessarium est, vt cognoscat crisim futuram, & imminentem, quę adhuc fit, & quæ iā facta est. Nam in nullo istorum casuum quicquam à medico tentandum est, ne natura à proprio munere distrahatur, sed solùm instituta conuenienti victus ratione, naturæ opera spectare, & diligenter considerare debet, an perfecta sint. Non equidem imminente crisi vlla euacuatio à medico molienda est, ne naturam à concoctione, & à proprio certamine auertat, & eam, alioquin ob symptomatum vehementiam, & vigorem morbi debilem factam, imbecilliorem reddat. Qua de causa dicebat Hippocr. 2. aphor. 29. dum morbi consistunt quiescendum esse. Neque dum fit crisis, adiuuanda est natura, aut aliquid tentandum: imprudentis enim consilij fuerit, eam rectè operantem, vel impedire, vel adiuuando euacuationem copiosiorem, quàm conueniat, reddere. At fortasse maioris dementiæ est, perfecta crisi, ex totoque ablato morbo aliam tentare euacuationem, quod interdum facere solent nonnulli medici parùm in Hippocr. & Gal. doctrina versati, qui se nihil egisse credunt, nisi etiam finito morbo medicamentum purgans pręscribant, ex cuius inopportuna administratione sępe vidi ægrotantes periclitatos fuisse. Audiant igitur isti Hipp. ferè aphoristicæ doctrinæ oblitum, pluribus verbis, (cum paucioribus id pręstare potuisset,) adhuc clamantem, perfecta iudicatione, neque quicquam mouendum, neq; nouandum, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed quiescendum esse.

Quibus autem signis futuram, & imminentem crisim, & quando perfectè sit,

fit, aut facta est, cognoscere liceat, est alterius negotij, quando interim signa non contemplemur.

Crisis per abscessum facta, quando bona indicetur.

Noto circa crisim illam, quæ fit per abscessum, quòd licet non adeo tuta à Gal. iudicetur, quemadmodum ea, quæ fit per euacuationem, attamen si habuerit has conditiones, vt fiat concocta materia, & post concoctionem expulsa, erit bona, & integra iudicatio. Hinc Hippocr. 6. epid. 3. textu 11. inquit. Quicquid suppuratur, non reuertitur, ipsa enim maturatio, & iudicatio simul, & abscessus. Et Galen. in commento inquit, si materia concocta fuerit, & concocta fuerit expulsa, firmam morbi iudicationem fuisse, neque hominem denuo ægrotaturum spera. Quapropter neque post huiusmodi iudicationem, si perfecta censebitur, quicquam à medico mouendum, nouandumque erit.

Medicū euacuare debere, dum natura deficienter mouet.

Quòd si natura in mouendo, & euacuando materiam peccantem deficiat, id, quod deficit, oportet adiungere. Nam quæ relinquuntur in morbis post iudicationem recidiuas facere consueuerunt, inquit Hipp. 2. aph. 12. Cum igitur cognouerit medicus morbum non perfectè, & integrè iudicatum esse, tūc, quæ superfluitates in corpore remanserunt, eas euacuandi tempus opportunum erit. Cum etenim natura præ imbecillitate finem operi imponere nequit, nostris auxilijs indiget, vt asserit Galen. lib. de venæ sectione aduersus Erasistratum cap. 4.

Qua ratione humorū reliquias relictas esse cognoscere liceat.

Quicquam autem peccantium humorum in morbis post iudicationem relictum fuisse cognoscemus præsertim ex siti, oris exsiccatione, insuauitate, & inappetentia, vt docuit Hipp. 6. epid. 2. tex 20. Hæc etenim omnia sunt symptomata aliquid intus reliquiarum morbi relictum fuisse ostendentia. Et licet Galen. in commento dicat aliquid relinqui in morbis bifariam intelligi posse, vno quidem modo humorem morbi auctorem, altero autem morbosum affectum, & Hippocr. nunc morbosi affectus intus relicti signa explanasse: credere tamen symptomata hæc posse etiam demonstrare aliquid humorum morbos facientium remansisse. Vnde idem Hippocr. 2. aphor. 8. dicebat, dum quis à morbo conualescens, & cibum non assumens, idest non appetens non corroboratur, scire oportet eum indigere euacuationę. Illud tamen diligenter animaduertendum est, an humorum peccantium reliquiæ, an solus morbosus affectus remanserit: nam hic non euacuationem, sed viscerum alterationem, & roborationem indicat, illæ autem euacuationem expostulant. Quemadmodū igitur summè malum iudicatur, post crisim perfectam euacuationem aliquam tentare, ita siquicquam in morbis relictum fuerit, omnino præter rationem erit, humorum reliquias tunc temporis non euacuare, & in quo natura deficit, non supplere.

Mouēdum eo tempore quo natura mouere cōsueuit.

Veruntamen si natura non mouet, moue tu hora motus eius, vt inquit Auicenna, quod elegantius à Gal. lib. de venę sectione aduersus Erasistratū cap. 4. traditum fuit. Si ipsa, (inquit,) nihil penitus mouet, id quod quandoq. morbosum causarū vehementia superata patitur, tum ego illud omne suggerere enitar. Tunc autem natura mouere solita est, quando concocta, & euicta est materia morbifica, & à bono separata. Qua de causa dixit Hippocr. primo aph. 22. concocta medicari, atque mouere oportere, non cruda. Vnde si materiam iam concoctam natura non moueat, tunc erit euacuandi opportunum tempus, vt naturam imitemur, quæ, vt docet Galen. tum 4. aphorism. 22. tum in commento præcitati aphorismi, solet post concoctiones, & humores

discernere, & superfluitates expellere; quo in tempore fiunt iudicationes. Cum itaque natura perfectè mouet, nullo medicamento opus est; cum mediocrius, aut imbecillius agit, id, quod deficit, oportet supplere; cum nullo modo mouet, mouendum est eo tempore, quo ipsa mouere consueuit.

Notandum

Noto ex Gal. 4. aph. 1. Hipp. verbo, *medicari*, pro purgare medicamento, vti consueuisse. addidit autem aph. 22. citato, *mouere*, quod generalius est, quàm medicari. Nam mouere dicimus, non solùm dum purgamus, sed etiam dum peccantes humores, vel per sudorem, vel per vrinam, vel per balneum, aut aliquo alio pacto mouemus. Ex quo colligo, tunc opportunum esse euacuandi tempus, siue per vomitum, siue per aluum, siue per sudorem, siue per vrinam, siue quouis alio modo, (excepta euacuatione per sanguinis missionem facta,) quando concoctio humorum peccantium perfecta est, quia tunc natura rectè euacuare solet. Propterea Hippocr. vt omnes amplecteretur euacuationum modos verbo *medicari* addidit etiam *mouere*. Excepi autem euacuationem ab arte factam per sanguinis missionem, quia de hac non loquitur Hipp. cum neque concoctionem requirat, neq. in vigore, seu in vigoris fine, & declinationis principio, quando scilicet perfecta est humorum concoctio conueniat, sed alio tempore.

Dubitatio.

Cæterum libenter ab alio causam quærerem, cur, si Hippocr. docuit, concocta medicari oportere, Galen. 2. aphor. 24. dixerit, morbo autem consistente, cum iam natura concoxit, superfluum esse euacuare. His etenim verbis Hippocraticæ doctrinæ, quam ipse tanti facit, contradicere videtur.

Solutio.

An forsan dicemus Gal. nil aliud sibi voluisse, nisi quòd vigentibus morbis, & concocta materia superfluum est euacuare, quia tunc natura crisim tentare solet, quare tantisper expectare debemus, an natura euacuationem moliatur, cum autem certi facti erimus ipsam euacuationem non aggredi, tunc postea necessariò euacuandum erit, ne, quæ relinquuntur, recidiuas facere possint. Aut fortasse melius dicendum duplici de causa nos in morbis euacuare, vna videlicet, vt minor facta materia à natura facilius concoqui possit, quæ euacuatio inter morborum initia fieri debet: altera verò, vt reliquias materiæ iam concoctæ educamus, quod in fine morbi efficitur, si opus est. Concocta materia cessat prior euacuandi indicatio, de qua præsertim loquitur Hippocr. in eo aphorismo dicens, in principijs morborum, si quid tibi videtur mouendum, moue, & ad quam respiciens Gal. in commento dicit concocta materia cessare hanc indicationem, & ideo superfluum esse euacuare: posterioris autem indicationis non meminit, cum de ea primo aphoris. 22. iam actum fuerit.

Declarantur reliqua spectantia ad euacuandi opportunitatem.

Cap. XXV.

Natura in morborum principijs nusquã rectè euacuat quod tamẽ facit medicus.

QVattuor scitu digna proposita fuerunt ad opportunum euacuandi tempus pertinentia, quorum duo in antecedenti capite declarata fuerunt, reliqua igitur duo in præsenti contemplari oportet. Quærebatur itaque secundo loco, cur medicus, cum sit naturæ imitator, sæpe euacuet inter morborum initia, quando nusquam natura rectè euacuationem moliatur in morborum principijs, vt sensit Galen. 4. aphor. 22. vbi ait. Quando aliquis

incipit

incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ præter naturam sunt in corpore, dispositionū. Quo enim in tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis, siue iudicium. Hoc idem docuit etiam ipse Hippocr. primo epid. 2. tex. 45. & 46. inquiens. Coctiones iudicij celeritatem, salutisque securitatem significant: cruda autem, & concocta, ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel dolores, vel longitudinem, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. Et rursus hac eadem de causa 2. epid. 1. decernentia in melius non statim apparere debere affirmauit. Nam cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit humorum euacuatio. Cur itaque, si hæc verissima sunt, medici inter morborum initia, etiam ex ipsius Hippocr. decreto euacuant? 2. enim aphor. 29. in principijs morborum, (ait,) si quid tibi videtur mouendum, moue: vigētibus verò quietem agere melius est.

Difficultatis resolutio.

Artem interdum facere, quæ natura præstare nequit.

Respondendum arbitror artem esse quidem naturæ imitatricem, sed interdum facere quædam, quę vel à natura effici nequeunt, aut saltem non rectè fiunt: facit, quæ natura præstare nequit, dum luxatos artus, aut intestina in scrotum delapsa in suum locum reponit. Quæ autem à natura interdum fiunt quidem, sed nō rectè sunt euacuationes in morborum principijs, quas tamen ars maximo cum fructu sępe molitur. Rationem hanc esse existimo. Natura materiæ morbificæ copia, aut vehementia superata sępe neque in vigore, quando materia est concocta, vel non mouet, aut imperfectè mouet, & tunc artis auxilia implorat, ergo tantò minus inter morborum initia, vel à materiæ copia, vel cruditate, vel vtrisque aggrauata mouere poterit, & si mouebit, id erit symptomatis ratione. Nam hęc est naturę lex, vt primò concoquat, deinde secernat bonum à malo, & denique expellat. Quod vt facilius præstare valeat, iubet Hippocr. vt medicus, si iudicauerit opportunum, in principijs morborū euacuet, maximè quidem per venę sectionem, nonnunquam verò per purgationem, sicuti ait Gal. in commento, vt minor iam facta materia facilius possit concoqui, & euinci à natura. Tutius autem est id facere ab initio, quando natura est valida, ita vt euacuationem perferre possit, quàm in augumento, & statu, in quibus temporibus natura incumbit validius concoctioni materię morbificæ, & à symptomatū, ac morbi vehementia fatigata est: non igitur est tunc temporis distrahenda, & imbecillior reddenda. Quapropter ars interdum imitatur naturam, dum videlicet concocta materia mouet, natura vel imbecilliter operante, vel nulla ratione id facere potente: interdum verò minime eam imitatur, sed potius impedimenta remouet eam exonerans, vt, quod remanet, facilius euincere, & concoquere valeat.

Cur in initijs morborum euacuandum esse iubeat Hippocr.

Quare ex dictis colligere licet euacuandi tempus opportunum esse, vel in initio, vel in fine morbi, in augumento autem, & statu cauendum ab omni euacuatione. Quæ sanè est Hippocr. doctrina, vt ex dictis liquet, in principio quidem dum ait, cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue; in fine verò dum inquit, concocta medicari, atque mouere oportere non cruda.

Quando sit euacuandi tempus opportunum ex Hipp.

Quæ si vera sunt, ergo nulla dabitur euacuatio, quæ quocunque morbi tempore indifferenter administrari possit, quod vltimo loco quęrendum proposuimus.

Quocunq. morbi tempore posse mitti sanguinẽ quidam putarunt Gal. auct. moti.

posuimus. Attamen existimarunt nonnulli quocunque morbi tempore nos posse mittere sanguinem per sectam venam moti Gal. auctoritate libr. de curat. per sang. miss. cap. 20. vbi ait. Quocunque enim die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, eo auxilium illud adhibeto, etiamsi vel vigesimus ab initio extiterit. Et 9. meth. cap. 5. loquens de curatione febrium continentium inquit. Optimum igitur factu est, (id quod nos semper in re quaq; facere vidisti,) statim non numero dierum, sed vni virium robori in febribus eius generis attentum esse: quippe quod si seruatum est, non solum sexto, septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus. Nec defuerunt etiam, qui aduersus Hippocr. doctrinam arbitrati sunt, tutius esse purgare in vigore, & augumento, quàm in principio, quando in istis temporibus appareant coctionis signa, minimè verò inter initia: ergo quocunque tempore licebit, tum venam secare, tum purgare.

Absurda quorundã opinio tutius esse purgare in augumẽto, & vigore.

Reijciũtur prædictę opiniones.

Pro exacta huius rei determinatione multa dicenda forent, quæ quoniam ad præsentem tractatum non pertinent, sed ad eum, in quo agitur ex professo de venę sectione, & de purgatione. Propterea his omnibus prętermissis solùm dico existimare quocunque morbi tempore posse medicum tutò, vel purgare, vel sanguinem mittere esse peruertere Hippocr. & Gal. doctrinam, qui, vt ex hucusque dictis patet, secus senserunt. Insuper frustra agendorum occasionem pręcipitem, & ferè momentaneam vocarent, circa quam plerunque medicos non modo vulgares, sed etiam pręcellentes aberrare videmus, (id quod pręsertim de eligendo opportuno euacuandi tempore intelligi debet,) si quibuscunqne temporibus euacuare liceret.

Quid determinandum sit, & quòd non omni tempore euacuationes conueniant.

Existimarem igitur tunc tantùm esse euacuandi opportunum tempus, quando indicantia euacuationem sunt præsentia, prohibens verò nullum adest, sed in principio, & in fine, non autẽ in augumẽto, & vigore morbi indicantia sunt pręsentia, & prohibentia absunt, ergo ijs temporibus pręsertim euacuandum esse docuerunt tum Hippocr. tum Gal. Maior propositio verissima est, & à nemine in dubium verti potest: præcepta siquidem medica quo à praxi remotiora sunt, eo magis vera, imo semper, & necessariò vera existunt. Est autem hoc vniuersalissimum præceptum, tunc euacuandi esse opportunum tempus, quando euacuationem expostulantia præsentia sunt prohibens verò nullum adest. Minor propositio vera est vt plurimum, non autem in omnibus, & necessariò, quia vnumquodque præceptum dum ad praxim deducitur, patitur aliquam difficultatem, quoniam versatur circa ea, quæ possunt aliter sese habere, nimirum circa particularia. Non etenim medicatur homo communis, sed nostrum quisque. Quare etiam si pręsertim, licet non semper, sed vt plurimum euacuandum sit in morborum principijs, & in eorundem vigoris fine, aut declinationis principio ob adductas rationes; quędam tamen interdum occurrere possunt, ratione quorum in morbi augumento, & in vigore euacuandum omnino sit, dum videlicet ijs temporibus indicantia præsentia erunt, & nullum prohibens impediat, ad quæ semper, tanquam ad veros scopos respicere debet medicus, vt cognoscat, quando euacuandum sit. Sed quoniam rarò admodum contingit, vt in augumento, & in vigore adsint indicantia sine prohibentium præsentia, in principio verò, & in declinatione vt plurimum, ergo istis temporibus præcipuè euacuare debemus, in illis verò aut nunquam, aut rarò: nunquam quidem ratione morbi pręsentis, dum à principio debitæ euacuationes factæ fuerint: rarò verò si vel medici incuria, aut quacunque

alia

alia de cauſa à principio factæ non fuerint euacuationes conuenientes tum ſecundum qualitatem, tum ſecundum quantitatem, aut ſi tanta adſit materiæ copia, quæ tota ſimul concoqui nequeat, ſed paulatim tum concoqui, tum excerni debeat: aut rurſus ſi ſuperuenerit aliquis alius morbus, vel ſymptoma, quod euacuationem requirat.

Declaratur Gal. auctoritas.

Et ad Gal. auctoritatem dico eum laudare venæ ſectionem nedum ſexto, vel ſeptimo die, ſed etiamſi interdum vigeſimus ab initio extiterit, dummodo tamen adſint indicantia, & abſint prohibentia, non quia exiſtimauerit venæ ſectionem eſſe præſidium, quod indifferenter, & quocunque morbi tempore adhiberi poſſit, ſed, cum ad indicantis præſentiam, non autem ad dierũ numerũ, quando iſte non indicet, reſpiciendum ſit, vt euerteret eorum opinionem, qui numero dierum addicti non audebant ſecare venam vltra quartum diem, iure dixit in ſanguinis miſſione dierum numerum minimè primum attendendum eſſe, ſed ſcopos mittendi ſanguinis, quando enim iſti ſunt præſentes, ſemper ſanguis mitti debet, ſi verò non aderunt, aut vires prohibebunt, etiam ſecundo à principio die à vena ſecanda abſtinebimus.

Cum itaque vt plurimum inter morborum initia adſit virium robur, ergo tunc temporis præſertim inſtat euacuandi occaſio, ſiue per venæ ſectionem, ſiue per purgationem, ſi opus erit. Verum quoniam prius exoluitur temporis tractu in pleriſque morbis virtus, idcirco & mittendi ſanguinis, & purgandi occaſio dierum numero deperditur, non tanquam primario id dies efficiant, ſed re aliqua intercedente, nempe virium diſſolutione: ergo ſi cuipiam ab initio ſanguis miſſus non fuerit, aut in ea quantitate, quæ ſufficiens non iudicetur, etiamſi morbus progreſſus ſit, dummodo tamen indicantia perſeuerent, & non adſit prohibens, ſanguis mittendus erit, aut etiam, ſi opus fuerit, purgandum.

Concluſio.

Quapropter concludendum eſt, nullam reperiri euacuationem, quæ indifferenter quocunque morbi tempore adminiſtrari poſſit, ſed ſtudioſè admodũ attendenda eſt occaſio, quæ ſæpe anguſtiſſima eſt, & breuiſſimi temporis, quęque non à dierum numero, ſed ab indicantis præſentia, & prohibentis abſentia deſumi debet. Valeant igitur, qui ex Gal. auctoritate malè intellecta moti, & ad pauca reſpicientes quocunque die ſanguinem mittunt, & mitti poſſe credunt: aut in augumento, & vigore morbi potius, quàm in principio purgandum eſſe dicunt. Ignorant ſiquidem veram, & Hippocraticam medendi methodum à Gal. illuſtratam.

Notandum eſt hucuſq. tradita de euacuantium pręſidiorum opportunitate, cum ex huiuſmodi remedia poſtulantium pręſentia, & prohibentium abſentia opportunũ eſſe euacuandi tempus in communi doceãt, deſcribi, & certò ſciri poſſe. At cum requiratur etiam particularium auxiliorũ occaſionis cognitio, quãdo ars hæc verſetur circa particularia, atq. hæc particularis occaſio nedum ex prædictis, ſed ex multis alijs quoque reperiatur, quæ, quoniam particularia ſunt, & vniuſcuiuſque propria, neque ſcribi, neque certò ſciri poſſunt: ideo coniectura artificioſa opus habet medicus, vt cognoſcere poſſit, quo particulari tempore, quaue hora euacuantia remedia huic particulari ægrotanti adminiſtrari debeant. Exemplum habemus apud Galen. lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 38. quandoquidem in remiſſionibus potiſſimum remedia adhibentur, tunc enim, & poſtulans adeſt, & vires ferunt. Verum quoniã nõ idem remiſſionis ſpatium in omnibus reperitur, neque in eo omnes ad eundem

Particularem euacuantium occaſionem minimè deſcribi poſſe

modum

modum se habent, cum quidam cibo indigeant, alijs autem inedia conducat, & nonnullis somno ante euacuationem opus sit, atque ali j alio modo sint dispositi, quæ omnia scribi nulla ratione possunt, idcirco, cum remissionum spatia, quibus remedia adhibentur, non æqualia in omnibus sint, & conditiones absimiles, & symptomata diffidentia, in tãta varietate quam quis horę partem idoneum cuique auxilio tempus constituat, aut quod quis propositum describat, ex quo particulare tempus accipiat, tradi non potest. Attamen præsens medicus acri iudicio pręditus omnia probè perpendens, & vniuscuiusq. vim tam in indicando, quàm in prohibendo ad vnguē cognoscēs ex præsentibus, & auxilia requirentibus permotus, & ex potentium impedire absentia, atq. ex remediorum adhiberi debentium consideratione, singularium euacuandi temporum coniecturam capere poterit.

De vitio humorum secundum motum. Cap. XXVI.

EXpeditis ijs omnibus, quę ad qualitatem, & quantitatem euacuationis, atque eiusdem rectam administrationem pertinebant, quo pręsidio, vt ostensum fuit, tollitur humorum vitium secundum substantiam, & quantitatem, nunc eorundem peccatum secundum motum (quando hoc quoque sępe euacuatione auferatur, vt ex dicendis manifestum fiet,) considerare operę pretium esse duxi. Sic enim recta docendi ratio expostulare videtur, vt declaratis ijs vniuersalibus pręceptis, quæ ad euacuationem simpliciter spectant, de ijs sermonem habeamus, quę non amplius simpliciter euacuationem respiciũt, sed quatenus est tum reuulsorium, tum deriuatorium remedium humorum vitiosum motum compescens. Nam licet alia remedia humorum affluxum corrigere possint, quæ omnia sedulò considerabuntur, attamen euacuatio inter eas primas tenet, cum sit remedium magnum, vt Gal. lib. de curandi rat. per sang. miss. cap. 11. validum sanguinis fluxum missione sanguinis tanquam pręsidio non vt euacuatorio, sed vt reuulsorio se curasse glorietur.

Poriò humorum vitium secundum motum, seu eorum fluxio præter naturam est indicans genericum, quod nil aliud indicat, nisi remedium hanc fluxionem, & motum compescens. Propterea, vt quid agendum specificum cognoscatur, indicans, & indicatum diuidere oportet, quousque deuenerimus ad ea indicantia, quæ vtile, & determinatum pręsidium nobis insinuent.

Motus vitiosus humorum duplex.

Si itaque de humorum motu sit sermo, dico humores secundum motum peccare, vel quia indecenter fluunt ad aliquam partem, vel quia immodicè euacuantur, vt dum exempli gratia sanguis immoderatè ab aliqua corporis parte fluit. Et rursus vitiosus humorum motus efficitur, aut transmissione, aut attractione, & vtcunque considerare debemus naturam fluentis humoris, terminum à quo, terminum ad quē, & vias per quas fluit. Amplius si fluxio fiat motu transmissionis, terminus à quo esse potest, vel vniuersum corpus, ita vt pendeat ex totius corporis affectu, vel pars vna determinata, aut etiam plures, quæ quidem partes aliàs vt copia superuacuum, vel vt qualitate molestũ, aliàs vtroq. nomine succũ propellunt: si autem fiat motu attractionis, tunc quę partes attrahunt, vel morboso calore trahunt, aut quia dolent. Quocirca cum impossibile sit, vt humorum ad affectum locum fluxionem sistamus, nisi prius ipsius fluxionis causas inuenerimus, atque omnes iam ennarratæ sint vitiosi humorum motus causæ, quęnam earum adsint considerare oportet, vt opportunis præsidijs occurrere valeamus. Quę omnia ex Gal. 13. meth. cap. 3. & 6.

Enumerãtur causæ vitiosi humorum motus.

colligere

colligere licet.

Quatenus verò pertinet ad remedia humorum motum compescentia, hæc omnium medicorum consensu quadruplicia iudicantur, nimirum reuellentia, repellentia, deriuantia, & intercipientia, quibus tamen præsidijs causis omnibus humorum fluxionem efficientibus, quas enumerauimus, occurrere non possumus. Nam humorum copiæ, aut eorundem stimulanti qualitati, aut totius corporis affectui, aut dolenti, aut nimis excalfactæ parti, quæ sanè vitia inter humorum motus causas reposuimus, mederi nequimus, aut reuulsione, seu deriuatione, quatenus simpliciter reuulsio est, vel deriuatio, aut repulsione, aut denique interceptione. Quapropter vitijs istis, licet fluxionem causent, & necessario considerari debeant, attamen cum indicationes præbeant ab illis diuersas, quas humorum motus expostulat; & ideo etiam alia requirant præsidia, interim prætermissis, & alibi consideratis, solum de reuulsione, de repulsu, de deriuatione, & interceptione agere decreui, tanquam de ijs præsidijs, quæ proprie humorum confluentium impetum compescere possunt: atq; dicendum est, quid sit horum vnum quodque, à quibus indicetur, & qua ratione rectè administrari debeat.

Enumeratur remedia humorum motū compescentia.

De reuulsione quid sit, & à quonam indicetur. Cap. XXVII.

Reuulsio quoad nomen pertinet ab Hippoc. in principio libri de humoribus, & à græcis veteribus referente Gal. 5. meth. cap. 3. antispasis vocatur, idest retractio ad contraria; tunc enim humores ad affectam aliquam partem confluentes reuellere dicimus, dum eos ad contrarium terminum retrahimus, vt per exemplum, dum partes, quæ sursum sunt, fluxione tentantur, reuulsio deorsum agitur, ex aduerso partibus infernis affectis sursum retrahere expedit. Sic Hipp. 5. aph. 32. dicebat mulieri sanguinem vomenti menses superuenientes remedio esse.

Quocirca reuulsionem sic definire poterimus ex Gal. 5. meth. cap. 3. quòd sit humorum confluentium, vel confluendorum auersio ad contraria. Qua sanè definitio constat ex genere, & differentia: genus est auersio, quia reuulsio conuenit in hoc genere cū deriuatione, quando in vtraque fiat humoris auersio ab affecta parte; differunt autem, quoniam deriuatio fit ad proxima, reuulsio vero ad contraria. Auertitur, inquit Gal. sanguis, atque ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus. Illud parocheteusim, hoc antispasin græci vocant.

Reuulsio quid sit.

Quòd si reuulsio dicitur auersio, seu retractio, erit igitur remediū, quod mediante motu operatur, quare aliquid mobile retrahendo mouebit, id autem sunt humores tum præter naturam confluentes, tum confluendi ad aliquam partem; qua de causa in definitione dictum fuit, eam esse auersionem confluentium, vel confluendorum humorum. Et quatenus pertinet ad humores, qui actu mouentur ad affectum locum, quòd isti retrahendi sint, docuerunt Hipp. & Gal. mille in locis, quorum tamen vnum, vel alterum in medium adducere liceat. Hipp. igitur 6. Epid. 2. tex. 29. reuellendum esse dixit, si quò non oportet, humores vergant. Et Gal. 4. meth. 6. ait si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus. Quòd verò confluendi humores pariter reuellendi sint, est doctrina Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. vbi iubet easdem secari debere venas in præseruatione, quæ in fluxio-

Reuulsio respicit fluētes, & fluxuros humores.

num initio secari solent. Et iure quoniam eodem remedio, & actu fluentes, & qui fluxuri sunt, humores ad affectam partem, ab eadem reuelli debent.

A quo indicetur reuulsio.

Ex qua reuulsionis definitione colligere licet, à quonam ipsa indicetur. Nam si nil aliud est, quàm ad oppositum terminum humorum retractio, ergo indicabitur ab humoribus præter naturam fluentibus, aut ad fluxionem paratis, quatenus respiciunt terminum affectæ parti oppositum, vt videlicet ad ipsum retrahantur. Et iure merito, nam dum vnunquodque sanitatis limites egressum est, si ad pristinum statum reduci debet, necessarium est, id fiat modo contrario, quando contrariorum contraria sint remedia, ergo quoties humores, quicumque ij fuerint indecenter, & præter naturam mouentur ad aliquā partem, aut ad motum parati sunt, aut immodicè euacuantur, vt motus iste compescatur, aut prohibeatur, contrario motu ei occurrendum erit, retrahendo videlicet eos à termino ad quem fluunt, aut fluxuri sunt, ád terminum illi oppositum.

1 Difficultas ex Hipp quod reuulsio debeatur etiam fluxis humoribus.

Cæterum difficultas suboritur ex duabus Hipp. auctoritatibus, quibus probari posse videtur reuulsionem non solum fluentibus, aut fluxuris, sed etiam iam fluxis humoribus conuenire. Prior auctoritas est 4. Acutorum 30. vbi loquens de anginæ curatione iubet, vt ceratum tum collo, tum capiti circūponatur, & partes illæ lanis circumuoluantur, mollibusque spongijs ex aqua calida expressis foueantur. Cuius rei reddit causam Gal. in commento dicēs ad exteriorem superficiem reuellere oportere, circumpositis collo, quæ attractoria polleant facultate, medicamentis.

2 Difficultas.

Altera auctoritas est 5 aph. 68. Dolenti (inquit) partem capitis posteriorem in fronte recta vena incisa prodest, quod sanè remedium Gal. in commento vocat euacuationem cum auersione, & id reponit inter reuulsionū species, cum dicat auersionem ad contraria fieri secundum longitudinem supra, & infra, secundum latitudinem â dextris, & à sinistris; secundum altitudinem verò ante, & retro. Et tamen ibi Hipp. loquitur de reuulsione facienda dolente capitis posteriori parte quocunque modo, id contingat, idest siue fluant, siue fluxi sint humores.

Istis auctoritatibus respondendum arbitror, nusquam reuulsorium remedium posse ad contraria attrahere fluxos, & impactos affectæ parti humores, sed solùm, vt dictum est, eos qui fluunt, aut fluxuri sunt. Vnde Gal. lib. de cur. rat per sanguinis missionem cap. 19 dicebat in incipientibus inflammationibus auertere, quod influit, expedire, in inueteratis autem ipsum tantùm, quod affectæ parti infixum est, euacuare.

Respondetur primæ difficultati.

Quòd si Hipp. in anginæ curatione medicamenta attractoria facultate prædita collo, & capiti admouenda iussit, vt ad exteriorem superficiem reuulsio fiat, dico huiusmodi remedij genus posse quidem ad superficiem attrahere materiam, tum adhuc ad affectam partem fluentem, tum fluxam, sed reuera non esse præsidium reuulsorium, sed potius deriuatorium, cum ad propinqua trahat, quādo de ratione reuulsionis sit, vt longissimè à tentata fluxione parte, quod redundat, reuellatur. Et licet Gal. in commento illius contextus vsus fuerit nomine reuulsionis dicens, ad exteriorem superficiem reuellere oportere; attamen vel dicendum eum impropriè locutum fuisse, cum de nominibus minimè sit sollicitus, vel simile remedium esse quidem reuulsiuum ratione materiæ adhuc fluentis, & quatenus ab intimis ad exteriora reuocat, sed tamen esse locale præsidium, quod ad propinqua etiam reuellendo tra-

hit,

hit, vt infra capit. 32. declarabitur.

Alteri auctoritati ex 5. aph. desumptæ respondeo, venæ sectionem in fronte in doloribus partis posterioris capitis esse præsidium reuulsorium, neque ab Hipp. propositum fuisse, vt humores fluxos, & impactos, sed adhuc fluentes euacuaret, quod colligo tum ex ipsius loquendi modo, tum ex Gal. Ex ipsius quidem loquendi modo, cum dicat simile præsidium iuuare non autem curare, quia solum euacuat materiam fluentem, non fluxam, si autem fluxam quoque tolleret, non modo iuuaret, sed curare etiam posset. Ex Galen. autem idem ostenditur, quoniam in commento à simili infert in doloribus anterioris capitis partis ex occipite sanguinem missum iuuare: vnde diuturnas oculorum fluxiones sępè sanatas esse asserit ex partibus secundum occiput sanguine misso, vna cum cucurbitulæ vsu; loquitur igitur de humoribus fluentibus, non fluxis, dum vtitur nomine diuturnarum fluxionum. Et clarius libro de curandi rat. per sang. miss. cap. 19. colligitur simile remedium esse reuulsorium, & solum fluentes, aut fluxuros humores, minimè autem fluxos respicere, cum dicat incipientes, aut etiam vigentes capitis dolores, (sępè enim etiam dum viget dolor, cum eius proprium sit attrahere, confluit ad dolentem partem humor) per cucurbitulam in ceruice procuratā retractionem, interim quidem solam, interim cum scarificatione: eadem ratione incipientes in occipitio dolores, aut etiam vigentes incisam frontis venam iuuare. *Tollitur secũda difficultas.*

Cęterum auctoritates istæ infra magis declarabuntur, quando videlicet determinabitur quæstio illa, an semper ad partes maximè distantes reuellēdum sit, & quando etiam sermo erit de deriuatione. Interim autem nouisse sufficiat ex Hipp. & Gal. mente de ratione reuulsionis esse, quatenus reuulsio est, vt tantummodo fluentibus, aut fluxuris, nusquam autem fluxis humoribus conueniat.

De Vbi agendum, à quo indicetur, & proponuntur variæ difficultates circa id contingentes. Cap. XXVIII.

PAucis declarata fuit reuulsionis natura, & definitio, ex qua omnibus citra vllam controuersiam notum est, reuellentia præsidia in humorum motu præter naturam conuenire, & ideo ijs humores ad oppositum terminum retrahendos esse. At non adeò clarum est, qua ratione similia præsidia rectè administranda sint, cum multę, eęq; difficiles admodum dubitationes pręsertim circa vbi agendum se se offerant, quæ necessario solui, & enodari debent, vt, tanti momenti præsidium, cuiusmodi est reuulsio, quomodo rectè administrari possit, cognoscere valeamus. Vt itaq; quantum fieri potest, confusio euitetur, in primis dicam, à quo vbi agendum in reuulsione indicetur, atq; dubitationum capita circa id contingentia in præsenti proponam, vt deindè sequentibus capitibus certa methodo, ac ordine omnia explicari possint.

Vbi agendum in reuulsione indicari à situ partis fluxione tentatæ apertis verbis docuit Gal. 14. meth 8. dicens, quod autem in priapismo vomitorijs medicamentis potius, quam subducentibus sit vtendum, in linguæ vitio contra, id ex partium situ indicari manifestum esse. Nam auersionis in contrarium, (quæ ab Hippocrate antispasis dicitur) non à substantia, sed à curandi membri positu inuentio præstatur. Et maximo iure; ita sensit *Vbi agẽdum indicari à situ partis.*

Galen. quia cum ad contraria reuulsio fiat, non possumus cognoscere, quisnam sit iste terminus oppositus, ad quem reuellendum est, nisi ex situ affectæ partis, quoniam hoc cognito, ei oppositum terminum, ad quem retrahere expedit, cognoscemus. Qua de causa 5. meth. cap. 3. dicebat reuulsionem in ijs, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agi: sursum in ijs, quæ sunt infra: præterea à dextris ad sinistra, sicuti ab his rursus ad illa, similiter ex ijs, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt, contraque ab his ad illa. Et Hipp. 5. aph. 50. scripsit, si vel menses confertim eruperint, vel sanguis ab vtero quoquomodo profluxerit, sursum reuelles, cucurbitam maximam sub mammis defigens. Quare patet non solum ex istis, sed pene ex sexcentis, tum Hipp. tum Gal. auctoritatibus, vbi agendum in reuulsione desumi à situ partis, ad quam humores confluunt, aut per quam immodicè, & præter naturam euacuantur.

Quæ considerari debeant, vt reuulsio recte administretur.

Porrò, cum reuulsio à medicis instituta fuerit, vt hoc remedio humores ab affecta parte ad contraria auertant; & ideò sit remedium, quod mediante motu operatur, multa, vt rectè administrari possit simile præsidium, considerare debemus, nimirum mobile, originem fluxionis, partem fluxione tentatam, terminum, ad quem retrahere expedit, & denique vias, per quas mobile fertur. Nam istis omnibus perpensis, & diligenter examinatis solui poterunt omnes difficultates circa huius præsidij rectam administrationem contingentes, quādo auctores mordicus inter se contendentes in diuersas, & contrarias quoque opiniones inciderint. Cum autem interim sermo sit de vbi agendum, hæc enodanda erunt ad id pertinentia.

1 Difficultas circa vbi agēdum contingens.

Primò etenim, quatenus spectat ad terminum, ad quem retrahere conuenit, hic oppositus quidem esse debet parti fluxione tentatæ, vt docet reuulsionis natura, quæ est humorum ad contraria retractio; sed ambigitur, quisnam sit terminus iste, ad quem humores reuellendi sunt, & quid nomine contrarij intelligere debeamus.

2. Ad hęc determinandum, vtrum ad partes maximè distantes continuò reuellendum sit, an interdum ad proximas, cum pro vtraque parte adsint rationes, & auctoritates.

3. Insuper cum in reuulsione oppositio sit obseruanda, dubium est, an omnes oppositionis species, an quædam tantum seruandæ sint.

4. Præterea consideratione quoque dignum est, ac valde necessarium nouisse, dum fluxione tentatur pars, quæ plures oppositiones habeat, quænam ex illis sit seruanda.

5. Amplius cum per venas præsertim humores fluant, & per easdem reuellantur, & reuulsionem per venas communes fieri debere præceperit Galen. quid venarum communium nomine intelligendum sit, declarare oportebit.

6. Denique non minor se se offert ambiguitas de rectitudine in reuulsione seruanda, quid videlicet sit, & quas conditiones sibi asciscat. Atque hæc omnia pertinent ad vbi agendum.

Quid nomine contrarij in reuulsione intelligendum sit, & proponuntur diuersæ opiniones. Cap. XXIX.

FAtentur omnes reuulsionem esse humorum retractionem ad contraria, at deinde contendunt inter se, quisnam sit iste terminus oppositus, ad quem retrahere expedit, seu quid nomine contrarij intelligere debeamus, an

videlicet

videlicet sit fluxionis origo, ita vt in omni reuulsione retrahendum sit ad contrarium motum confluentium humorum, an vero ad partem parti fluxione tentatæ oppositam.

Ad fluxionis originem reuellendū esse Argenterij opinio.

Qui ad ipsam fluxionis originem, vel ad partem origini proximam humores reuellendos esse crediderunt, inter quos præsertim est Argenterius comm. 3. in artem medicam in cap. scilicet 99. ita suam sententiam confirmant.

Confirmatur Gal. auctorit.

Primò etenim afferũt Gal. auctoritatem 5. meth. 13. vbi in curatione illius matronæ Romanæ fluxione à capite in pulmones delabente laborantis vsus fuit medicamento valdè calido, & acri, ex stercore nempè palumbino, & tapsia confecto, & suturæ coronali derasæ applicito, vt humores à capite in pulmones descendentes reuelleret ad ipsam originem.

Exemplo Epilepsiæ.

Addunt, dum à digito aliquo pedis aura ascendit ad caput, & epilepsiam causat, remedia, quæ alteri cruri adhibentur, nihil conferre, quia fluxionis origo in eo non est.

Exēplo Pleuritidis.

Præterea dicunt non prodesse venæ sectiones, quæ fiunt in brachio opposito lateri affecto, vt in pleuritide, quia fluxio à sinistra parte in dextram, aut ab hac in illam non fit, sed dextræ in dextras, & sinistræ in sinistras se se exonerant ob rectitudinem, & communionem venarum.

Altera Gal. auctoritate.

Insuper scribit Gal. 2. ad Glauconem 2. cum humores fluunt ad genu, ad fluxionem sistendam secandam esse venam in cubito eiusdem lateris non in cubito, vel crure opposito, quoniam sciebat ex his non excitatas fuisse fluxiones, sed à superioribus partibus eiusdem lateris, igitur spectanda est fluxionis origo.

Ratione.

Amplius si vniuersæ partes mittunt, veluti cum ex cursu, vel labore assurgunt humores, & vapores ad caput, ad pedes optima fit reuulsio: sic enim frangimus impetum omnium partium, quæ mittere ad caput aliquid possunt. Eodem modo cum ad crura descendunt humores, quæ capiti, & brachijs adhibentur attrahentia præsidia maxime reuellunt. Cum verò fluxionum causæ non vniuersum corpus commouent, sed eas solùm partes, quæ sunt coniunctæ per vasa cum illis, in quas decumbunt humores, tunc remedia reuellentia sunt, quæ vel ipsi parti mittenti, aut illi maximè vicinæ admouentur.

Reuellendum esse ad oppositam partem.

Qui verò arbitrantur nomine contrarij nos intelligere debere oppositam partem, ita vt humores omninò reuellendi sint ad contraria, idest ad regionē parti fluxione tentatæ oppositam, dicunt hanc fuisse Gal. & Hipp. opinionem. Quod ex pluribus eorundem auctoritatibus ostendi potest, non tamen omnes, sed quasdam solùm in medium afferam, longiori oratione rem hanc declaraturus infra cap. 34. vbi determinabitur, an in reuulsione omnes oppositiones seruari debeant.

Ostenditur Gal. auctorit

Primò igitur id colligere licet ex 5. meth. 3. & 1. de humoribus tex. 13. Reuulsio, inquit, in ijs, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur, sursum in ijs, quæ sunt infra: præterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursus ad illa: similiter ex ijs, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt, contraque ab his ad illa: & lib. de humoribus addidit alteram oppositionem, quæ est ante, & retro. Quare ex Gal. sententia in reuulsione facienda contrapositam partem obseruare debemus, vt videlicet ad eam partem fiat humorum retractio, quemadmodum semetipsum declarat 5. meth. citato, dum subdit; Ergo frictio contrapositæ partis potissimum per ea medicamenta, quæ calefaciant: præterea vincula valentius adducta ijs, quæ ad contrarium reuocant, remedijs sunt annume-

numeranda. Non secus profectò & naturalium meatuum, qui positi ex aduerso sunt reclusio. Quam opinionem pluribus exemplis declarat, vt vnusquisque videre potest; ea enim breuitatis causa prætermitto.

Hipp. auctor.

Quinimò huius sententiæ inuentorem ait fuisse Hipp. pluribus in locis. Nam 5. aph. 32. scribit mulieri sanguinem vomenti menses superuenientes remedio esse: & 5. aph. 50. mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone. Quæ duo sanè loca demonstrant reuulsionem fieri debere ad oppositas partes, ab infernis videlicet sursum, & à supernis deorsum, vt docuit idem Hipp. 1. de humoribus textu 13. Amplius, quòd reuulsio etiam fiat ante, & retro pariter ostendit aph. 68. quintę sectionis. Dolenti (inquit) partem capitis posteriorem in fronte recta vena incisa prodest, vbi nemo dixerit esse fluxionis originem.

Difficultatis determinatio, an ad fluxionis originem, an ad oppositam partem reuulsio fieri debeat. Cap. XXX.

DE natura reuulsionis est, sicuti ex pluribus Gal. & Hipp. auctoritatibus supra citatis, & alibi passim colligi potest, vt fiat ad oppositam partem, cum hac tamen conditione, sicut ego opinor, vt fluxionis quoque origo consideretur, aliter reuulsio non benè succederet. Verum quoniam non semper ad fluxionis originem, semper autem ad oppositam partem retrahere licet; hinc factũ est, quòd veram existimem eorum sententiam, qui Gal. & Hipp. auctoritatibus innixi nomine contrarij intelligunt partem parti fluxione affectæ oppositam, neque tamen alteram opinionem spernendam, sed summopere (dum fieri potest) amplectendam esse credam, quamuis vniuersaliter vera non sit, vt mox ostendam.

Ostēditur reuulsionē fieri debere ad oppositā partē.

Reuulsionem igitur ad contrariam partem fieri debere probatum fuit in antecedenti capite Hipp. & Gal. auctoritatibus. Et reuera si hæc est reuulsionis natura, vt sit auersio confluentium humorum ad contraria, vt omnes fatentur, quis non existimabit reuulsionem ad oppositam partem omnino faciẽdam esse? Quia nisi fieret ad oppositam partem, ergo ad aliam, quę non sit opposita, sed humorum auulsio ad partem, quæ non sit parti affectæ opposita, non est reuulsio, sed potius deriuatio, ergo hac ratione reuulsio non esset reuulsio, quod implicat contradictionem. Amplius ex Gal. mente 14. meth. 11. vt infra probabimus longissimè à tentata fluxione parte, quod redundat, reuellere conuenit, sed oppositæ partes longissimè distant, quando ea sit contrariorum natura, vt sub vno genere posita maximè inter se distent, ergo ad oppositas partes fieri debet reuulsio.

Vlterius, vt res hęc manifestior euadat, reuulsionem videlicet semper ad contrarias partes fieri debere, non autem semper, sed aliquando ad fluxionis originem, ostendendum est in primis, cur non semper fieri possit reuulsio ad fluxionis fontem: deinde qua de causa in reuulsione facienda, & eligenda opposita parte necessariò consideranda sit ipsa fluxionis origo: & denique probandum in quibusdam errasse eos, qui reuellendum esse ad fluxionis originem existimarunt, dum opinionem suam rationibus, & auctoritatibus confirmare contendunt.

Quoad primum spectat, in memoriam reuocandum est, quod supra cap. 26. dictum fuit, nempè humorum fluxiones præter naturam ad aliquam partem fieri,

fieri,aut motu transmissionis,aut motu attractionis: si motu transmissionis fiat, terminus à quo potest esse, vel vniuersum corpus, vel vna determinata pars, aut etiam plures; si verò motu attractionis id contingat,iam illa eadẽmet pars fluxione tentata efficitur fluxionis origo,quia ad se humores attrahit;aut quia dolet,aut quia morboso calore est affecta.

Cur non semper ad fluxionis originem retrahere expediat.

His sic stantibus certum est,dum eademmet pars,quæ fluxione tentatur,est fluxionis origo,aut quia dolet,aut nimis calet,ad eam minimè trahendum, sed ad oppositam reuellendum esse: at si dolore afficitur, anodynis, si calore morboso prædita est,refrigerantibus ei occurrere oportet. Vlterius si fluxionis origo sit totum corpus qua ratione ad totum reuellere poterimus. Ergo in hoc quoque casu ad partem oppositam reuellemus,vt ipsi quoque fatentur. Quod si fluxionis origo sit pars aliqua determinata, non semper ad ipsam retrahere possibile est,neque si possibile foret, id semper esset tutum. Exempli gratia transmittat hepar ad caput humores biliosos, qui dolorem, aut aliquid aliud symptoma inducant; humores hosce ad caput confluentes non est possibile retrahere ad hepar ipsum,neque si id fieri posset,tutum esset,cum hepar sit membrum princeps. Vnde in reuulsione facienda id prę oculis habendum est,quod Gal. ex Hipp. mente 6.Epid. 2.tex.32. monuit, cauendum videlicet esse,ne quod ex membris, ad quæ materiam retrahis, magnum detrimentum subire pericliteris. Reuellendi igitur erunt humores biliosi in caput irruentes, sed non ad hepar,quod est fluxionis origo,verũ ad oppositas partes inferiores. Quare non semper ad fluxionis originem humores retrahendos esse ex his manifestum est. Quod clare docuit etiam Gal. 1.ad Glac.14.vbi allatis varijs reuulsionum,quæ in immoderatis euacuationibus fieri solent,exemplis,concludit in vniuersum,aut ad communia membris patientibus in aduersum retrahere oportere,aut ad ea, in quibus est euacuationis origo.

In reuulsione fluxionis originẽ semper considerandã esse.

Verumtamen etiamsi non semper,sed quandoque,vt mox dicemus, retrahendum sit ad fluxionis fontem,attamen in reuulsione facienda pars,quæ fluxionis origo creditur, consideranda,aliter reuulsio non benè succederet,quod hoc epemplo declaro. Fluat cuidam copiosè sanguis è naribus, hic absque dubio reuelli debet ad oppositas partes,quænam autem ex ipsis eligendæ sint, cognoscemus animaduersa fluxionis origine. Nam si fluat vitio lienis, & a parte sinistra, maxima cucurbitula super liene infigenda,aut sanguis è sinistro cubito extrahendus est; sin autem fluat à dextra nare,& hepatis vitio, conueniet magna cucurbitula super iecinore apposita,aut venæ sectio ex dextro brachio. Pariter si fluxionis origo sit totum corpus,eadem reuulsionis ratio conueniet,& si ab vtraque nare fluxerit,super vtroque viscere infigendæ cucurbitulæ,& si vires ferant, ex vtroque cubito sanguis extrahendus, vt seruetur rectitudo,de qua infra. At si fluxionis origo fuerit vterus,vt contingit in mulieribus,cum menses suo tempore non erumpunt, aut fuerint venæ hæmorrhoidales ob suppressam sanguinis consuetam euacuationem,tunc nõ amplius cucurbitulæ in præcordijs defixæ,aut venæ sectio ex brachio ex vsu esse poterunt,sed in suppressione mensium vena pedis interna ex eo latere, à quo fluit sanguis incidenda: suppressis verò hemorrhoidibus venæ istæ aperiendæ erunt.

1. Error eorũ qui sẽper ad fluxionis originem reuellendum esse dixerunt.

Quocirca in quibusdam errauit Argenterius. & qui eum secuti sunt, dum existimant, semper in reuulsionibus retrahendos esse humores ad fluxionis originem. Si quidem fateor nonnunquam ad eam reuellendos esse irruentes

humores,

humores, vt ostendit auctoritas illa Gal. qui in fluxu materiæ à cerebro in pulmones suturæ coronali calida, & acria medicamenta admouit, quod passim quoque in praxi obseruatur: & vt pariter probatur ex epilepsia suborta ab aura venenata à pedis digito, vel dextro, aut sinistro eleuata, quoniam læso pede, non autem sano remedia, quæ reuellant, adhibenda sunt. At ex istis particularibus exemplis non est vniuersaliter inferendum, reuulsionem semper fieri debere ad fluxionis originem, quando hoc falsum esse iam ostensum sit. Hic itaque est primus error.

2. Error.

Alter error est, quia negant reuulsionem posse fieri à dextris in sinistras partes, & ècontra, cum solum dextræ partes dextris, & sinistræ sinistris fluxionem communicent, non autem sinistræ dextris, aut vice versa: hoc etenim falsum esse infra cap. 34. ostendetur, & reuulsionem à sinistris ad dextras, & à dextris ad sinistras partes fieri posse demonstrabitur. Vbi pariter declarabitur auctoritas Gal. 2. ad Glauconem 2.

3. Error.

Denique sicuti, quod ipsi vltimo loco fatentur, si fluxio pendeat à totius corporis affectu, ad contrarias partes reuellendum est, quod summopere ego quoque amplector: ita non semper verum est, dum pars aliqua fluxionem alteri transmittit, reuellentia remedia, vel ipsi parti mittenti, aut illi maximè vicinæ admoueri debere. Nam si id semper fieri, & tutò fieri posset, profectò verissimam esse crederem eorum opinionem, sed quia interdum fieri, aut tutò fieri nequit, vt paulò superius ostensum fuit, semper autem, & tutò liceat ad oppositam partem reuellere, hinc vt dicebam cum Hipp. & Gal. ad cõtraria reuellendum esse arbitror: ita tamen vt non negligatur fluxionis origo, ad quam nonnunquam retrahere debemus, aut quæ omnino est consideranda, vt reuulsio benè administrari possit.

Vtrum ad partes maximè distantes semper reuulsio sit facienda, an interdum ad propinquas, aliorum opinio. Cap. XXXI.

Opinio Fernelij non sẽper ad distantes partes reuulsionẽ fieri debere.

FErnelius lib. 2. meth. med. cap. 5. aliquando ad partes maximè distantes, aliquando ad propinquas reuellendum esse existimauit. Hæc sunt illius verba. Quum igitur magna, vehemensque fiet inflammatio ex humore scilicet maligno, cuius fluxio sit præceps, & locus, in quem procumbit nobilis, eximiue sensus, ampla vena finitimo loco secanda, vt quæ plus, celerius, atque potentius ab affecta sede vacuet. Sin verò affectus mitior est, angusta vena eligenda, eaque distantiore loco, vt minus, tardius, & ignauius euacuet. Eiusmodi reuulsio omnis præterquamquòd fluxionem sistit, ab affecta quoq; parte prius putrem, & inquinatum sanguinem, quàm ex reliquo corpore benignum, atquè sincerum detrahit. Neque tum metus vlli sit nouæ fluxionis proritandæ. Cum enim pars laborans magis, quàm cęteræ, exinanita fuerit, si ad penuriam vsque detractum sit, vix denuo alia humorum fluxione conflictabitur, nisi fortè nouo peccetur viuendi errore. Distantes enim indigentia auidæ proprium sanguinem elabi non sinent: nec pars affecta (nisi dolor, aut calor restet vehemens) ab illis quicquam eripiet, vt quæ sit imbecilla, nec multo egens alimento.

Confirmatur hæc opinio ab alijs.

Alij multa alia addiderunt, quorum tamen præcipua sunt hæc: quod videlicet, cum præseruare cupimus ad partes maximè distantes distrahẽdi sunt humores, cum autem curare volumus, dum iam morbi generari incipiunt, tunc

proxi-

proximas venas incidendas esse autumant. Ad hæc cum morbus magnus est, remediũ celere postulat,& humor cũ graui periculo in affectam partem influit, vt dixit Fernelius, tunc reuellendum esse ad propinquas partes asserunt. Nam in hoc casu dolores excitantur vehementes, quorum causa proximum ventrem incidendum esse iussit Hippocr. 6. Epid. 6. test. 5. Medendum enim dolori inter initia celerrimè, vt qui vires destruat, & fluxionem irritet, atque nõ mediocriter augeat, quod fieri non posset, nisi vena incideretur proximior. *Auct. Hipp.*

Præterea dicunt nos scire non posse originem fluxionum, atque duplicem esse fluentem materiam: vnam, quæ in venis partis affectæ continetur,& ob dolorem cõtinuò commouetur, ac influit,& partem læsam magis grauat: aliam verò, quæ in remotioribus vasis fluit,& sequitur aliam, & hac ablata dolorem mitigari, nec amplius relinqui occasionem alicuius fluxionis. *Ratione.*

Huius opinionis videtur etiam fuisse Cornelius Celsus lib. 2. cap. 10. mitti, (inquit) sanguis debet, si totius corporis causa fit, ex brachio, si partis alicuius ex ipsa parte, aut certè quàm proxima. Neq; ignoro, quosdam dicere, quàm longissimè sanguinem inde vbi lędit, esse mittendum. Sic enim auerti materię cursum: at illo modo in id ipsum, quod grauat, euocari. Sed id ipsum falsum est. Proximum enim locum primò exhaurit. Ex vlterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, vbi is suppressus est: quia non trahitur, ne venit quidem. *Auct. Celsi.*

Quid Gal. & Hipp. senserint, & reuulsionem simpliciter fieri debere ad distantissima loca.

Cap. XXXII.

ANtequam Hipp.& Gal. opinionem, quæ est reuulsionem debere fieri ad maximè longinquas partes, in medium proponam,& rationibus confirmem, distinguendum est de duplici reuulsione: altera enim est, quam simpliciter talem appellare licet: altera verò, quam particularem,& localem voco.

Nam duæ præsertim sunt Hipp. auctoritates, quarum supra cap. 27. facta fuit mentio, quæ reuulsionem interdum ad partes propinquas fieri debere ostendere videntur. Vna est 4. acutorum 30. vbi iubet in angina medicamenta attractoria facultate prædita, tum capiti, tum collo admouenda esse, vt fiat à parte affecta reuulsio. Altera auctoritas est 5. aph. 68. quando in dolore posterioris partis capitis proponit venæ sectione in fronte.

Quæ sanè auctoritates,& si quæ similes reperiuntur, non sunt intelligendæ de reuulsione simpliciter tali, sed solùm de locali, & particulari. Nam reuulsio, quæ talis sit simpliciter, respicit vniuersum corpus, seu vniuersi corporis oppositiones,& fit à parte fluxione tentata ad alteram illi oppositam: localis verò,& particularis reuulsio respicit vnam partem solummodo,& fit ab opposito termino ad alterum eiusdem partis terminum oppositum. Sic Galen. 6. epid. 2. tex, 27. vbi Hippocr. protulit eandem sententiam, quæ in citato aphorismo continetur, ait, constare remedium hoc locale esse,& ad contraria reuulsorium. Vnde cùm hæc sit particularis reuulsio, necessarium est eam præcedere vniuersalem reuulsionem, quam simpliciter talem dicimus, quæ fit ad distantes partes, vt habemus apud Galen. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. Incipientes, (inquit,) aut etiam vigentes capitis dolores per cucurbitam in ceruice pro- *Reuulsio duplex vna simpliciter talis, altera localis.*

curata retractio, interim quidem solam, interim cum scarificatione iuuat. Cæterum præuacuatum esse corpus vniuersum oportet. Eadem ratione incipientibus in occipitio doloribus, aut etiam vigentibus incisa frontis vena prodest.

Reuulsionẽ localem fieri ad propinqua.

Quocirca stante hac reuulsionis diuisione dico particularem, & localẽ reuulsionem fieri ad propinqua, cum fiat ab vno eiusdem partis extremo ad alterum: at reuulsionem simpliciter talem semper ad maximè distantia loca fieri debere existimo.

Quæ differentia sit inter localem reuulsionẽ, & deriuationem.

Noto localem reuulsionem etiam si fiat ad propinqua differre tamen à deriuatione. Nam in reuulsione semper requiritur oppositio, quæ est de eiusdem ratione: hæc autem in deriuatione non obseruatur, cum deriuare non ad oppositum, sed ad latus auertere significet. Præterea in locali reuulsione requiritur etiam ea distantia, quæ possibilis est in parte affecta, cum fiat ab opposito termino ad alterum eiusdem partis terminum oppositum. Deriuatio verò quò propinquius loco affecto efficitur, eò fęlicius succedit, cum hæc præsertim fluxos, illa fluentes adhuc humores respiciat. Quæ sanè differentia colligi potest ex Gal. loco nuper citato, vbi ait, capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifestè solere tusam in fronte venam. At incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitulam in ceruice procurata retractio iuuat: hæc reuulsio est, illa deriuatio.

Reuulsionẽ simpliciter fieri ad distantes partes ostenditur auctoritate Hipp.

Quòd autem reuulsio, quam talem simpliciter vocamus, fieri debeat ad distantes partes probo auctoritatibus Hippocr. & Gal. quando hæc sit eorum opinio, deinde etiam ratione, & postea sequenti capite respondebo ijs, quæ in contrarium allata fuerunt.

Hippocr. itaque, seu quisquis est illius libri auctor 2. de natura humana tex. 9. ait procurãdum esse, vt sectiones, quàm maximè procul ab illis locis faciamus, vbi dolores excitari, sanguinemque colligi nouerimus. Et licet Gal. in commento existimet sententiam hanc potius prolatam esse ad præseruationem, & sanitatis tempore, cum dicat, & mihi quidem videtur, quòd in his, qui prospera vtantur valetudine, dictum sit. quippe quod voluerit auctor assuefacere humores redundantes in alias ferri partes, attamen id verissimum quoque est in curatione, sicuti sensit idem Galen. vt ex illius mente nunc dicemus, & etiam sequenti capite ostendemus.

Auctor. Gal.

Siquidem lib. artis medicæ cap. 99 manifestè docuit, attrahendi ex omni loco ad oppositas partes communem indicationem esse ad quàm maximè distantias deriuandi verò ad vicina.

Altera auct.

Amplius 13. meth. 11. vbi ex professo loquitur de reuulsione apertis verbis dicit longissimè à tentata fluxione parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenire. Hinc eodem capite, vomitu vti pudibundis laborantibus in diuersa reuellens auxilium esse, & eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt, medicamentum, quod aluum deijcit, ad contrarium auertere docuit.

Atque, vt quamplura paucis amplectar verbis, nulla reuulsionis, quæ tamẽ non sit localis exempla, quæ penè infinita sunt, apud Hippocr. & Galen. inuenies, quæ non doceant, eam semper ad maximè distantes partes faciendam esse.

Ratione

Istis auctoritatibus duas addo rationes. Prior sic formari potest. Reuulsio est humoris ad affectam partem confluentis ad contraria auersio, sed quò ad remotiorem oppositam partem retrahitur, eò magis ab affecta parte

fluxio

fluxio auertitur,ergo de natura reuulſionis eſt, vt ad contraria, eaque diſtantiſſima loca fiat. Minor propoſitio eſt reuulſionis definitio. Maior ſecundo loco poſita de ſe ſatis clara eſt. Nam ad quantò magis remotam regionem confluentes retrahuntur humores,eò magis à tentata fluxione parte auertuntur.

Altera ratione.

Poſterior ratio innititur eo principio,quòd medicus debet imitari naturam rectè operantem,ſed dum natura ſponte ab affecta parte reuellit ad diſtantiſſima loca mouet,ergo reuulſionem;quam medicus molitur, ad maximè longinquas partes fieri neceſſe eſt. Quòd medicus debeat eſſe naturæ imitator,nõ eſt,qui dubitet. Naturam verò ſponte operantem ad diſtantiſſima loca reuellere oſtendere poſſunt duo,aut tres Hipp.aphoriſmi.

Auctoritate Hipp. prima

Vnus eſt 6.aphor.17 lippientem alui profluuio corripi bonum. Quæ ſanè eſt reuulſio à natura facta ad lõginquas partes,vt colligitur ex Gal.in commento,dum ait,non vt ſignum hoc,lippientibus bonum,ab eo dictum eſt,ſed vt cauſa,quia humorum abundantia ſimul euacuatur,atque ad inferiora retrahitur. Eſt autem & hoc apud ipſum exemplum vnum eorum,quæ ſponte,& vtiliter euacuantur,quod medicum imitari oportet.

Alter aphoriſmus eſt 15.ſectionis ſextæ. A longo alui profluuio habito vo- 2.
mitus ſuperueniens morbum ſoluit. Et hoc pariter exemplum eſt eorum,vt inquit Gal.in commento,quæ rectè fiunt à natura,quod medicum imitari oportet. Vtilitas verò prouenit retractionis ratione. Atque ſimiliter reuulſio huiuſmodi à natura facta eſt ad longinquas partes.

Tertius aphoriſmus eſt 32.ſectionis quintæ. Mulieri ſanguinem euomenti 3.
menſtruis erumpentibus,ſolutio. Ratio eſt,quia eſt retractio ſimul,& euacuatio ſanguinis ad ſuperiora tendentis. Quod cum à natura fiat,& ad diſtantia loca,nos quoque ab ipſa excitati opera, quæ benè à natura geruntur, imitabimur,& mulieres hac paſſione laborantes miſſo ſanguine è vena vacuabimus: vt ait Gal.in commento,vbi per venam abſque dubio intelligit pedis internam, quæ valde diſtans eſt à parte,ad quam fluit ſanguis.

Soluuntur ea,quæ in contrarium adducta fuerunt. *Cap. XXXIII.*

NOn itaque rectè ſenſerunt illi,qui interdum ad partes maximè diſtantes, nonnunquam ad propinquas reuellendum eſſe crediderunt,quando de natura reuulſionis ſit,vt ad maximè lõginqua loca efficiatur:quod autem eſt per ſe tale,id ſemper,& vbique tale erit. Quare, vt omnis remoueatur difficultas, ſoluendę ſunt rationes, quibus oppoſitum oſtenſum eſſe viſum fuit.

Reſpondetur Fernelij rationibus.

Vnde quatenus ad Fernelij rationes ſpectat, dico rectam medendi methodum eſſe vnam quandam vniuerſalem viam, quæ omnibus particularibus eſt communis Galen. teſte 4. method.4. quare etiam reuulſionis vniuerſalia præcepta eadem in omnibus particularibus fluxionibus eſſe debebunt;eadem itaque reuulſionis ratio ſeruanda eſt in magna, & vehementi, & parua, ſeu miti inflammatione,vt videlicet in vtraq; efficiatur ad partes maximè longinquas. Benè verum eſt,quod reuellentia præſidia diuerſa eſſe debent,magna quidem in magna, & vehementi,parua verò in miti, & parua inflammatione,vt remedium euadat æquale præter naturam affectui. Propterea, cum reuulſio diuerſis præſidiorum materiebus effici poſſit,vt infra,quando de vtendi modo erit ſermo,dicemus,nimirum venæ ſectione,purgatione,cucurbitu-

lis, vesicãtibus, ligaturis, frictionibus, & huiusmodi, quorum alia sunt magna præsidia, alia verò parua, & debilia, magnis in magnis, paruis in paruis fluxionibus vtendum erit.

Cõfūdit Fernelius reuulsionem cum euacuatione

Et cum inquit, dum inflammatio magna est, & pars affecta nobilis, amplam venam, & finitimo loco secandam esse, vt quæ plus, celerius, atque potentius ab affecta sede vacuet. Respondeo verissimum esse, amplam venam, & finitimo loco sectam plus, celerius, atque potentius ab affecto loco euacuare, sed dico hanc non esse reuulsionem simpliciter, sed reuulsionem simul cum euacuatione nedum totius, sed etiam ab affecta parte. Nam reuulsio non euacuat confluxos humores ab affecta sede, sed confluentes, vel confluendos, quoniam prohibet, ne ad partem fluxione tentatam ferantur. Confundit igitur reuulsionem cum euacuatione ab affecto loco. Nusquam enim à Galen. instituta fuit reuulsio, quæ simpliciter talis sit, vt ab affecta parte euacuaret, quòd ex multis locis clarè colligi potest, sed præcipuè ex 4. meth. 6. Quare nunc quoque, (inquit,) si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, vtique, si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes, sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes. At si iam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit. Et 2. ad Glauc. 2. ait, fluentium adhuc igitur humorum, antispasis, idest retractio, sic enim Hippocr. nominat, eorum autem, qui iã membrum obsederunt, parocheteusis, idest deriuatio medela est: atque exemplis tùm ibi, tùm alibi propositis reuulsionem continuò fluentes humores respicere docuit. Semper itaque in solida Gal. doctrina, & recta medendi methodo reuulsio, quæ solùm reuulsio sit, nusquam ab affecta parte euacuat.

Quænam sit ampla, & propinqnior vena, nõ docuit Fernelius.

Præterea libenter quærerem ab aliquo, qui Fernelij doctrinæ sectator sit, quænam sit hæc ampla vena, & finitimo loco posita, quæ in magna alicuius nobilis visceris inflammatione secanda est: debebat enim aliquo exemplo sententiam suam declarare. Certè nulla amplior vena in humano corpore secatur, quàm vtriusque cubiti. Hanc etenim in cerebri, pulmonis, hepatis, & pleuræ inflammationibus scindere solemus euacuationis, & reuulsionis gratia, quę tamen non est finitimo loco posita, sed distans à partibus illis inflammatione laborantibus: & hæc multùm, celeriter, & potenter euacuando reuellit, quoniam est præsidij magni materia. Quocirca non rectè ostendit Fernelius, in magnis, & vehementibus inflammationibus debere secari venam, quæ sit finitimo loco posita, vt à parte affecta reuellamus. Nam in reuulsione facienda continuò distans, & opposita secanda est, aliter si proxima scinderetur (quod impossibile est in internorum viscerum inflammatione,) fieret potius ad affectam partem humorum attractio, quàm eorundem ab eadem retractio.

Causa, ob quam Fernelius deceptus fuit.

Sed, vt arbitror, id, in quo Fernelius, & alij decepti fuerunt, est, quòd venæ sectionem in brachio in viscerum nobilium inflammationibus esse finitimo loco positam, & solius reuulsionis gratia ab affecta parte administrandam esse crediderunt. Quod falsissimum est. Siquidem nemini dubium esse existimo inflammationes hasce sępissimè effici vitio totius corporis, interdum verò in mulieribus vitio vteri, suppressis videlicet mensibus. Quare si fluxionum origo spectanda est, & contingat eas originem habere ex suppressis mensibus, in hoc casu venas siue poplitis, siue tali scindendas crederem, quæ distantissimæ sunt, & ad fluxionis originem trahunt. At si vitio totius id contingat, vena

na brachij secari debet, ratione cuius totum corpus multum,& subito (quòd in acutis,& magnis morbis requiritur,) euacuatur, & per consequens sanguis fluens retrahitur,& aliquo pacto etiam fluxus,sed adhuc in venis affectæ partis existens educitur, Quocirca cum hoc præsidium administretur tum reuulsionis, tum euacuationis gratia,& euacuando ab affecta parte fluentes ad eam humores prius reuellat, etiamsi nõ efficiatur per distantissima loca,attamen ea seruatur distantia,& longinquitas,quæ & ad euacuationem, & ad reuulsionem simul opportuna censetur. Sic Gal. 13. meth. 11. cum in iecoris inflammatione supponens totum corpus indigere euacuatione docuisset secandam esse venam dextri brachij reuulsionis,& euacuationis gratia,paulò post ex hoc,& alijs exemplis tradidit hoc pręceptum,longissimè a tentata fluxione parte reuellendũ esse. Existimauit igitur venam sectam in brachio non esse finitimo loco positam,sed distantem. Semper igitur reuulsio ad distantes;minimè autem ad propinquas partes fieri debet.

Obiectio.

Neque dicat aliquis, si reuulsio longissimè à tentata fluxione parte efficienda est, semper eligendam esse partem longinquiorem. Quòd si hoc verum est, cur igitur in hepatis inflammatione non secamus venam in manu dextra,vt docuit idem Gal. eodem loco nuper citato?

Solutio. Qua ratione intelligenda sit Gal. sententia, dum ait, quàm lõgissimè reuellendum esse.

Nam huic instantiæ respondeo Gal. doctrinam,longissimè videlicet reuellendum esse, non ita intelligi debere, vt semper longinquior pars eligatur, quia sat est,vt tantùm à fluxione tentata parte distet,vt ab ea fluentes humores reuocare possit,quæ est reuulsionis ratio,vt nimirum eos retrahamus ab affecta parte,non ad eandem attrahamus. Non etenim semper ad distantissimas partes reuellere licet,cum quædam sint,quæ sępe docent (vt præsertim infra cap. 35. ostendemus) eam ad loca non adeo distantia fieri debere. Quocirca siue longissimè, siue non adeo distet ab affecto loco pars, ad quam reuellere tentamus, parùm refert,dummodò adeo distans sit,vt reuulsio optimè effici possit. Et hoc est,quod sibi voluit Gal. dum ait, longissimè à tentata fluxione parte, quod redundat reuellere,nequaquam ad eam trahere conuenire. Quòd si vno & eodem capite in iecinoris inflammatione modo dextri brachij, modò dextræ manus venam tundẽdam esse dixit,quarum vna altera à iecinore magis distat, hoc manifestè demonstrat Gal. noluisse semper ad omniũ distantissima loca reuulsionem faciendam, sed eam longinquitatem solummodo seruandam esse, quæ opportuna iudicatur. Interdum autem brachij,interdum manus dextræ venã secari iubet pro affectus vehementia, maiori plenitudine,ac virium diuerso statu. Si etenim inflammatio vehemens sit,si fluxio valenter irruat,si adsit plenitudo,ita vt uniuersum corpus euacuatione indigeat,si vires sint validę,sanguis ex cubiti vena extrahendus: secus verò manus vena scindi poterit. Vtcunque tamen semper verum est ad distantes partes nõ ad propinquas reuulsionem fieri debere.

Reijcitur Auicennæ opinio de reuulsione.

Ex quibus noto malè etiam sensisse Auicẽnam, qui lib. 3 fen. 10. tract. 5. cap. 1. in pleuritide, & alijs internis inflammationibus primò iubet secandam esse venã in malleolo eiusdem lateris, deinde communem in cubito lateris oppositi, vltimo internam eiusdem lateris. Existimauit enim reuulsionem non solum ex maximè contrarijs debere fieri, sed eam semper præcedere debere deriuationem,& euacuationem ab affecta parte, dum tamen adhuc fluxio efficitur. Veruntamen periculo plena est,& ab Hippocr.& Gal. doctrina aliena hæc opinio. Nam pleuræ,& reliquorum internorum viscerum inflammatio est valde acuta,

ta,& magna affectio,quare citò ei occurrendum. Vnde si secta vena brachij ab eodem latere omnibus indicationibus eodem tempore satisfacit, cum per eam nedum totum euacuetur,sed adhuc fluentes etiam humores reuellãtur,& simul etiam ab affecta parte aliquid educatur; ergo perperam ageremus si cum Auicẽna,& alijs,qui opinionem hanc sequuntur, prius malleolorum, deinde brachij oppositi,& tandem cubiti eiusdem lateris venam secaremus. Frustra etenim fit per plura,quod potest fieri per pauciora,& æquè benè,quinimo etiã melius. Nam præterquamquod tot sanguinis euacuationes viribus officiunt, non adeo citò affectui occurrunt,sicuti facit secta cubiti vena ex eodem latere. Si itaque Fernelius,dum in similibus inflammationibus dixit secandam esse venam finitimo loco positam,ad Auicennæ sententiam demoliendam ita sentiret,atque eo, quo docuimus,modo se declararet, optimè,& iuxta Gal.mentem sentiret, & ita ad bonum sensum t aheretur eius opinio. Verũ quæ sequuntur eiusdem, verba aliquam pati videntur difficultatem.

Soluitur altera Fernelij ratio.

Et præsertim dum addit eiuscemodi reuulsionem ab affecta parte prius putrem,& inquinatum sanguinem,quàm ex reliquo corpore benignum, & syncerum detrahere. Quod non solum est omnino impossibile in internorum viscerum inflammatione,vt videlicet prius putris,& inquinatus sanguis ab affecta parte educatur,quàm ex reliquo corpore syncerus,vel ipsius Hippocr.testimonio 2.acutorum 10.vbi in pleuritide iubet,eousque extrahendum esse sanguinem,donec rubidior multùm,vel pro puro rubido liuidus fluxerit, quod est signum ab inflammata parte factam fuisse inquinati sanguinis euacuationem. Quare impossibile est ab affecta pleura prius sanguinem putrem, quàm à toto corpore purum,& syncerum per venæ sectionem in brachio educi. Verum si id possibile aliqua alia ratione foret,esset omnino præter methodum. Siquidem fieri nequit putris,& inquinati sanguinis in affecta parte contenti euacuatio, nisi vel sectis venis affectæ partis,si fieri posset,vt contingit,dum in gutturis inflammatione secatur vena sub lingua,vel saltem proximæ per deriuationẽ, aut quocunque alio modo in laborante parte contentum humorem deriuatione educere tentamus,sicuti cum gibba hepatis per vrinam,& eiusdem caua per aluum euacuare solemus. Quas tamen euacuationes,quouis modo efficiantur, reuulsio semper præcedere debet,aliter maior humoris copia attraheretur,quàm esset illa,quæ educeretur.

Instantia qua vtitur Fernelius.

Quam quidem responsionem redarguere videtur,cum subdat,non esse metũ nouæ fluxionis proritandæ,quando ad penuriam vsq; detractus fuerit sanguis. Nam distantes partes indigentia auidæ proprium sanguinem elabi non sinent, nec pars affecta ab illis quicquam eripiet, vt quæ sit imbecilla,nec multo egens alimento.

Responsio.

Cui instantiæ respondeo secta vena in aliqua parte ratione vacui sanguinẽ semper ad eam confertim fluere, nec partes distantes quantumuis indigentia auidas ob copiosum sanguinem detractum,eiusdem,qui in venis continetur, & iam immoderatè ad affectam sedem irruit,fluxionem retinere posse,dum non solum proprio impetu,sed necessariò ratione vacui ad euacuationis locum confluat,absque quod affecta pars imbecilla eum attrahat, quę licet multo nõ egeat alimento,non tamen in simili casu sanguis ad eam confluit naturaliter,vt videlicet eo nutriatur,sed illius motus est omnino præter naturam,quare ad cõtraria reuocandus, nõ autem ad affectam partem attrahendus. Cęterum non est verum,in internorum viscerum inflammatione venæ cubiti sectionem ex eodem

latere,

latere, (de alia enim loqui non poteſt) ad affectam partem ſanguinem vnquã trahere poſſe, cum, vt dictum fuit à fluxione tentata parte euacuando reuellat.

His autem, qui dicunt, in præſeruatione ad partes maximè diſtantes, in curatione ad propinquas reuellendum eſſe, reſpondeo cum Gal. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 19. eaſdem prorſus venas in præſeruatione, & curatione ſecandas eſſe, exemplo eorum, qui podagra, & morbo comitiali, ac vertigine laborant. Nam ſi quis morbo articulari omnes articulos occupante afficiatur, æque pars quæuis in ſanguinis detractione accommoda eſt. Quibus autem eximiè pars quæpiam, vbi prius euacuati non fuerint, infeſtetur, haud æquè liceat ex quauis parte euacuationem moliri; verùm ſicuti in ijs, qui pati iam cœperunt. Quamobrem podagricos ex cubito euacuato, comitialibus verò morbis, vertiginibuſque, obnoxios, potius ex cruribus. Et maxima cum ratione, Si quidem in vtroque caſu præcauere debemus, in vno quidem ne morbus, qui adhuc non eſt, ſed timetur, efficiatur, in alio, ne, qui iam incepit, augeatur. Cum itaquè tàm in præſeruatione, quàm curatione eadem ſit indicatio, quæ à cauſa deſumitur eadem quoque erit medendi ratio.

Eaſdem venas ſecandas eſſe in præſeruatione, & curatione.

Hippoc. auctoritati reſpondeo eum loqui de dolorum curatione, qui vel fluxione non fiunt, ſed ex cauſa partem dolentem occupante, & ibidem nata, vel ſi fluxione facti fuerint, iam ceſſauerit fluxio, & humor collectus ſit in ſede affecta: adeo vt ſola remaneat indicatio ab affecto loco euacuandi. Quo ſane in caſu nullo amplius habito fluxionis reſpectu proximum ventrem purgandum eſſe iubet, aut proximam venam incidendam, non quidem ratione reuulſionis, ſed ratione euacuationis ab affecta parte optime ſciens reuulſionem ad diſtantes, & oppoſitas partes fieri debere, vt dictum fuit capite antecedenti, & vt etiam colligere licet 2. epid. ſectione 5. vbi ait, dolorem in infernis locis fortem, ſurditatem ſoluere, itemque ſanguinem multum ex naribus erumpentem. Et certè, qui aliter credunt, & Hipp. ita interpretantur, vt ipſe videlicet voluerit reuulſionem interdum fieri ad proxima, videntur peruertere nõ ſolum Hipp. & Gal. doctrinam, quando nulla reuulſionis particularia exempla apud ipſos inuenire liceat, quæ id demonſtrent, ſed eiuſdem quoque reuulſionis naturam ſe omnino ignorare oſtendunt, cum ea ſemper ad oppoſitas, quare neceſſariò ad diſtantes partes fieri debeat.

Reſpõdetur auctoritati Hipp.

Dum addunt, ignorari fluxionis originem, & duplicem eſſe fluentem materiam, vnam quæ adhuc influit, & alteram, quæ in venis affectæ partis continetur, qua ablata dolor mitigatur, nec amplius relinquitur fluxionis occaſio, dico vtrumque falſum eſſe. Nam nec fluxionis origo à docto medico ignoratur: neque verum eſt adhuc fluente materia ad affectam partem, euacuata materia, quæ in ea continetur ceſſare fluxionis occaſionem: quinimò hoc eſt peruertere omnem medendi methodum. Si quidem nuſquam euacuari debet materia in affecta parte contenta, niſi prius adhuc fluentium humorum motum reuulſione cohibuerimus, aliter tantùm abeſt, quòd euacuatio ab affecta parte fluxionis occaſionem auferat, vt potius eam magis irritet trahens maiori cum impetu humores, qui iam ad eam confluunt.

Tollitur vltima ratio.

Denique quo ad Cornelij Celſi auctoritatem pertinet, dico me eatenus grauiſſimorum ſcriptorum auctoritatibus acquieſcere, quatenus rationi ſunt conſonæ, alio pacto argumenta ab auctoritate deſumpta, etiamſi auctoritas fuerit ipſius Hypp. & Gal. nihil probant. Vndè hanc Celſi ſententiam, cum

Reſpõdetur auctoritati Cornelij Celſi.

ſit

sit à ratione aliena, amplecti nequeo. Et eò magis, cum ipsemet fateatur, vsum ipsum videri oppositum docuisse, si caput fractum est, ex brachio potius sanguinem mittendum esse. Si quod in humero vitium est, ex altero brachio.

Vtrum omnes oppositiones, an quædam tantùm in reuulsione seruandæ sint. Cap. XXXIV.

MVltæ sunt oppositiones, quæ in reuulsione seruari solent, ab infernis quidem sursum, à supernis deorsum, à dextris ad sinistras, intus foris, & è contra, amplius ante retro, & versa vice, vt supra cap. 19. dictum fuit. At difficultas est apud auctores, an omnes, an quædam tantùm harum oppositionum seruandæ sint; cui difficultati alteram non minus necessariam sequenti capite declarandam addo, quæ est, quando vna pars affecta habet plures oppositiones, quænam ex ipsis potius sit eligenda.

Vana opinio eorũ qui in pleuritide omnes oppositiones seruari crediderũt.

In reuulsione omnes oppositiones seruari nonnulli ostendere quærunt exemplo à pleuritide desumpto, dũ secatur interior cubiti vena eiusdem lateris affecti. Nam dicunt hoc pacto ab interioribus ad exteriora sanguinem euocari, insuper à dextris ad sinistras, quoniam latus sinistrum affectum comparatum cum brachio eiusdem lateris ad dextram partem vergit: præterea ab infernis sursum, quia humor sursum retrahitur, qui deorsum tendebat. Circa quæ non est tempus conterendum, cum vnusquisque videre possit, quã vana sint. Et eò libentius isthæc prætermitto, tum quoniam ab alijs reiecta fuerunt, tum præsertim quia pertinent ad peculiarem tractationem de pleuritide.

Argẽterius solam oppositionũ secundum longitudinẽ corporis seruari existimauit.

Argenterius loco superius citato commentario videlicet 3. in 99. caput artis medicæ existimauit in reuulsione vnicam tantùm seruandam esse oppositionem, quæ est secundum longitudinem corporis, quæ nimirum est inter sursum, & deorsum. Quod his rationibus confirmare contendit.

Primò, si fluxiones auctore Gal. in arte medica ad suam originem reuellere oportet, nunquam inueniemus à dextris partibus mitti fluxiores in sinistrũ latus, aut è contra, quare neque reuulsio à dextris ad sinistras, & vice versa fieri debet.

Id ostendit ratione. Gal. auctoritate prima.

Præterea ex Gal. sententia 2. ad Glauc. 2. cum humores fluunt ad genu, ad fluxionem sistendam secanda est vena in cubito eiusdem lateris, non in cubito, vel crure oppositis, quia sciebat ex his non excitatas fuisse fluxiones, sed à superioribus partibus eiusdem lateris, ergo à dextris ad sinistras reuulsio fieri nequit.

Insuper eodem prorsus loco scribit Gal. reuulsionem faciendam esse per communes venas, at latus sinistrum nullam habet communitatem per venas cum dextris, aut si habet, non erat opus admonere obseruandam esse illam communitatem, quæ si in omnibus est, præcepto non eget. Inter crus dextrum, & sinistrum communitas quædam venarum est. At inter brachium dextrum, & sinistrum, & thoracis partes dextras, & sinistras, nulla inter venas quæ secari possunt, & mittunt humores in partes affectas, societas est.

Postremò Gal. iubet reuulsionem semper esse faciendam secundum rectitudinem, quod excludit oppositionem, quæ est inter dextrum, & sinistrum, anterius, & posterius, intus & extra, & solùm comprehendit oppositionem, quæ est inter sursum, & deorsum secundum eandem longitudinem corporis.

Fernelius

Fernelius lib. 2. meth. cap. 5. videtur admittere reuulſionem non in omni oppoſitione, ſed in ea tantùm, quæ in fibrarum, venarumque recto curſu collocatur: vnde à dextris ad ſiniſtras minimè poſſe fieri reuulſionem putat, niſi à crure dextro ad ſiniſtrum, aut verſa vice. Sunt hæc illius verba. Nomine quidem contraria ſunt, antè ponè, ad dextram ad læuam, ſurſum deorſum, intro foras. Cęterum in humorum reuulſione, ne illa quidem contraria ſunt, niſi & in fibrarum, venarumq; recto curſu collocentur. Pleuritidi dextræ, nequaquam contrarium eſt latus ſiniſtrum: at inflammato cruri dextro contrarium eſt ſiniſtrum. Hic enim communis, & directa venarum ſocietas, per quam ſiniſtrum crus inciſum euocat è dextro: at è dextro latere nulla vena rectis fibris in ſiniſtrum concedit. Sic Hippocratē (ait) iubere in pleuritide interiorē brachij venam ſecandam eſſe ab eo latere, quod dolore ſit affectum: ſic in iecoris inflammatione (cui tamen venæ omnes ſocietate iunguntur) interiorem dextri cubiti tundit. Itaque reuulſio è directo euidens ſubſidium celeriter affert, è tranſuerſo nullum.

3. *Fernelij opinio oppoſitionē reſpicere rectitudinē fibrarum, et venarum.*

Galenus tamen, & Hipp. quoque, vt apparuit ex dictis cap. 29. & ex nunc dicendis etiam manifeſtum fiet, admittunt omnes oppoſitiones in reuulſione facienda, ab infernis quidem ſurſum, & à ſupernis deorſum, à dextris ad ſiniſtras, & à ſiniſtris ad dextras, intus foris, & è contra, amplius ante, & retro. Quòd reuulſio paſſim efficiatur à ſuperioribus ad inferiora, & verſa vice ab inferioribus ad ſuperiora, nulla eſt dubitatio. Quæ verò fit ante, & retro, non eſt reuulſio ſimpliciter, ſed localis reuulſio, vt notatum fuit cap. 32. Quare iſtis duabus oppoſitionibus derelictis, conſideremus, an ex Gal. & Hipp. mente in reuulſione obſeruari debeat oppoſitio a dextris ad ſiniſtras, & ab interioribus ad exteriores partes, & verſa vice: atque ſoluamus ea, quæ in oppoſitum allata fuerunt.

Gal. & Hip. omnes oppoſitiones admittunt.

Et quòd à dextris ad ſiniſtras, & à ſiniſtris ad dextras reuulſio interdum efficiatur, clarè docuit Gal. 5. meth. cap. 3. Vnde qui oppoſitam ſententiam tenent, falluntur, & à Gal. doctrina, ac veritate deuiant. Neque verum eſt, quod aſſerit Argenterius, Gal. in arte medicinali dixiſſe fluxiones ad ſuam originē reuellendas eſſe, ex quo deinde infert, ſi nunquam à dextris partibus mittuntur fluxiones in ſiniſtrum latus, aut è contra, reuulsionem fieri non poſſe a dextris ad siniſtras, aut oppoſito modo. Non, inquam, Gal. id affirmat, ſed ait attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communem indicationem eſſe ad quàm maximè diſtantia, ex quo loquendi modo totum oppoſitum inferimus. Nam si ex omni loco ad contrarias partes reuellimus, & dextræ partes ſint siniſtris oppoſitæ, ergo dum dextræ partes fluxione tentantur, ad siniſtras reuellere debemus.

A dextris ad ſiniſtras poſſe fieri reuulſionem. Reſpōdetur Argenterij rationi.

Et, quando negat reuulsionem poſſe fieri à dextris in siniſtras partes, & è contra, cum ſolùm dextrę partes dextris, & siniſtrę siniſtris fluxionem cōmunicent, non autē siniſtrę dextris, aut dextrę siniſtris, paucis reſpondeo hoc eſſe tum contra Hippoc. tum contra rationem, tum denique contra experientiam.

Contra Hipp. quidem, qui lib. de alimento conſenſum vnum, conſpirationem vnam, ac omnia conſentientia eſſe cenſuit.

Argenterij opinionē eſſe contra Hipp.

Eſt contra rationem, quia si ab vno trunco oriuntur venæ omnes, & ab altero arteriæ, quæ per vniuerſum ſparguntur corpus, abſque dubio, dum totum corpus per exemplum alicui parti fluxionem communicat, siniſtræ quoque partes dextris fluxionem tranſmittent. Vnde hac eadem de cauſa,

Contra rationem.

sa, si secta vena dextri cubiti, nedum dextrę partes inaniuntur, sed etiam sinistræ, clarum est, quòd à dextris in sinistras, & à sinistris in dextras fieri potest reuulsio.

Contra experientiam.

Est denique contra experientiam, quando in praxi obseruetur incipientem inflammationem dextræ manus iuuare venæ sectionem in sinistra: & nemo sit adeo rudis in Gal. doctrina, qui in simili casu non cognoscat, si nō semper, saltem vt plurimum secandam esse venam oppositi brachij. Amplius experientia docet sępè iecur communicare affectiones suas lieni, & partibus quoq; sinistris, & è contra lien iecori, & dextris partibus mala sua impertire.

Declaratur Gal. auctoritas, qua vsus fuit Argenterius.

Quòd si Gal. 2. ad Glauconem 2. cum humores fluunt ad genu, docuit ad fluxionem sistendam secandam esse venam in cubito eiusdem lateris, non autem in cubito, aut crure oppositis, non ideo inferendùm eum existimare, non posse fieri reuulsionem à dextris in sinistras partes, aut dextras nō posse transmittere humores in sinistras, & vice versa: sed ita sensit, vt admoneret faciendam esse reuulsionem ab inferioribus ad superiora seruata rectitudine. Nam si venam oppositi brachij secandam docuisset, tunc non seruaretur rectitudo, cum pars hæc non sit è directo opposita parti affectæ: si verò oppositi cruris, licet hac ratione seruaretur oppositio, quæ est inter dextram, & sinistram partem: attamen cum altera sit accommodatior contrarietas videlicet, inter infernas, & supernas eiusdem lateris partes, ad hanc potius respiciens Gal. venam cubiti eiusdem lateris scindendam esse docuit. Et eò magis, quia supponit totum corpus plenitudine laborare, quam secta vena brachij tollit, & euacuans simul etiam ab affecta parte reuellit.

Altera difficultas ex eodem loco desumpta de venarum cōmunitate obseruanda pertinet ad eam quæstionē, quid videlicet intellexerit Gal. per cōmunes venas, de qua cap. 36. vt omnia suis locis tractentur, & euitetur confusio.

Quemadmodum etiam infra cap. 37. determinabitur altera dubitatio, quoniam hæc spectat ad rectitudinem, quæ in reuulsione seruari debet, vbi ostendemus inter dextrum, & sinistrum, anterius, & posterius, intus & extra reperiri rectitudinem necessariò in reuulsione obseruandam.

Ad Fernelium.

Rectitudo verò illa fibrarum a Fernelio excogitata supra cap. 22. reiecta fuit, dum de rectitudine in euacuationibus seruanda sermonem fecimus. Quare si hæc fibrarum rectitudo in euacuatione locum non habet, vt ibi ostensum fuit, ergo neque in reuulsione seruanda erit.

Exemplum à pleuritide, & iecoris inflammatione desumptum, quòd videlicet secanda sit vena, è directo lateris affecti libenter admitto.

Est enim Hipp. & Gal. doctrina, in pleuritide secandam esse venam ex ea parte, qua dolor affligit: Hipp. quidem 4. acutorum tex. 73. Galeni autem lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 16. vbi ait, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, pleuriticis clarissimam sœpè vtilitatem attulisse; quæ verò ex brachio opposito, aut omninò obscuram, aut certè post temporis interuallum. Quod pariter intelligendum est etiam de iecoris inflammatione, in qua, vt docuit Gal. 13. meth. 11. venam dextri cubiti scindere oportet. Quinimò toto illo cap. 16. lib. de cur. rat. per sang. miss. Gal. nil aliud probare intendit, vt vnusquisque videre potest, nisi venæ sectionem è directo patientis partis fieri debere. Atque hoc est illud idem, quod nos quoque supra cap. 22. euacuationem semper è directo partis affectæ faciendam esse docuimus.

At

At non ideo istis exemplis ostenditur, reuulsionem non posse fieri à dextris ad sinistras. Nam reuulsioni, quatenus reuulsio est, accidit, vt euacuatione frequenter efficiatur, quia de ratione ipsius est, vt retrahat humores ad oppositam partem, quocunque deinde modo id præstet, quod pertinet ad quomodo agendum.

Exempla à pleuritide, & inflāmatione iecoris desūpta non ostendūt reuulsionē nō posse fieri à à dextris ad sinistras.

Quare si euacuatio non est de reuulsionis natura, sæpè tamen euacuatione fiat, non est existimandum omnem euacuationem esse reuulsionem simpliciter, & ideo venæ sectionem ex eodem latere in pleuritide, aut iecoris inflammatione factam, esse simpliciter reuulsionem, neque inferendum ex hoc eam non posse fieri à dextris in sinistras, sed semper ab eodem latere. Quoniam reuulsio simpliciter, quatenus reuulsio est semper ad oppositas partes fieri debet. Exempla vero adducta non sunt exempla reuulsionis simpliciter talis, sed potius euacuationis, nedum totius corporis, si totum euacuatione indigeat, sed etiam ab affecta parte, cui tamen reuulsionis quoque nomen conuenit, non quatenus, aut totum, aut ab affecta parte euacuat, sed quatenus adhuc fluentes humores simul ab affecta sede tum euacuando, tum auertendo reuocat: ita vt sit euacuatio simul, & reuulsio. Quæ visa fuit Gal. sententia 13. meth. 11. vbi loquens de iecoris inflammatione dicebat. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit, sanguis est, interna in dextro cubito secta vena. Qua de causa etiam Hipp. 2. acutorum tex. 10. iussit in pleuritide eousque auferendum esse sanguinem, donec rubidior multùm, vel pro puro rubido liuidus fluxerit. Qui enim prior exit sanguis, ille est, qui in toto superabundat, & in affectam sedem fluit: posterior verò, & iam colore mutatus ad partem inflammatam peruenerat. Siquidem Gal. in commento ait, coloris mutationem sanguinis ex particula inflammata translationem sufficienter commonstrare. Non est igitur hæc simpliciter reuulsio, sed simul etiam ab affecta parte euacuatio. Cum itaque simpliciter reuellere volumus, huic simplici tantùm indicationi satisfaciemus retrahentes semper ad partem oppositam, & distantem, siuè ab infernis ad superiora, siuè à dextris ad sinistras, siuè intus foris, aut (sed in locali reuulsione) ante retro. Quòd si ab affecta parte euacuare, & simul etiam reuellere quærimus, tunc euacuatio semper è directo affectæ partis efficienda, vt ostendunt allata exempla. Quare istis, aut similibus exemplis minimè ostenditur reuulsionem, quæ talis sit simpliciter nullius alterius habito respectu, non posse fieri à dextris ad sinistras, & è contra.

Præterea non licet arguere ex particularibus exemplis ad inferendam conclusionem vniuersalem, quare neque ex particulari euacuatione, & reuulsione (etiam si hæc simpliciter talis esset) ex eodem latere facta in pleuritide, & hepatis inflammatione colligi potest hæc vniuersalis conclusio, reuulsionem videlicet non posse fieri à dextris ad sinistras, & à sinistris ad dextras partes. Et eò magis, quia Argenterius, qui præsertim id negat, affirmat deinde reuulsionem fieri ex dextro ad sinistrum crus. Quare in reuulsione omnes oppositiones seruantur, sed interdum vna, interdum altera.

Ex particularibus non possum⁹ colligere cōclusionem vniuersalem.

Ex quo noto, etiam in euacuationibus à parte affecta, quotiescunque efficiuntur cum aliqua reuulsione, vt contingit in venæ sectione ab eodem latere in pleuræ, & hepatis inflammatione, obseruari aliquam oppositionem ab infernis videlicet sursum, cum vena cubiti superior sit pleura, & iecore. Sicuti dum cerebrum inflammationem patitur, & eadem cubiti vena secatur, ea

seruatur oppositio, quæ est à superioribus deorsum. Est enim impossibile reuulsionem fieri sine aliqua terminorum oppositione.

Eădem esse rationē cruris dextri ad sinistrū, q̃ est à brachio dextro ad sinistrū.

Quod additur de reuulsione, quam fieri dicunt à dextro in sinistrum crus, negant autem eam fieri posse à brachio dextro ad sinistrum, quoniam inter vtrumque crus adest venarum societas, minimè autem inter vnum, & alterum brachium, falsum omninò esse ex eo cognoscitur, quia eadem est venæ cauæ deorsum descendentis, & sursum ascendentis diuisio, cum diuidatur in duos truncos, qui ad dextram, & lęuam, tàm inferiorum, quàm superiorum partium in varios ramos diuisi feruntur: & ita eadem prorsus est venarum communitas inter crus dextrum, & sinistrum, quæ est inter vnum, & alterum brachium. Hinc humero, vel brachio dextro inflammato ad reuulsionem faciendam omnes, vt arbitror, secarent venam oppositi brachij. Quare ex dictis iam patet in reuulsione interdum seruari etiam oppositionem, quæ est inter dextras, & lęuas partes.

Ostenditur reuulsionē etiam fieri ab interioribus ad exteriora, & è contra.

Quòd autem reuulsio nedum ab infernis ad superiores, à dextris ad sinistras partes, sed intus quoque, & foris efficiatur, ostenditur exemplo, Hipp. & Gal. auctoritate, & ratione ipsa.

Exemplo.

Exemplo quidem, quando in curatione cutaneorum affectuum, vt psoræ, lepræ, & similium certum sit, cutim à prauis illis humoribus abstergendam esse, ijs per cutim euacuatis, quod tamen tutò præstari nequit, nisi prius prauorum humorum ad eam irruentium reuulsionem ab affecto loco mediante purgatione fecerimus, quæ sanè reuulsio erit ab extimis ad intima.

Auctoritate Hip. & Gal.

Simile exemplum habemus apud Hipp, & Gal. 6. epid. 2. tex. 30. in historia Simonis, qui latas pustulas non admodum pruriginosas habebat, & vomitus non iuuabant, cum verò ad ignem inungeretur, & calida lauaretur iuuabatur. Ratio redditur à Gal. in commento, quia succi ad cutim vergentes per eam sunt euacuandi, nam iterum ad intima corporis reuulsio ipsis valdè longinqua est, vt per aluum, aut vomitum euacuentur. Quibus verbis manifestum est purgationem, & vomitum reuellere à cuti, quare ab exterioribus ad interiora, sed quia videbat Gal. aliquem ex hoc inferre posse, nunquam purgatione per aluum in talibus vtendum esse, cum non reuellat humores iam ad cutim confluxos, respondens huic obiectioni ait. Ego verò non id dico, nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, ijs vtiles esse purgationes didicisti: prius quam enim redundantem materiam, aut venæ scissione, aut purgatione quis eduxerit, si fouens, hoc est calidis vtens, ipsam discutere conetur, plus attrahet, quàm per cutim euacuabit. Sed cuti inhęrentium succorum curatio prorsum per fotus, & calida medicamenta præstatur. Hæc ille. Quare clarum est ex Gal. mente purgationem, & venæ sectionem reuellere humores ad cutim confluentes, & hanc esse reuulsionem factam ab exterioribus ad interiora.

Ratione.

Ratio quoq; idem suadet. Nam reuulsio est retractio cōfluentium, aut confluendorum humorum ab opposito ad oppositum terminum, sed humorum retractio intus foris, & è contra, est à centro ad circunferentiam, & à circunferentia ad centrum, qui sunt oppositi termini, ergo in reuulsione seruatur etiam nonnunquam hæc oppositio, quæ est intus foris, & foris intus.

Cōclusio ex Oribasio.

Concludamus denique cum Oribasio lib. de cucurb. scarificat. & cęt. capite vlt. qui liber Gal. adscribitur, reuulsionem faciendam esse, deorsum quidem, vbi succi ad superiora; sursum, vbi ad inferiora vergunt: & vbi introrsum,

ſum, ad exteriora: vbi extrorſum, ad interiora, ita quoque ſi dextrorſum inclinant, in ſiniſtram: ſi ſiniſtrorſum, ad dextram reuulſio facienda eſt: ſic ſanè fluxiones, quæ retro inclinant, in priora reuellendæ: quæ in priora, in poſteriorem regionem obducendæ ſunt: ſeruatur itaque in reuulſione omnis oppoſitio.

Quæ nam oppoſitio in reuulſione ſeruanda ſit, dum vna pars fluxione tentata plures habet oppoſitiones. Cap. XXXV.

AD partem oppoſitam, atque ad diſtantiſſima loca reuulſionem debere fieri; amplius in ea omnes oppoſitiones locum habere poſſe hucuſque ex Hipp. atque Gal. mente, & etiam ratione oſtenſum fuit. At ſcitu quoque dignum, ac neceſſarium eſt nouiſſe, quando vna pars fluxione tentatur, quæ habeat plures oppoſitiones (quod ferè ſemper contingit) quænam harum in reuulſione facienda eligenda ſit. Per exemplum afficiatur fluxione manus dextra, hæc habet plures oppoſitiones, vnam quidem à dextris ad ſiniſtras, alteram à ſuperioribus ad inferiores, & tertiam ab extimis ad interiores partes. Eaſdem habet etiam oppoſitiones genu, ſiue crus ſiniſtrum, aut dextrum fluxione tentatum. Amplius interna quoque viſcera, vt exempli gratia hepar, & renes, non vnam tantùm oppoſitionem, ſed plures, ſurſum videlicet deorſum, ab intimis ad exteriora habere videntur. Quare, quando tot ſunt oppoſitiones, quænam harum ſeruanda ſit, inquirere oportet.

Gal. 13. meth. 5. modò à dextris ad ſiniſtras, modò à ſuperioribus ad inferiora reuulsionem faciendam eſſe docuit. Altero crure malè habente, inquit, ſcarificabis reliquum: altero brachiorum crura. *Cum multæ ſint oppoſitiones, Gal. modò vnam, modò alterã ſeruandam eſſe docuit.*

At 2. ad Glauconem 2. voluiſſe videtur ſeruandam eſſe oppoſitionem eam, quę eſt ſecundum corporis longitudinem à ſupernis ſcilicet deorſum, & ab inferioribus ſurſum; loquens enim de genu inflammatione ait ſecandam eſſe venam in cubito non autem oppoſiti cruris: Si verò (ſubdit) aliqua pars ſuperior pateretur, per inferiora ſanguis eſſet educendus.

Eodem tamen capite cum hepate patiente interiores dextræ manus venas, liene eadem ratione ex ſiniſtra, & ſi qua pars ex ſuperioribus nimirum circa caput, inflammationem habuerit, eas, quæ extrinſecus ſunt, atque è directo, tundendas eſſe docuiſſet, ſtatim ſubdit, patientibus verò membris extremis, à coniugibus euacuationem faciendam eſſe, ſiuè retrahere velis, ſiue deriuare. Per quæ ſanè verba, nemo eſt, qui non intelligat, manu, aut brachio dextris fluxione tentatis euacuationem ex coniugibus, nempe ex ſiniſtris fieri debere, & idem quoque obſeruandum eſſe in cruribus. Quare varius videtur eſſe Gal. cum modò vnam, modò aliam oppoſitionem non ſolum in diuerſis capitibus, ſed etiam in vno eodemque capite ſeruandam eſſe docuerit.

Prætereo interim difficultatem a nemine, quem viderim, animaduerſam, ex Gal. verbis orientem, quibus velle videtur ex eodem loco faciendam eſſe tum reuulſionem, tum deriuationem, cum dicat, *à coniugibus euacuationem faciendam, ſiuè retrahere velis, ſiuè deriuare.* Non etenim ex eodem loco vtraque fieri debet, cum reuulſio ad longinquas, deriuatio ad proximas efficiatur partes. Omitto, inquam, difficultatem hanc, eam declaraturus in ſequentibus, dum de deriuatione ſermonem faciam cap. videlicet 41. *Difficultas ex Gal. verbis emergẽs à nemine animaduerſa.*

Et ad propoſitam dubitationem me conuertens dico ex hac Gal. diuerſa appa- *Quid ex Gal. apparẽ-*

ti in cōstantia colligendum sit.

apparente opinione, eum non esse inconstantiæ redarguendum, sed potius ex varijs exemplis ab eo allatis, quæ modò vnam, modò aliam oppositionem seruari debere docent, inferendum esse, nil aliud sibi voluisse Gal. nisi quòd nūc vnam, nunc aliam contrarietatem, prout vna, vel altera magis opportuna, & ex vsu esse videbitur, seruare oportet. Quare diligenter considerandum, an sit aliqua Methodus, quæ id docere possit.

Pro determinatione huius non leuis difficultatis tria supponenda sunt, quibus suppositis ad tria etiā respicere debet medicus, vt cognoscere valeat, quęnam oppositio sit seruanda, ne in re tanti momenti, qualis est loci electio in reuulsione facienda, de eo dicatur, quod Aristot. 1. de gener. & corr. tex. 7. veteribus vitio vertit, qui ad pauca respicientes omnia facilè enuntiabant.

Primū suppositum partes alias sursū alias deorsum esse respectu hepatis.

Primum itaque, quod suppono, est, partium nostri corporis alias sursum esse, alias verò deorsum respectu ipsius hepatis, quod medium constituitur à Gal 6. epid. 1. tex. 6. vbi inquit membra supra iecur venæ cubiti scissione indigere, infra verò, crurum, in poplitibus nobis venam cedentibus, aut omninò saltē iuxta malleolos. Et licet lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 18. dubitet, quibus partibus renes adscribi debeant, cū inferiores sint ijs, quæ supra iecur sunt, superiores verò ijs, quæ sunt infra; attamen Gal. (id quod facit ad rem nostram) eos potius annumerandos esse voluit inter inferiores partes, vt ex dicendis paulò inferius apparebit.

Secundum. Non omnem euacuationē fieri reuulsionis gratia.

Secundum, quod suppono, est, non omnem euacuationem fieri reuulsionis gratia, sed interdum solius euacuationis nonnunquam solius reuulsionis, aliquando vtriusque causa; quando modò adsit euacuandi, modò reuellendi simplex indicatio, sæpè verò reuellendi, & euacuandi simul.

Tertium. Internis visceribus nō benè accōmodari oppositionem à dextris ad sinistras.

Tertium suppositum est, internis visceribus, cum ferè sint in medio corpore posita, non benè accommodari oppositionem à dextris ad sinistras partes, sed eam potius, quæ est ab inferioribus ad superiora, & è contra; cum apud Hipp. & Gal. nullum habeamus exemplum, quod ego obseruauerim, nobis demonstrans ad reuulsionem efficiendam in fluxionibus internorum viscerum eam contrarietatem obseruandam esse, quæ est inter dextras, & sinistras partes, sed solùm eam, quæ est secundum corporis longitudinem, sursum videlicet deorsum, & versa vice.

Quęnam oppositio sit seruāda cognoscet medicus ex tribus.

His ita suppositis crederem deinde medicum ad tria præsertim respicientem rectè cognoscere posse, quænam oppositio seruanda sit, dum plures sese offerunt, ad quas ab vna, eademque parte fluxionem patiente reuellere possumus, nimirum ad fluentis humoris naturam, ad fluxionis originem, & ad totius corporis affectionem.

1. Ex fluentis humoris natura.

Ad fluentis quidem humoris naturam respiciendum est, quoniam si fuerit omninò diuersus à natura sanguinis, & iudicauerit medicus reuulsionē faciēdam esse mediante euacuatione, quod ferè semper contingit, tunc vel per aluum, vel per vomitum educendus, & reuellendus erit humor peccans, seruata oppositione illa, quæ est tum à superioribus ad inferiora, aut versa vice, tum ea, quæ est ab exterioribus ad interiora. Prior namque oppositio seruari potest, in quibuscumque partibus fluxione tentatis, siuè externæ, siuè internæ fuerint; quoniam si superiores erunt, per aluum facienda est reuulsio, si inferiores per vomitum. Propterea Gal. 13. meth. 11. dicebat vomitu vtendū esse pudibundis laborantibus, quia hoc est auxilium reuellens in diuersa: eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt, medicamentum, quod al-

uum

uum deijcit, ad contrarium auertit. Et 14. meth. 8. quòd in priapismo medicamentis vomitorijs potius, quàm subducentibus sit vtendum, in linguæ vitio contra, id ex partium situ manifestum esse docuit.

At quemadmodum reuulsione, aut per vomitum, aut per aluum facta seruatur oppositio ab inferioribus ad superiora, aut à superioribus ad inferiora, cũ partes fluxione tentatæ, aut superiores, aut inferiores, siuè internæ, siuè externæ fuerint: ita habito solùm respectu partium internarum reuulsio vnam tantùm contrarietatem respicit, videlicet secundum longitudinem. Sed respectu partium externarum interdum vnã tantum, quæ est ab exterioribus ad interiora, interdum vtramque respicere potest, nempè eam, quæ est secundum longitudinem, & eam, quæ est ab extimis ad interiora. Exemplum manifestissimum est in erysipelate, in quo Gal. 14. meth. 3. loco sanguinis missionis, laudat medicamentum purgans, quod bilem cieat. Vnde si pars erysipelate tentata superior fuerit, vtramque oppositionem seruamus, dum aluum subducimus, & eam videlicet, quæ est à superioribus ad inferiora, & eam, quæ est ab extimis ad interiora. Quòd si pars fuerit inferior, vna tantùm erit oppositio, nimirum ab exterioribus ad interna, nisi in hoc casu bilem per vomitum eduxerimus, qui quidem excitari poterit seruatis præceptis illis, quorum præsertim supra cap. 15. mentio facta fuit: tunc etenim reuulsio vtramque oppositionem respiciet.

Verumtamen præter fluentis humoris naturam, ad quam partem reuulsio facienda sit, docebit quoque fluxionis origo, qualiscunque deinde humor fluxerit, & quamuis ad eam non semper sint retrahendi fluentes humores. Nam id continuò præ oculis habendum, vt humor ad oppositam quidem partem reuellatur, ita tamen vt tutò reuulsio fiat, tutò autem fieri nequit, nisi fluxionis origo consideretur. Exemplis res est declaranda. Laboret hepar humorum fluxu, vt puta inflammatione, humores ad id fluentes indicant suã reuulsionem, quæ fieri potest tum ad superiora, tum ad inferiora, quoniam hepar, cum sit in medio constitutum, respectu partium superiorum dicitur esse inferius, respectu verò inferiorum superius, ergo ad vtrasque fieri potest reuulsio, cum vtræque contrariæ sint. Ad quam igitur oppositionem reuulsio fieri debeat, cognoscemus ex fluxionis origine. Quoniam si à toto præcipuè ortum traxerit, superior vena nimirum dextri cubiti secãda erit, si verò suborta sit fluxio propter menstruorum retentionem, aut ob hæmorrhoidum consuetam euacuationem suppressam, tunc vena tali, vel poplitis scindendá, aut hyrudinibus aperiendæ erunt hæmorrhoidales venæ. Quod colligere possumus ex Hipp. 6. epid. 2. tex. 29. vbi ait, his oportet aperire, quemadmodum singula vergunt. Aperire autem, vt docet Gal. in commento, in communiori nunc significato accipitur, sub quo, & recludere continetur, & venas nobis in mariscis, & venas nasi, atq; vteri recludẽtibus, & fistulas aliquas satis longo tempore patere consuetas, sed aliqua de causa obstructas. Quæ licet pertinere videantur ad euacuationem, attamen si contingat occasione alicuius consuetę euacuationis suppressæ partem aliquam fluxione tentari, tunc nullo meliori modo fluxio reuelli potest, nisi ad fluxionis originem trahendo, venas nimirum, aut fistulas, per quas educi solebat retentus, & fluens humor, recludendo. *2 Ex fluxionis origine.*

Insuper fluente materia à cerebro ad pectus, non ad inferiores partes hæc reuellenda est, sed ad fluxionis originem, applicando calida, & attrahentia

medi-

medicamenta futuræ coronali. Quocirca (vt paucis verbis multa complectar) cum reuulsio humorum inclinationem non respiciat, sed contrario motu eorundem fluentium impetum compescere tentet, licet ad fluxionis originem, vel semper, aut tutò fieri nequeat, vt supra cap. 30. ostensum fuit, attamen fluxionis fonte diligenter considerato, ad quamnam partem retrahendi sint humores, & quænam oppositio ex pluribus, quæ sese offerunt, magis ad reuulsionem idonea sit, cognoscere poterimus.

3. Ex corporis affectione.

Tertio loco corporis affectio idem docere potest. Nam si totum corpus euacuatione indiguerit, tunc non aderit simplex reuellendi indicatio, sed simul etiam euacuandi vrgebit necessitas: at si corpus euacuatione non eguerit, solùm præsens erit reuellendi indicatio.

Si itaque eodem tempore euacuatio, & reuulsio necessaria iudicetur, eum locum eligendum esse puto, qui magis ad euacuationem idoneus sit, vt supra longa oratione ex Hipp. & Gal. mente demonstratum fuit. Propterea quod valde vrget euacuandi necessitas, ita tamen vt euacuatione simul etiam reuulsio efficiatur. Cum autem Gal. 6. epid. 1. tex. 6. in affectionibus partium supra iecur existentium venam cubiti scindendam esse, & in passionibus inferiorum partium venas vel poplitis, vel malleolorum secari debere docuerit, & ibi præsertim de euacuatione locutus fuerit, considerandum est, vrgente etiam reuellendi indicatione, quis locus eligendus sit, per quem euacuatio, & reuulsio simul effici possit.

Crederem igitur in affectibus partium superiorum fluxione laborantium, siuè internæ, siuè externæ fuerint, dum reuellendi, & totum corpus simul euacuandi adest (loquor de euacuatione, & reuulsione, quæ fit per sanguinis missionem, quoniam quis locus eligi debeat in euacuatione, & reuulsione humorum, qui sunt à natura sanguinis diuersi, paulò superius declaratum fuit) crederem, inquam, euacuationem, & reuulsionem semper ad superiores partes fieri debere, non autem ad inferiores, nisi fluxio, aut ab vtero, aut ab hæmorrhoidibus originem traxerit, vt notatum fuit.

Dum partes superiores fluxione laborãt, reuulsionis, et euacuationis gratia venæ superiores sunt secandæ.

Cum etenim totum corpus euacuatione indigeat, hęc commodius fieri nequit, quàm per venæ sectionem in cubito, siue dextro, siue sinistro. Et licet adsit etiam reuellendi indicatio, atque primo aspectu hoc contrariari videatur reuulsionis naturæ, quæ ad oppositas, & distantes partes effici solet, attamen seruatur etiam oppositio, & longinquitas in partium superiorum fluxionibus, dum vena cubiti scinditur, quia hæc respectu hepatis, & partium thoracis sursum, respectu verò capitis, & eius partium deorsum euacuando reuellit. Insuper si partes internæ fuerint, dum venæ sectio sanguinem euacuat, & extra corpus educit, eum ab interioribus ad exteriora reuellit, non quia à centro ad circumferentiam trahat, quemadmodum cucurbitulæ faciunt, quando potius oppositum motum efficiat, sed quia sanguinem extra corpus educens à visceribus interioribus ad exteriora eum retrahere dicitur. Seruatur itaque oppositio, & distantia. Qua de causa Gal. 13. meth. 11. in iecoris inflammatione secat internam cubiti dextri venam, vt sanguis, qui ad iecur fluit, educatur, & reuellatur. Hac etiam de causa medici, qui Hipp. & Gal. doctrinam sequuntur ad euacuationem, & reuulsionem simul in pleuræ, pulmonis, gutturis, cerebri, capitis, & eiusdem partium inflammationibus superiores venas, siuè internas, siuè externas brachij, siuè dextri, siuè sinistri, vt rectitudo seruetur de qua infra, secare solent. Hinc quoque superioribus partibus externis fluxio-

nem

nem patientibus,dum corpus euacuatione indiget,secantes brachij venas modò eam seruamus oppositionem,quæ est à superioribus ad inferiora, vt in capitis externis partibus affectis,modò eam,quę est à dextris ad sinistras,vt dum brachium,aut manus fluxione tentantur.

Inferioribus partibus fluxione tentatis reuulsio ad superiora efficienda per venam sectam.

At quando Gal. 6. epid. citato subdit, in passionibus inferiorum partium secari debere venas,vel poplitis,vel malleolorum, dico hac euacuatione nullam fieri reuulsionem ab inferioribus partibus, quia potius hæc est deriuatio, seu euacuatio ab affecta parte. Vnde reuulsio inferioribus partibus fluxione tentatis semper ad superiora fieri debet, & præsertim dum totũ corpus euacuatione indiget. Propterea Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss.cap. 18. dubitans (sed vt ego arbitror, ex aliorum sententia) an renes inter partes superiores, an inferiores connumerari debeant,dubitationem soluere, & eos potius inferioribus partibus adscribere videtur, quando in eorum incipiente inflammatione, & præsertim si copia sanguinis affuerit, laudet venæ sectionem ex cubito, vt ab inferioribus ad superiores partes reuulsio fiat; at si affectio fuerit nephritica nullo amplius habito reuulsionis respectu iubet secari venas inferiores poplitis, vel malleolorum. Insuper 2. ad Glauconem secund. genu inflammationem patiente sanguinem mittit ex cubito, & præsertim si totum corpus plenitudine laborauerit. Atque eodem capite à locis muliebribus reuulsionem fieri dicit, si venas, quæ in cubito sunt, secuerimus.

Concludamus itaq; præsente indicatione tum totum corpus euacuandi, tũ reuellendi,quibuscumq; partibus,siuè superioribus,siuè inferioribus fluxione præsertim magna tentatis cubiti, vel dextri, vel sinistri venas aperiendas esse (nisi fluxionis origo oppositum docuerit) quoniam is locus eligendus est, qui ad euacuationem sit magis idoneus,cum hęc maximè vrgeat,& hac eadem etiã commodè satisfaciamus alteri reuellendi indicationi ab humorum fluxu desumptæ. Nam si potius reuulsioni,quàm euacuationi intenti essemus,& ad distantissimas partes semper reuellere vellemus, vt nonnulli faciendum esse existimant,secantes per exemplum in superiorum partium inflãmationibus malleolorum venas: fieret quidem tum reuulsio, tum etiam totius euacuatio, sed non adeo subitò,neque adeo facilè,neque eo modo, quemadmodum exigere videtur præsens necessitas.

In simplici reuellẽdi indicatione omnes oppositiones seruari possunt.

Cęterum si solùm adfuerit reuellendi indicatio,tunc nullo habito euacuationis respectu,sat erit fluxionis motum ad contrarium retrahere,quibuscũq; præsidijs,siuè quacunq; ratione id efficiatur,aut videlicet à superioribus ad inferiora,aut à dextris ad sinistras,siuè intus foris,& è contra. Quòd enim à dextris ad sinistras fieri possit,docuit Gal. 13.meth. 5. altero crure malè habente, inquit,scarificabis reliquum: & 2. ad Glauc. 2. patientibus membris extremis à coniugibus euacuationem faciendam esse docuit. Quòd ab inferioribus ad superiora,& versa vice infinita penè exempla habentur apud Hipp.& Gal. Verùm duo præcipuè consideratione digna videntur, vt locus reuulsioni opportunus eligatur.

Cur oppositio secundũ longitudinẽ omnium frequentissimè seruetur.

Alterum est frequentissimè omnium seruari oppositionem eam, quæ est secundum longitudinem corporis,sursum quidem deorsum,& è contra. Rationem puto, quia paucæ admodum sunt partes, quæ habeant oppositionẽ, quæ in reuulsione seruari possit,à dextris ad sinistras,quã plurimæ verò,quinimò omnes ab inferioribus ad superiores,&à superioribus ad inferiores partes.

Nam internarum partium à dextris ad ſiniſtras contrarietatem paruifaciendam, & ferè nullius momenti eſſe arbitror, quando in reuellendis fluxionibus haſce partes infeſtantibus, ſicuti etiam in omnibus alijs, rectitudo ſeruanda ſit, quæ potius eſt inter ſurſum & deorſum, quàm inter dextras, & ſiniſtras partes. Externæ verò partes, quæ habent oppoſitionem à dextris ad ſiniſtras, ſunt præſertim brachia, & crura, manus, & pedes, ſed huiuſcemodi membra habent quoque contrarietatem ſecundum corporis longitudinem. Quocirca frequentiſſimè omnium oppoſitionum ſeruatur ea, quę eſt ab infernis ſurſum, & à ſupernis deorſum. Ita enim videtur ſenſiſſe Gal. 13. meth. 11. dicens, vbi pectus, aut ventriculus, aut partes circa collum, caputue phlegmone laborant, excogitatum eſt artus vincire. Quippè ipſum, quod inflammatione tentatur, vinciendum non eſt, ſed, ſi in manibus phlegmone eſt orta; crura: ſi in cruribus, manus. Ita quoque Hipp. 5. aph. 50. dicebat, mulieri, ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas apponendam eſſe, quia ſurſum reuellit. Hac eadem de cauſa cum è naribus ſanguis erumpit, eum retinere maximas in præcordijs defixas cucurbitulas docuit Galenus 5. method. 3. Et alia multa ſimilia exempla apud Hippocratem, & Galenum reperies, quæ reuulſionem ſœpiſſimè ſecundum corporis longitudinem fieri docent.

Preſidia reuellentia, dũ fluxio valida eſt, non adeo diſtãti loco sũt adminiſtrãda.

Secundum verò, quod noto, eſt, præſidia ſimpliciter reuellentia, ſiuè cum euacuatione (hæc enim interdum ſolius reuulſionis gratia in vſum venit) ſiuè ſine euacuatione id præſtent, dum præſertim ſurſum deorſum reuellere quærimus, ſi fluxio valenter irruat, quæ non adeo diſtanti loco adminiſtrantur, eò valentius, & celerius reuellere, dummodo tamen ea longinquitas ſeruetur, quæ reuulſioni neceſſaria ſit. Vnico exemplo res manifeſtetur. Fluat copioſè alicui ſanguis è naribus, abſque dubio omnia reuulſionum genera inferioribus partibus adhibita proderunt, ſed maiorem vim in reuellendo habebunt maximæ cucurbitulæ in præcordijs defixæ: & rurſus omnium maximè potens erit venæ ſectio in brachio adminiſtrata tanquam reuulſorium præſidium.

Hæc itaque, & ſimilia illa ſunt, quæ diligenter à medico conſiderata docere poterunt, quamnam oppoſitionem ex pluribus, quæ illi ſeſe offerunt, in reuulſione facienda ſeruare oporteat.

Quid per venas communes cum Gal. intelligere debeamus. Cap. XXXVI.

Primus modus, quo venæ inter ſe cõmunicare dicuntur.

NOn eſt adeo facilè cognitu, quid ſibi voluerit Gal. 2. ad Glauc. 2. dum etiam ex ipſius Hipp. mente aſſerit, reuulſionem, & deriuationem fieri per communes venas. Nam ſi intellexerimus communitatem eam, quæ eſt inter omnes venas, ratione cuius vna exinanita cęteræ quoque per conſecutionem quandam inaniuntur, quia omnes ab vno trunco ortum ducunt, cum huiuſmodi venarum cõmunio in omnibus reperiatur, præcepto non eget, vt ait Argenterius. Quinimò ſi ita interpretaremur Gal. verba, fruſtra traderentur regulæ ad vbi agendum pertinentes, cum habito reſpectu ad hanc communitatem indifferenter quælibet vena ſecari poſſet. Quare credendum eſt quicquam aliud ſibi voluiſſe Gal.

Sed

Secundus modus.

Sed neque dixeris intelligendas esse venas coniunctas cum ijs, quę in partibus ipsis sunt sitę, vt cum inflammato gutture secatur vena sub lingua, & indulatæ phlegmonarum in oculis reliquiæ, secta, quæ ad magnum decurrit angulum, vena, mirificè iuuantur, sicuti docuit lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. Nam ibi loquitur de euacuatione à parte affecta, quando inflammatio inueterata est, nec amplius reuulsio locum habet, interim autem de reuulsione est sermo. Insuper exempla 2. ad Glauc. proposita excludunt hanc venarum communitatem, quia in reuulsione ab vtero proponit venæ sectionem in cubito, quæ nullo pacto coniuncta est cum ijs, quæ in vtero sunt sitæ.

Tertius modus.

Alteram venarum communicantiã adinuenio, cuius mentionem facit Gal. lib. de tremor. palpit. conuul. & rig. cap. 5. vbi declarans historiam Estymargi ancillæ ab Hipp. 2. epid. sect. 4. propositam, cui detraxerat Hipp. sanguinem ex pede ob retentum puerperium, inquit. Quòd igitur sanguine abundante venam incidere oportet, nemo non nouit, siquidem in venis ille continetur. Quòd autem vtero affecto circa talum, aut in poplite diuidere conuenit, nisi prius venarum communiones ex anatome didiceris, haud poteris, id, quod dico, assequi. Alia enim alij corporis parti vena communicat, oportetque vacuationes semper ex communibus moliri. Nam si venas, quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & sanam semper offendes.

Quęnã venarum communio in reuulsione seruanda sit.

Hæc itaque, vt ego arbitror, est illa venarum communio, cuius meminit idem Gal. 2. ad Glauconem citato, quæ non consistit in eo, quia venæ per quas fit, vel reuulsio, vel deriuatio coniunctæ sint cum ijs, quæ in partibus ipsis sunt sitæ (licet talis coniunctio interdum in deriuatione, & reuulsione, vt dum secta vena brachij reuellimus ab hepate, locum habere possit) sed potiùs in partium consensu, & in communitate quadam venarum inter se, ratione cuius ab vna parte ad aliam facilè, vel reuellimus, vel deriuamus. Nullo etenim alio pacto intelligi debet Gal. sententia: quod ostendunt etiam exempla ab eo allata. Si quidem cum dixisset vtrunque euacuationis genus reuulsionem videlicet, & deriuationem per communes venas fieri, statim ad huius dicti declarationem exempla addit huiusmodi. Veluti in locis muliebribus retrahes, si eas, quæ in cubito sunt secueris venas, aut circa mammas cucurbitas apposueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, si eas, quæ in poplitibus, aut talis sunt, venas diuiseris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atque alligaueris. Quæ sanè exempla nulla alia ratione verificari possunt, quòd per venas communes reuulsio, & deriuatio efficiatur, nisi quia inter has partes adest consensus, & communicantia quædam, vt ad superiora quidem reuulsio, ad inferiora verò deriuatio fiat. Et rursus huius rei veritas ex eo etiam apparet, quia subiungit Gal. Et si quidem in parte dextra locorum muliebrium passio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris sanguinem, si verò in sinistra à membris, quæ illi è directo sunt, vt omninò hæc partium, & venarum communitas seruaretur, quando partes dextræ dextris, & sinistræ sinistris magis consentiant.

Partiũ consensum interdum ex anatome cognosci.

Notandum tamen est, hunc partium consensum ex Gal. mente interdum ex anatome cognosci posse, interdum verò experientia, ex anatome quidem, quando consensus iste pendet ex venarum communione: Vnde Gal. lib. de rigore cap. 5. citato ait, nisi ex anatome didiceris venarum communionem, non poteris id, quod dico, assequi; loquitur autem ibi de consensu venarum po-

poplitis, aut tali cum vtero, quem ex anatome cognoſcimus, quoniam ab eodem trunco venæ cauæ deſcendentis oriuntur venæ, quæ ad vterum feruntur, & eæ, quæ in poplitibus, & malleolis ſunt, quare iſtis ſectis ob conſenſum, quē habent cum vtero, fit ab eo deriuatio, & euacuatio. Quinimò nedum harum venarum ſectio, ſed etiam cucurbitulæ coxis affixæ, frictioneſque & crurum ligaturæ, atque calefactiones idem præſtant: proptereaquod hæc omnia deriuationum genera ab vtero deriuare per eaſdem venas poſſunt. Ex aduerſo ſi reuellere cupimus, ſuperiores venæ ſcindendæ ſunt, quæ quoniam à vena caua aſcendente oriuntur, in oppoſitum terminum retrahentes humores eorundem fluxionem ſiſtunt: atque hac eadem de cauſa, frictio, calefactio, & ligaturæ partium ſuperiorum idem præſtant.

Nonnunquā experientia.

Interdum autē conſenſus iſte ex anatome cognoſci nequit, quando ſcilicet nulla adeſt venarum manifeſta cōmunio, ſed ſola experientia innoteſcit, quia frequenter ita fieri viſum eſt, vt ſupra cap. 22. ex Hipp. & Gal. mente notatum fuit. Vt ſi lien fluxione tentaretur, ad reuulſionem faciendam partes ſiniſtræ eligendę eſſent, quando cum liene conſentiant, non tamen ratione conſenſus venarum, quia à liene ad ſiniſtras partes nullæ venæ feruntur, ſed ſolùm ratione rectitudinis, quæ in ſitu ipſo conſiſtit, cum partes dextræ dextris, & ſiniſtræ ſiniſtris magis conſentiant.

Dubitatio.

Cęterum alia ſoluenda eſt difficultas ex eodem cap. 2. ad Glauc. emergens. Nam reuulſionem, & deriuationem eam per communes venas fieri dicit Gal. quæ fit euacuatione: at exempla ab eo propoſita, vt cucurbitulæ mammis, & coxis affixæ (de ſiccis loquor) calefactio, frictio, ligaturæ manuum, & crurum ſunt reuulſionis, & deriuationis materiæ medicæ, quæ cum fiant ſine euacuatione non videntur contineri ſub ijs deriuationis, & reuulſionis materiebus, quæ euacuando reuellunt, aut deriuant.

Solutio.

Huic difficultati paucis reſpondeo, cucurbitulas, frictiones, & reliquas huius cenſus remediorum materias, etiamſi extra corpus ſenſibiliter nihil educant, à parte tamen affecta humores euacuare, dum vel eos ad aliam partem retrahunt, vel deriuant.

De rectitudine in reuulſione ſeruanda. Cap. XXXVII.

PAuca ad rectitudinem in reuulſione ſeruandam pertinentia dicenda ſunt, quoniam ſupra cap. 22. quænam ſit eiuſdem ratio, & in quo conſiſtat dictum fuit. Neque laborandum eſt in conuellenda eorum opinione, qui exiſtimauerunt non poſſe ſeruari rectitudinem à dextris ad ſiniſtras partes, & è contra, ſed ſolùm ſecundum corporis longitudinem. Nam longa oratione paulò ſuperius cap. 34. oſtenſum fuit, in reuulſione omnes oppoſitiones locū habere, licet ea frequentior ſit, quæ eſt ab infernis ad ſuperiora, & à ſupernis ad inferiora.

Rectitudo in quacunque oppoſitione ſeruādą.

Cum itaque reuulſionis natura ſit, vt ad contrariam partem reuellantur humores, & contrarietas eſſe poſſit, tum ſurſum deorſum, tum ab interioribus ad exteriores, à dextris ad ſiniſtras partes, ante retro, & verſa vice, ergo in reuulſione facienda, ſemper vna ex iſtis contrarietatibus ſeruanda eſt, in qua quoniam è directo ſibi opponuntur partes, hinc fit, vt rectitudo quoque neceſſariò ſeruetur, qualiſcunque ea fuerit. Ita tamen, vt in ea oppoſitione, quæ eſt ab infernis ſurſum, & à ſupernis deorſum, ea rectitudo ſeruetur, quæ

est inter sinistras,& sinistras, vel dextras,& dextras partes. Ad hanc enim respiciens Gal. 2, ad Glauconem 2. dicebat,& si quidem in parte dextra locorũ muliebrium passio fuerit, à dextra manu detraxeris sanguinem : si verò in sinistra, à membris,quæ illi è directo sunt. At contrarietas, quæ intercedit inter dextras,& sinistras partes in externis membris tantummodo locum habere videtur. Ita Gal. loco nuper citato patientibus membris extremis a coniugibus euacuationem faciendam esse, si retrahere velis, docuit. Tertiò rectitudo quoque seruanda est ante retro. Quæ causa fuit, cur Hipp. 5. aph. 68. dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta venam incisam prodesse scripserit. Denique seruatur etiam rectitudo ab interioribus ad exteriora, & è contra, quia in hac quoque reuulsione adest terminorum oppositio à centro videlicet ad circunferentiam, & à circunferentia ad centrum.

Quid sēsenserit Argenterius.

Rursus cum rectitudinis ratio reuulsionis respectu consistat in partium opposito situ, ita vt reuulsio efficiatur ad partem parti fluxione tentatæ oppositam: retractio hæc fieri commodè nequit, vt præsertim Argenterius cõmentario 3. in artem medicam super cap. 99. putauit, nisi adsit aliqua harum partium interse communio, siuè conspicua, siuè occulta: conspicua quidem, quæ efficitur per venas coniunctas cum ijs, quæ in partibus ipsis affectis sunt sitæ: occulta verò illa est, quæ per venarum orificia per cauitates musculorum, & per meatus, qui viuente homine maximè patent, eo autẽ mortuo occulti sunt, & cęci, fieri solet.

Reijcitur Argenterij opinio.

Verùm antecedenti capite exclusa fuit hæc venarum communio, tanquam ea, quæ nimis particularis est,& potius locum habet in euacuatione à parte affecta, seu etiam deriuatione quàm in reuulsione. Nam licet quandoque in reuulsione obseruetur; attamen vniuersalior est alter venarum consensus, de quo pariter superiori capite actum fuit ex Gal. mente. Vtcumque tamen non in omni reuulsione hæc conspicua venarum communio, quæcumque fuerit, reperitur, neque rectitudo semper in hac consistit, reperitur tamen semper situs partium oppositus, ergo in hoc potius, quam in venarum consensu rectitudinis ratio posita est, licet, quando fieri potest, hic quoque omninò obseruari, & nulla ratione prætermitti debeat.

Occultus verò ille partium consensus per venarum orificia, cauitates musculorum, ac cęcos meatus indistinctè inter vnam, & aliam partem, siuè opposita, siuè minimè opposita fuerit, reperitur, cum ex Hipp. lib. de alimento consensus vnus sit, conspiratio vnà, & omnia consentientia, ergo præcepto non eget, & ad rem non facit.

Quare vt reuulsio probè efficiatur, vel partium oppositio, vel fluxionis origo consideranda: ita vt rectitudo, quæ est inter oppositos terminos, vel inter fluxionis originem,& affectam partem, spectetur, hac etenim ratione ad contraria reuellentur humores seruata rectitudinis lege.

Difficultas circa rectitudinē seruandam in euacuatione,& reuulsione.

At oritur non leuis, neque contemnenda difficultas. Nam rectitudinis rationem tàm euacuationis, quàm reuulsionis respectu in situ consistere dictum fuit, adeò vt pars parti è directo posita sit, sed pars parti è directo posita ei omninò contraria videtur, quare tàm in euacuatione, quàm in reuulsione partium contrarietas spectanda.

Quòd si hoc verum est, & in euacuatione naturæ, & humorum inclinationem imitari debemus, atque in reuulsione oppositum faciendum est, quia humorum motum motu contrario compescere quærimus, ergo si rectitudinis ra-

tio in vtroque præsidio erit eadem, dum euacuabimus, reuellemus, & simul naturæ motum imitabimur, & eum contrario motu compescere tentabimus, quod omninò impossibile videtur.

Euacuatio ab affecta parte nō cōsistit in cōtrarietate.

Pro huius difficultatis solutione in primis supponendum est, euacuationis ab affecta parte naturam non consistere in contrarietate, sicuti in eadem consistit reuulsionis ratio. Vnde si qua apparet contrarietas inter partem, à qua fit euacuatio, & inter partem, per quam fit, hæc illis accidit, quia cum è directo positæ esse debeant, ratione huius rectitudinis, & terminorum à quo, & ad quem videntur esse contrariæ, sed contrarietas hæc nullo modo est necessaria. Quinimò si fieri posset, vt ait Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. ex ipsis affectis partibus euacuatio facienda esset, quòd si nequeat, saltem ex vicinis. Quocirca in euacuatione non attenditur partium contrarietas, sed solùm partis, per quam fieri debeat, situs è directo positus, & quantum fieri potest, proximus eligendus est: secus accidit in reuulsione, quæ necessariò partium oppositionem expostulat. Requiritur igitur in vtroque præsidio rectitudo, cuius ratio consistit in situ partium è directo, sed in reuulsione debet esse cum contrarietate, quæ in euacuatione non est necessaria.

Rectitudo in euacuatione, & reuulsione est eadē secundum genus, diuersa verò ratione terminorū.

Amplius in euacuatione humorum inclinationem, vt eam imitemur, animaduertimus, in reuulsione contrarium motum facimus, sed semper è directo, ita vt rectitudo in vtrisque sit eadem secundum genus, non tamen eadem ratione terminorum, quia in euacuatione per eam partem, ad quam humores inclinant, euacuandum, in reuulsione per eam, per quam humorum fluxus cohiberi potest. Hinc, vt dicebat Gal. 2. ad Glauc. 2. in passionibus vteri, ab eodem euacuamus per inferiora, reuellimus per superiora, & secundum eandem rectitudinem, quia si passio fuerit in parte dextra ad euacuationem, & deriuationem vel poplitis, vel tali dextri, ad reuulsionem verò vel brachij, vel manus dextræ vena secanda.

Seruatur itaque eadem rectitudo, neq; tamen, dum euacuamus, reuellimus, neque simul naturæ motum imitamur, & eum contrario motu compescere tentamus, cum diuersi sint termini, per quos reuellimus, & euacuamus.

Per eandem partem fieri potest interdum reuulsio, & euacuatio.

Denique non est inconueniens, interdum per eandem partem euacuare, & reuellere, quando videlicet vtraque vrget indicatio, vt supra cap. 33. longa oratione ostensum fuit, sicuti contingit in inflammationibus internorum viscerum, vt puta hepatis: tunc enim secta vena dextri cubiti euacuamus, & reuellimus, in quo sanè casu seruamus eandem prorsus rectitudinem in euacuatione, & reuulsione, licet euacuatio hæc potius vniuersalis sit, & totum corpus respiciat. Quæ namque particularis est, & ab affecta parte simpliciter euacuare dicitur, ea reuulsioni contraria esse videtur.

De Vtendi modo in reuulsione. Cap. XXXVIII.

VArij sunt modi, quibus vtimur, dum reuellere volumus. Nam reuulsio efficitur, vel euacuatione, vel sine: si cum euacuatione, tunc euacuamus vel sanguinem, vel humores diuersos à natura sanguinis: si sanguinem, id efficitur, vel venæ sectione, vel cucurbitulis scarificatis, vel hyrudinibus: si humorem à sanguine diuersum, id accidit, vel per vomitum, vel per aluum, vel per vesicantia, aut cauteria.

At si reuulsio sine euacuatione fiat, pariter varijs modis efficitur, nimirum

cucur-

cucurbitulis siccis, ligaturis, frictionibus, & calefactionibus.

Amplius ad vtendi modum pertinet etiam nouisse, an reuellentibus præsidijs diuersis diebus, an eadem die iteratis vicibus, vti liceat. Rursus alia sunt, quæ subitò, & affatim reuellunt, vt per exemplum venæ sectio purgatio, alia verò paulatim, & continuò, cuius census præsertim sunt cauteria.

Non est interim agendum de indicantibus tàm varios vtendi modos, id enim suo loco contemplabimur, quando videlicet seorsim de horum vnoquoque præsidio proprijs tractatibus agetur. Hoc solùm in vniuersali nouisse sufficiat, reuellentia nimirum præsidia, quæ sanguinem euacuant, indicari à sanguinis fluxu; quæ humorem à sanguinis natura diuersum euacuando reuellunt, à fluxu illius humoris, seu ichoris, qui peccat, præscribi. Quæ autem sine euacuatione reuellunt, indifferenter à fluxu quorumcunque humorum, & vaporum etiam indicantur. Rursus reuellentia magna, cuiusmodi sunt venæ sectio, purgatio, & vesicantia nulla ratione conueniunt, nisi fluxio magnum producat, aut productura sit morbum: extremis si quidem morbis extrema conueniunt remedia.

At, quod difficultatem facit, est, vtrum præsidijs, quæ euacuando reuellunt, eadem die iteratis vicibus, an diuersis diebus vtendum sit, quoniam Gal. sibi contradicere videtur. Nam lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 22. euacuationis ratione eadem die repetit venæ sectionem, reuulsionis verò respectu diuersis diebus. Iteratæ (inquit) detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem vacuare conamur, eodem die esto: at in quibus reuellere, si vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. Ex altera parte 5. meth 3. eadem die, & interposita vna tantùm hora euacuationem reiterandam esse docuit dicens. Quòd si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda est, qui profusioniè directo respondet: vbi paulum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rursus detrahes: post iterū, atq; iterum pro laborantis viribus.

An reuulsio iteratis vicibus fieri debeat eadē die, vel diuersis.

Gal. sibi cō. tradicit.

Quòd iteratis vicibus necessarium sit, vti reuellentibus remedijs, non est, qui dubitet, quoniam hac ratione facilius assuescit natura humorum fluxionē ad contrariam partem reuocare: at quòd interdum eadem die repetenda sint, interdum diuersis diebus causa est inquirenda. Non enim existimandum est Gal. inconstantem esse, sed potius dari posse casū, in quo nonnunquam breui interposito tempore, aliquando verò diuturniori, & diuersis diebus iteranda sit reuulsio mediante euacuatione facta.

Crederem itaque causam desumendam esse ex vrgentia, seu magnitudine fluxionis, in qua, dum præsens est, eadem die repetenda est reuulsio. Hinc Gal. 5. meth. 3. in fluxione sanguinis è naribus, quod est symptoma valdè magnum, ex quo imminet vitæ periculum, interposita tantùm vna hora, post iterum, atque iterum pro laborantis viribus reuulsionem per venæ sectionem iterandam esse docuit. At si affectus non vrgeat, & præsertim præsens non sit, sed timeatur, de quo sanè casu loquitur Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 22. longius tempus interponendum est inter vnam, & alteram vicem. Nam hac ratione, cum humores actu non moueantur, aut saltem fluxio valenter non irruat, melius est duobus deinceps diebus iterare reuulsionem, quia diuturniori interposito interuallo inter vnam, & alteram reuulsionem, quæ euacuatione efficitur, humores, qui aut nondum mouentur, aut lentè fluunt, commodius reuocantur, aut fluere prohibentur ad contrariam partem retracti, quàm si eadem die iteraretur reuulsio. Quemadmodum enim dum fluxio

In fluxionis magnitudine eodē die repetēda est reuulsio.

Dum affectus nō vrget, & in præseruatione diuersis diebus repetēda reuulsio.

affatim fit, & valdè vrget, breui interposito tempore reuulsio est iteranda, ita dum lentè fluunt, aut eorum fluxio timetur, longius tempus inter vnam, & alteram vicem interponendum est, vt quæ longiori tempore fluxio efficitur, aut futura est, longiori etiam tempore ad oppositam reuellatur partem.

Notandum. Tandem, quæ subitò, & affatim reuellunt, remedia, vt præsertim sunt venæ sectio, & purgatio, ab humoribus, qui affatim, & celeriter confluunt, indicantur; at quæ continuò, & paulatim fluxio efficitur, indicat præsidia, quæ paulatim, & continuò fluentes humores, seu vapores retrahant: vt per exemplum dum ab hepate malè affecto ad caput paulatim, & iugiter humores, & vapores ascendunt, inustum cauterium in fęmore dextro in parte domestica eosdem paulatim, & continuò reuellit.

De quando agendum, & vtrum prius quàm reuellamus sedandus sit dolor. Cap. XXXIX.

OPportunum reuellendi tempus, sicuti reliquorum auxiliorum occasio, indicatur à præsentia indicantis, & prohibentis absentia. Quocirca si de indicantis præsentia sit sermo, tunc ea adest, quando humores confluunt, aut etiam eorum fluxio timetur, sed hoc in præseruatione, illud in curatione locum habet. Qua de causa Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. dicebat, incipientes inflammationes reuulsu euacuare oportere, quæ verò inueteratæ iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus, quòd si nequeat, saltem ex vicinis. Etenim in incipientibus auertere, quod influit, expedit, in inueteratis autem ipsum tantùm, quod affectæ parti infixum est, euacuare. Et paulò inferius addidit, reuulsiones cum euacuatione adhiberi magis debere in fluxionibus incipientibus. Semper igitur erit opportunum reuellendi tempus, quousque fluxio perdurat, cum verò iam restitit, atque in membro inhęsit, reuulsio non amplius locum habet. Hæc adeò clara, & manifesta sunt, vt nullus remaneat dubitationi locus.

Quòd si animum ad prohibentia conuertamus, hæc duo præsertim esse possunt, nimirum virium languor, & dolor partis fluxione tentatæ ratione cuius, dum fit attractio ad dolentem partem, fluxio reuulsorijs remedijs cedere magna cum difficultate poterit.

Quã reuulsionem vires interdũ prohibeant. Virium imbecillitas non prohibet simpliciter omnem reuulsionem, sed eam solùm, quæ fit euacuatione, & præsertim venæ sectione, aut purgatione, eo prorsus modo, quo supra ostensum fuit debiles vires, vel omninò prohibere, vel moderari euacuationes ipsas. At alia reuellentia remedia, quæ vel sine euacuatione reuellunt, vel etiamsi euacuent, saltem viribus non multùm officiunt, vt sunt hyrudines, & cucurbitulæ scarificatæ, non prohibentur à virium debilitate, nisi ea fuerit talis, vt nullum remedium admittere possit.

An ante reuulsionem dolor sit sedandus. De dolore res controuersa videtur, an prius dolor sedandus, & postea reuellendum, an verò nullo adhibito dolorem demulcente remedio fluxionem prius euacuantibus præsidijs retrahere tentandum sit.

Auicennæ opinio. Auicenna lib. 1. fen 4. cap. 1. existimauit dolorem prius sedandum esse dicens. Quumque ad diuersum retrahere volueris, dolorem prius seda. Causam ipse non addit, sed hæc esse videtur, quia proprium doloris est attrahere: humores igitur ad partem affectam nedum proprio impetu fluentes, sed etiam à dolore attracti reuulsorijs remedijs reluctabuntur.

Quæ

Hipp. opinio, cui subscribit Gal.

Quæ visa quoque fuit Hipp. sententia 6. epid. 2. tex. 8. *cedentem retrahere statim, renitenti cedere*, inquit diuinus ille senex: cuius opinionem non solùm sequitur Gal. in commento, sed rationem quoque addit, quæ illam confirmat, dum ait. Neque enim semper in retrahentibus auxilijs permanendum est, sed aliquod tẽpus, quod retrahẽtibus vacet, interponere oportet, vt succum, qui in affecto membro prius inhęserit, excerni permittamus: in membro enim remanens ipsum bifariam contristabit, & multitudine distẽdens, & qualitate discrucians. At si humores in particulam illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis, faciliusque reuulsorijs auxilijs aliquid proficies, non amplius in seipsum membro propter dolores succos proritante, vltra eam, quam à principio non rectè acceperant, inclinationem. Hæc Galenus. Atque præceptum hoc vtilissimum cognitu putat ijs, qui humores in membrum aliquod præter naturam irruentes rectè reuellere cupiunt. Sedandus itaque dolor est, prius quàm reuellentibus præsidijs vtamur.

Gal. videtur sentire oppositum.

Ex altera parte Gal. 3. epid. 3. tex. 76. lenientia dolorẽ ante euacuationẽ applicita suspecta existimat. Nam sępe ad partem affectã omnino ob ea remedia allicitur humorum affluentia. Amplius 1. aph. 23. in vehementissimis doloribus fatetur nullum esse præstantius remedium, quàm euacuationem vsque ad animi deliquium, certum autem est huiusmodi præsidium adhiberi etiam tanquam reuellens ab affecta parte, nõdum mitigato dolore. Et lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 17. ei, qui magna oculorum inflammatione, magnoque dolore cruciabatur, nullo præmisso medicamento, qđ dolorẽ leniret, tres libras sanguinis exhausit, & post quatuor horas aliã librã. Quare sibi contradicere vr̃ Gal.

Cõfirmatur Galen. opinio ratione.

Et re vera ratio quoq, suadere videtur, nullo adhibito medicamento dolorẽ demulcente, statim deueniendũ esse ad euacuationẽ eã, quæ irruentes humores ab affecta, atq; dolente parte retrahere potest, quia hoc pacto sedata fluxione, aufertur quoq; doloris causa, quare & dolor etiã necessariò tollitur. Frustra igitur ad anodyna recurrimus, cũ remedia, quæ doloris causam remouent, sint in prõptu. Si enim, vt inquit Gal. 12. meth. cap. 1. licet ægrũ doloribus obnitentem valentibus remedijs vno die persanare, qui tota neglecta curatione dolori tantùm est intentus, non id ex artis ratione, sed in ægrotantis gratiam facit.

Quãdo tutò vti possimus sedantibus dolorem medicamentis.

Quinimò tunc solùm tutò vti licet medicamentis dolorem lenientibus, qñ nulla adest in corpore humorũ affluentia, quia nõ est periculum vt fiat materiæ attractio ad affectã partẽ; At si remedia dolorẽ sedare nequeant, deueniendum est ad euacuationem, quia hoc est signum adesse in corpore humorũ abundantiã, quę euacuatione, & reuulsione indiget. Ita opinatur Gal. 3. epid. 3. tex. 76. citato dicens, sin nulla ex præcedente victus genere esse affluentia in corpore appareat, remedijs ad dolorem facientibus tutò vtaris licet, fomẽtisque, ac medicamentis humidis, & calidis facultate. Qui si his non cedat, relinquitur, vt totum corpus euacuetur. Quare perseuerante fluxione nusquam leniri poterit dolor, nisi post euacuationem, & reuulsionem. Ob hancque eandem causam, vt interpretatur idem Gal. 2. acutorũ 1. Hipp. pleuriticorum dolorem sedare calidis fomentis tentandum esse docuit, quando credi potest, in corpore neque superabundare humores, neque ad dolentem partem fluere. Verùm si fomentis dolor non soluatur, totum corpus euacuare oportet, vt tex. 9. sequenti vtrique docuerunt. Quapropter tantùm abest, vt perseuerante fluxione ante reuulsionẽ sedandus sit dolor, quòd potius impossibile sit, vt mitigetur, nisi prius fiat per euacuationem reuulsio. Quid itaque in hac controuersia determinandum est?

Non oportet conterere tempus in proponendis, & redarguendis aliorũ opi-

Difficultatē propositā nō rectè ab alijs solutā esse.

nionibus, qui recurrentes ad vulgatam illam distinctionem de cura coacta, & regulari dicunt, quòd cura regulari procedendum est præcepto Auicennæ, qui prius docuit sedandum esse dolorem, cura verò coacta præcepto Galeni, qui mittit sanguinem vsque ad animi deliquium. Quæ responsio nihil valet, quoniam quando vsque ad animi defectū sanguis exhauritur, cura non est coacta, sed regularis. Nonnulli verò addunt, in vehemētissimis solùm doloribus procedendum esse cura regulari, tūc enim melius est incumbere prius mitigationi doloris, quàm reuulsioni. Quæ solutio pariter repugnat Gal. & rationi: Gal. quidem, quia ipse solùm in vehemētissimis doloribus videtur proponere missionem sanguinis vsque ad animi defectionem, nullo prius remedio adhibito, quod dolorem mitigare possit: rationi verò, quia regularis cura non respicit symptoma, sed causam; quare quæ curatio ad dolorem dirigitur, dum videlicet eum lenire tentamus, nullo habito causæ respectu, non est regularis, sed coacta. Regularis namque, & methodica illa est, quæ causam doloris respicit, quoniam ex Gal. 6. epid. 2. tex. 9. nulli symptomati primario, sed ipsum creanti affectui curatio semper debetur.

Quid sentiēdū sit pro solutione difficultatis propositæ.

Derelictis itaque aliorum opinionibus pro solutione hujus difficultatis non existimarem ego necessariò dolorem sedandum esse, antequam reuulsorijs præsidijs vteremur, vt videtur fortasse voluisse Auicenna, quando impossibile sit remedijs dolorem demulcire perseuerante humorum fluxione, à qua continuò & fouetur, & augetur. Neque Hipp. dū ait, *cedentem retrahere statim renitenti cedere,* voluit mitigandum esse dolorem, prius quàm reuellentia adhibeantur, vt colligitur ex Gal. in commento, sed vtrorunque opinio fuit, vt partim reuellatur humor fluens, partim mitigetur dolor, quia hoc pacto, & symptomati, dum vrget, & causæ occurrimus, causæ quidem, dum reuellimus, symptomati, dum dolorem sedare tentamus: interdum igitur à reuulsione desistendum, & dolori incumbendum, interdum verò reuellendum, quia vrget vtraque indicatio, & dum alteri satisfacimus, alteri non officimus, quare vtrisque per vices insistendum, quia mitigando dolorem ad partem affectam non fiet attractio, & reuellendo doloris causam auferemus.

Respōdetur cuidam obiectioni.

Et dum dicitur partem affectam ratione doloris attrahere in se ipsam humores, qui etiam propria inclinatione ad eam confluūt, qua de causa fluxio reuulsioni non cedet. Respondeo cū Gal. loco citato mitigato dolore facilius reuulsorijs præsidijs aliquid nos proficere posse, sed ex altera etiam parte dico perseuerante fluxione, & dolorem augente frustra anodyna remedia adhiberi, & ad reuulsionem omnino deueniendum esse, vt doloris causa auferatur. Atque, dum Hipp. ait, *cedentem retrahere statim, renitenti cedere,* credo ipsum locutum fuisse de doloribus, qui quidem à fluxionibus pendent, sed per circuitus, & interualla affligunt, ita vt præsente dolore à reuellentibus abstineamus, & renitenti cedamus, cessante dolore statim cedentem fluxionem retrahamus, & ita per vices procedere opus esse. Sic significare videntur Gal. verba dicentis. Neque enim semper in retrahentibus auxilijs permanendum est, sed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet, vt succū, qui in affecto membro inhæserit, excerni permittamus. At si dolor obiugem, & continuam fluxionē continuò affligat, frustra anodynis præsidijs eum sedare tentabimus, priusquā fluxionē reuellamus, quare in hoc casu etiā præsente dolore omnino reuulsorijs remedijs vtendū esse arbitror. Atq; si adhūc sensū trahatur Auicēnę sentētia vera erit, & ad Hipp. & Gal. mentē: sin minus ego nō habeo quid dicā ad tuendū eū, tueātur hāc opinionē alij, qui prorsus eius doctrinę sūt addicti.

Qua ratione Hipp. auctoritas sit intelligēda.

Vnum

Vnum noto, si vnquam ante reuulsionem anodyna conueniunt, ea conuenire, quando pars fluxione tentata est suæ fluxionis, quam patitur, origo. Nam hoc pacto dum dolori occurrimus fluxionis causam auferimus, dummodo tamen corpus euacuatione non indigeat: siquidem tunc semper ab euacuatione auspicari debemus.

Quãdo ante reuulsionem anodyna prę sertim cõueniant.

De deriuatione quid sit, & à quibus indicetur.
Cap. XL.

IN eundem ferè prorsus finem conspirant reuulsio, & deriuatio, vt videlicet auertantur humores à parte affecta: differunt verò tum ratione terminorum, ad quos humores auertunt, tum ratione humorum, cum eos non eodem modo respiciat vtrumque præsidium, vt ex deriuationis nunc afferenda definitione apparebit.

Deriuatio igitur est auersio humorum fluxorum, & confluentium, necnon confluendorum ad proxima. Quòd sit auersio, & conueniat in hoc genere cum reuulsione ostensum fuit supra cap. 27. Gal. auctoritate, dum 5. meth. 3. ait, auertitur autem sanguis, atque ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus.

Quid sit deriuatio.

Conuenit insuper cum reuulsione, quatenus vtraque est confluentium, & confluendorum humorum auersio. Nam irruentes ad affectam partem humores ab ea auerti possunt, tum ad contraria per reuulsionem, tum ad proxima per deriuationem. Quæ pariter est Gal. sententia 5. meth. citato. Ad hunc modum (inquit,) & reliquas omnes fluxiones, (quippe communis ratio est) tum ad contraria reuocabis, tum per vicina deriuabis, vtique quæ per aluum fluunt, ea vel per vrinas, vel per vterum transmittens: quæ verò per vrinas, ea per sedem transferens: pari modo, quæ per vterum erumpunt, vel per vrinas, vel per aluum: quæ verò in oculis, aure, vel palato fluxiones accidunt, eorum ad vicina deriuatio per nares est, Reuulsio verò in ijs, quæ supra sunt omnibus, deorsum semper agitur, & vt dictum fuit, in ea omnes aliæ oppositiones seruantur. Quare fluentibus adhuc humoribus nedum reuulsio, sed deriuatio quoque debetur: erit igitur deriuatio confluentium humorum auersio, & in hoc cum reuulsione conuenit, quando hæc sit vtriusque communis ratio.

In quo cõueniat deriuatio cũ reuulsione.

Vnum noto, (etiamsi fluentibus humoribus vtrunque præsidium conueniat,) deriuationem tamen magis opportunam videri, dum fluxio sensim, & paulatim fit, & diù perdurat: reuulsionem autem, cum humores valenter, & impetuosè fluunt ad aliquam partem. Hinc in larga sanguinis effusione reuellentibus potius præsidijs vtendum est, sicuti fieri iubet Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 11. vbi validum sanguinis fluxum missione sanguinis tanquam reuulsorio præsidio se curasse iactat. Ex altera parte lib. de præcognitione ad Posthumum cap. 8. muliebrem fluxum, quem Boethi vxor patiebatur, præsertim deriuatione per vrinam, & aluum sanauit.

Quando adhuc fluentibus humoribus magis cõueniat deriuatio, & quãdo reuulsio.

Nec solùm fluentibus, sed fluxuris etiam humoribus non minus deriuatio, quàm reuulsio præsto esse potest. Nam si humores, qui actu non fluunt, sed eorum fluxio timetur, reuulsione ad contraria auerti possunt, quid prohibet, quin etiam deriuatione ab affecta parte auertantur. Exemplum est manifestissimum. Quoniam si ex Galeni sententia 5. meth. 3. quæ in oculis, aure, vel palato

Deriuationẽ fluxuris etiã humoribus conuenire.

fluxiones accidunt, earum ad vicina deriuatio per nares est; atque fluxiones istæ à cerebro fiant, ergo deriuatio per nares non minus fluentibus, quàm à cerebro fluxuris humoribus deberi quilibet fatebitur, cum humores fluxuri à cerebro geniti per nares educi, & deriuari possint.

Respondetur obiectioni.

Neque dicant nonnulli deriuationem solùm fluxis, non autem fluentibus, aut fluxuris humoribus conuenire, quando id, quod proprium reuulsionis est, ad deriuationem pertinere nequeat: aut non esse credendum deriuationem, quæ ex Gal. mente humoribus, qui iam fluxi sunt, debetur, fluentium adhuc humorum remedium esse posse. Quoniam reuulsionis quidem proprium est fluentes humores respicere, non tamen adeo proprium, vt deriuationi etiam conuenire nequeat: neque pariter inconueniens est, deriuationem fluxis, & adhuc fluentibus etiam humoribus deberi, vt ex Gal. ostensum fuit, cum tam fluxi, quàm fluentes ad proxima auerti, & deriuari possint.

Differentia inter reuulsionem, & deriuationẽ.

Differunt verò inter se reuulsio, & deriuatio, tum ratione fluxorum humorum, tum ratione terminorum. Nam fluxis humoribus nusquam reuulsio, sed deriuatio debetur. Ita namque sentiebat Gal. 2. ad Glauc. 2. etiam ex Hipp. mente lib. de humoribus à principio: fluentium igitur adhuc humorũ (inquit) antispasis, idest retractio, sic enim Hipp. nominat, eorum autem, qui iam membrum obsederunt, parocheteusis, idest deriuatio medela est. Hanc eandem sententiam habemus lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. vbi inueteratas inflammationes, aut ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus, aut saltem ex vicinis per deriuationem euacuare oportere docuit.

Dubitatio.

Nec officiunt, quæ ab Argenterio aduersus hanc Gal. doctrinam adducuntur, com. 3. in cap. 99. lib. artis medicæ, vbi suspectam habet Gal. sententiam. Nam, (inquit) quod iam sparsum est per partis substantiam, dimoueri non potest, ita vt assumi rursus possit in vicinos aliquos canales. Quare illud non deriuatione tolli amplius potest, sed solùm per localia auxilia.

Solutio.

Non, inquam, hæc ab Argenterio adducta contra Gal. doctrinam quicquã probant. Quoniam fluxi humores ad affectam partem, aut in eius substãtiam imbibiti sunt, aut adhuc in affectę partis venis continentur, ita vt amoueri possint. Priores non deriuatione, sed ijs, quæ exsiccant, resoluunt, & discutiunt, præsidijs auferuntur. Qui verò adhuc in venis continentur, & mobiles sunt, & de quibus Gal. loquitur, tum deriuatione, tũ repulsu, vt infra docebimus, amoueri debent, priusquam per partis substantiam spargantur.

Deriuationem fieri ad proximas partes.

Cæterum maximè principalis differentia inter deriuationem, & reuulsionẽ est ratione terminorum, ad quos vtraque humores auertit: quoniam reuulsio ad distantes, & contrarias partes, deriuatio ad proximas, & minimè contrarias efficitur, vt nominis etiam ethimologia significare videtur. Nam deriuatio nil aliud significat, nisi riui more aquam deducere, aliò ve deflectere, ergo humores quoque per deriuationem aliò deflecti dicũtur, quando ad vicina deriuati ab affecta parte auertuntur. At reuulsio oppositam, & distantem partem respicit, cum reuellere nil aliud sit, nisi ad contrariam partem retrahere, vt satis, superque ostensum fuit.

A quibus indicetur deriuatio.

Ex quibus etiam colligere licet reuulsionem, & deriuationem, cum sint præsidia, quæ in genere respiciunt humorum fluxionem ab eadem indicari, sed cum hoc discrimine, quod reuulsio indicatur a fluentibus, & fluxuris humoribus, quatenus ad distantes, & oppositas partes retrahi debent, vt supra dictum fuit; deriuatio verò nedum à fluẽtibus, & fluxuris, sed etiam à fluxis, quatenus

 ad

ad proxima auerti possunt. Non etenim est inconueniens humorum motum præter naturam, vt auferatur, diuersa indicare præsidia, quæ tamen in hoc conueniant, vt omnia motum eum compescere, & auertere possint, licet diuersimodè, & sub diuersa ratione id præstent. Indicatur itaque deriuatio ab humoribus nedum fluxis, sed etiam fluentibus, & fluxuris, quatenus proximas partes respiciunt, ad quas sunt auertendi.

De vbi agendum, & de rectitudine seruanda in deriuatione.

Cap. XLI.

PRæcipua differẽtia inter reuulsionem, & deriuationem desumebatur à terminis, ad quos vtraque humores auertere tentat, quod pertinet ad vbi agendum. Quocirca sicuti reuulsio ad distantes, & contrarias partes efficitur, ita deriuatio ad proximas, & minimè oppositas fieri debet.

Et rursus quemadmodum vbi agendum in reuulsione indicatur à situ partis fluxione tentatæ, quia cognoscere nequimus, quænam sit distans, & contraria pars, nisi affectam partem, cui contrariatur ea, ad quam retrahere expedit, nouerimus: ita vbi agendum in deriuatione indicabitur pariter à situ partis fluxione laborantis, vt videlicet vicinam, & proximam partem, ad quam humores per deriuationem auertantur, eligamus.

A quo indicetur vbi agendum in deriuatione.

Sed antequam vlterius progrediamur, quærendum est, an vnquam ad vnũ eundemque terminum, tum reuellere, tum deriuare liceat, adeo vt non semper diuersus sit reuulsionis, & deriuationis terminus. Quòd id fieri possit, sensisse visus est Gal. 2. ad Glauc. 2. vbi ait, patientibus verò membris extremis à coniugibus euacuationem faciendam esse, siue retrahere velis, siue deriuare. Per extrema autem membra, vt arbitror, intelligit extremos artus, brachia videlicet, manus, genua, crura, & pedes. Quocirca velle videtur ex eodem loco faciendam esse, tum reuulsionem, tum deriuationem, vt per exemplum, si manus, aut brachium dextrum fluxione tentetur, euacuationem ex coniuge nempe ex sinistro faciendam esse docet, siue modo retrahere, siue deriuare velimus. Quod videtur esse præter rationem, quia non ex eodem loco vtraque fieri debet, cum reuulsio ad longinquas, & oppositas, deriuatio ad proximas efficiatur partes, vt ex vtriusque definitione apparuit.

Ad eundem terminũ aliquãdo reuellere, & deriuare nos posse docuit Galenus, qđ videtur absurdum.

Respondendum arbitror de natura reuulsionis, & deriuationis esse, vt hæc ad proximas, illa ad longinquas, & oppositas partes per se efficiatur: at per accidens nil vetat, quin vtraque interdum, vt propositũ exemplum declarat, ad eundem terminum fiat, quando pars quædam reperiatur, à qua dum reuellere, aut deriuare volumus, non habemus oppositam, & propinquam partem, quæ inter se sint diuersæ. Nam manui dextræ fluxione tentatæ opponitur sinistra manus, vel brachium, ad quod reuellerre possumus, at nullam partem habemus ad quam deriuare valeamus, nisi eandem, quæ cum sit ad latus, & opposita, ad eam nedum reuellere, sed etiam deriuare, idest aliò deflectere valemus. Iure igitur dixit Gal. patientibus membris extremis à coniugibus euacuationem faciendam esse, siue modò hanc eandem reuulsionem, siue deriuationem appellaueris, quoniam hoc nihil refert. Notandum tamen est deriuationem huiusmodi non respicere fluxos humores, quod proprium est deriuationis, sed solùm fluxuros, aut fluentes, quod commune est nedum reuulsioni, sed etiam ipsi deriuationi. Hoc obiter dixisse volui, vt declararem hunc

Defenditur Galenus.

Gal. locum, & ne quis eum inconstantiæ redargueret.

Verùm nimis communis, & vniuersalis est hæc cognitio ipsius vbi agẽdum in deriuatione, vt videlicet ad proximas partes fiat, quando quamplures reperiantur partes parti fluxione affectæ proximas, ad quarum singulas non est facienda deriuatio, sed ad determinatas. Qua ratione igitur cognoscemus, quęnam ex multis pars proxima sit eligenda pro deriuatione.

Vbi agẽdum in deriuatione cognoscitur ex uenarum communitate.

Dico id nos cognoscere posse ex venarum communitate, atque ex rectitudine. Ex venarum communitate quidem, quia Hipp. referente Gal. 2. ad Glauc. 2 tam reuulsionem, quàm deriuationem per communes venas fieri pręcipit. Quid autem per communes venas intelligere debeamus supra cap. 36. declaratum fuit, quare ad eas partes deriuandum, ad quas facile deduci potest humor, siue modò fuerit partium facilis consensus; siue etiam partes, ad quas fit deriuatio, venas habuerint venis partis fluxione tentatæ coniunctas. Atque hæc posterior conditio præsertim obseruari solet, dũ deriuatione fluxos auertere humóres quærimus: sicuti prior in fluxuris, & fluentibus, qui per deriuationem auerti debent, locum habere videtur. Exemplis res declaranda est, quæ plura habentur apud Gal. Siquidem 2. ad Glanc. 2. ab vtero deriuabis, inquit, si eas, quæ in poplitibus, aut talis sunt, venas diuiseris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atque alligaueris. Et 13. meth. 11. inflammatione infestare incipiente partes, quæ sunt in ore, ad nares deriuandum esse docuit. Atque clarius 5. meth. 3. fluxiones omnes, tum ad contraria reuocandas, tum per vicina deriuandas esse dixit, vtique quæ per aluum fluunt, ea vel per vrinas, vel per vterum transmittendo: quæ verò per vrinas, ea per sedem transferendo: pari modo quæ per vterum erumpunt, vel per vrinas, vel per aluum: quæ verò in oculis, aure, vel palato fluxiones accidunt, earum ad vicina deriuatio per nares est. Quibus exemplis patet deriuationem ad proximas partes fieri debere, & ad eas, vel ad quas facilis est consensus, vel quæ venas coniunctas habent venis partis fluxione laborantis.

Rectitudo in deriuatione non semper seruari potest,

Quatenus autem spectat ad rectitudinem in deriuatione seruandam, dico eã non semper, sed solum quandoque seruari posse, & dum seruatur, eadem prorsus est, quæ supra cap. 22. declarata fuit, quando de euacuationis recta administratione erat sermo, quæque consistit in situ partis è directo positæ. Non inquam semper in deriuatione, sed interdum rectitudo locum habet. Nam nulla rectitudo adest, dum fluxiones per aluum ad vrinæ vias deriuamus, aut versa vice: item dum ad vterum humorum affluxus per aluum, aut per vrinas auertimus. At ex altera parte dum rene dextro affecto venam tali dextri secamus, profectò tunc rectitudinis ratio habetur. Ita Gal. ad hanc eandem rectitudinem respiciens 2. ad Glauc. 2. dicebat: & siquidem in parte dextra locorum muliebrium passio fuerit, à crure dextro sanguinem detraxeris; si verò in sinistra, à mẽbris, quæ illi è directo sunt. Quotiescunque igitur fieri potest, semper seruare debemus rectitudinem in deriuatione molienda; quod præsertim contingit, dum humores iam fluxos per deriuationem euacuare tentamus.

De quomodo agendum in deriuatione. Cap. XLII.

Tot modi ferè sunt, quibus vti possumus in deriuatione, quot sunt illi, quibus reuulsio efficitur. Nam deriuamus, vel euacuatione, vel sine: si cum euacuatione id fiat, manifestum est quamcunque euacuationem tam

parti-

particularem, quam vniuerſalem, ſiue ſanguinis, ſiue alicuius alterius humoris, vel ichoris, præter eam, quæ fit per ſudorem, & vomitum, idoneam eſſe ad deriuandos fluxuros, fluentes, & fluxos humores à parte fluxione laborante. Si verò ſine euacuatione id contingat, illa eadẽ prorſus remedia, quæ oppoſitæ, & diſtanti parti applicita, & ſupra enarrata, vt cucurbitulæ ſiccæ, frictiones, ligaturæ, & huiuſmodi, reuellere poſſunt, propinquæ parti admota ad deriuationem erunt idonea. Quæ omnia indicantur, vel ab humorum natura, vel à parte affecta, vel à morbi magnitudine. Per exemplum ſi humor peccans fuerit ſanguis, deriuandus erit, vel per venæ ſectionem, vel per cucurbitulas ſcarificatas, vel per hyrudines: ſi diuerſus à natura ſanguinis, aut per aluum, aut per vrinam, præſertim ſi ichoroſus fuerit, vel per veſicantia, vel per cauteria. Quatenus autem ſpectat ad affectam partem humores in gibba hepatis parte contenti per vrinam, in caua per aluum deriuandi erunt. Inſuper ſi morbus magnus fuerit, qui à fluxione pendeat, magna quoque præſidia deriuantia requiret: ſi paruus mitiora. Vnde neque purgatio, neque venæ ſectio, neque veſicantia remedia pro deriuatione adminiſtrari debent, niſi affectus magnitudo vrgeat. Quare in mitiori affectu opportuna potius erunt deriuantia ſine euacuatione, aut ſaltem leuioribus facta præſidijs. Ad hæc itaque, quæ in exemplum propoſita ſunt, prudens Medicus reſpiciens cognoſcere poterit, quomodo, quibusve deriuantibus præſidijs vti liceat.

Quomodo agendũ in deriuatione à quibus indicetur.

Noto tamen nos poſſe diuerſis deriuãtium præſidiorum formulis in eodem affectu vti, ſicuti contingit etiam in reuellentibus. Quid enim vetat exempli gratia vtero fluxionem patiente, eam per aluum, & per vrinam deriuari poſſe, & fluxos etiam ad eum humores, ſi opus erit, per venæ ſectionem in poplite, vel talo deriuando euacuare? Quo etenim citius fieri poteſt, (dummodo id tutò fiat,) affectibus præter naturam occurrendum: quod conſequemur, ſi pluribus in eundem finem conſpirantibus præſidijs vſi fuerimus.

Notandum.

De opportuna deriuandi occaſione. Cap. XLIII.

DEriuationem fluxuris, fluentibus, & fluxis humoribus conuenire ſupra oſtenſum fuit, non tamen eodem tempore. Nam, dum fluxuros humores reſpicit, id potiùs in præſeruatione, & antequam fluxio morbum faciat, quàm in curatione locum habet.

At dum adhuc fluentes humores reſpicit, tunc temporis conuenit, quando fluxio præſens eſt, dummodo tamen prohibentia abſint, quæ eadem ſunt, de quibus in reuulſione actum fuit. Quare dum fluentes adhuc humores deriuare tentamus, eadem prorſus præcepta circa agẽdorum opportunitatem obſeruare debemus, quæ ſupra cap. 39. declarata fuerunt. Quinimò eodem prorſus tempore, (quando in eundem finem conſpirent,) reuellentibus, & deriuantibus præſidijs vti licebit, Gal. more, qui lib. de præcogn. ad Poſthumum in celebri illa cura vxoris Boethi laborantis profluuio muliebri eodem tempore vſus fuit reuellentibus, & deriuantibus remedijs: reuellentibus quidem, nimirum frictione, & mellis inunctione, vt per cutim redundantem humorem educeret, atque ab vtero retraheret: deriuantibus verò, nempe diureticis, & ijs quoque, quæ aluum ſubducerent,

Quando deriuandũ, dũ humores adhuc fluunt.

Verùm ſi deriuatio non ampliùs fluentes, ſed eos, qui iam membrum obſederunt, humores reſpexerit, tunc eam neceſſariò reuulſio, & totius corporis eua-

Quo tẽpore fluxi humores ſint deriuandi.

euacuatio præcedere debet: neque conuenit nisi sedata fluxione, iuxta Galeni sententiam 4. meth. cap. 6. dicentis, si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, si iam restitit, atque in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit. Vnde lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. in inflãmatione gutturis prius in brachio, deinde sub lingua venam secandam esse docuit. Non itaque particularis euacuatio, quæ ab affecta parte euacuando fluxos humores deriuat, conuenit, nisi prius vniuersalis euacuatio, si opus erit præcesserit, & nisi irruens fluxio sedata fuerit.

De humorum repulsu quid sit, & à quibus indicetur, atque de repellentium natura. Cap. XLIV.

NOn solum reuulsione, & deriuatione, sed humorum etiam repulsu morbis ab eorundem fluxione natis occurrimus: quare cum de reuulsione, & deriuatione hucusque egerimus, nunc de repulsu agendum, & considerandum, quidnam sit huiusmodi præsidium, à quibus indicetur, & qualis nam esse debeat repellentium natura: post hæc de prohibentibus repellentia, ac de eorundem recta administratione pertractare oportet.

Quid sit humorũ repulsus.

Humorum itaque repulsus nil aliud est, nisi præsidium, quo fluxione affectæ parti robur addimus, & ab ea fluxos, & fluentes humores repellimus. Adeò vt, dum repellẽtibus vtimur, ad duo respiciamus, nimirum ad partem fluxione tentatam, & ad humores fluxos, & fluentes. Ita sentiebat Gal. 11. meth. cap. 15. reprimentia remedia duplici ratione esse idonea, & quòd robur affectis particulis inserunt, vnde minus promptè affluxum excrementorum in se recipiant, & quòd eorũ, quæ in ijs iam contenta sunt, tenuissimum extrorsum exprimũt.

A quibus indicentur repellentia remedia.

Quapropter repellentia remedia à duobus indicantur, quatenus duorum rationem sustinent: nimirum à partium affectarum imbecillitate, & ab humoribus fluxis, & adhuc fluentibus. A partium quidem imbecillitate, dum eam adstringendo roborant: ab humorìbus verò fluxis, sed nondum impactis, & à fluentibus etiam, sed in fluxionis fine existentibus, quia priores ab affecta parte exprimunt, posteriores autem retrocedere faciunt.

Cur imbecillitas partis repellentia expostulet.

Nam quatenus pertinet ad suscipientis partis imbecillitatem, certum est eã excrementorum affluentiam admissuram non esse, nisi laxa, & ideo imbecilla foret. Siquidem ita natura comparatum est, vt fortiores partes ad imbecilliores excrementa sua transmittant. Si etenim tantum roboris haberent, vt superflua ad ipsas transmissa ad alias partes demandare possent, profectò morbum eum ab humoribus fluentibus ortum non paterentur, sed excrementa illa aut ad alias imbecilliores partes, aut extra corpus pellerent. Quare imbecillitas suscipientis partis est vna causa fluxionis ad eam irruentis, cui occurrimus præsidijs repellentibus. Hęc siquidem, vt paulò inferius dicemus, refrigerantia, & adstringentia sunt: vnde quatenus adstrictoria facultate sunt prædita, eatenus imbecillam partem, & fluxioni obnoxiam roborare possunt, dum poros, & meatus eiusdem angustant, & cogunt, ita vt non amplius facilè fluxionem admittat, Et vasa præterea, vigore ex medicaminibus adstringentibus addito, vt Gal. docet lib. artis medicæ 95. à se ad alia remittent.

Quinam humores fluxi repellentibus egeant.

Si autem humores contemplemur, dico repellentibus præsidijs nedum fluxos, sed fluentes quoque repelli posse. Hoc autem quomodo fiat inuestigandum, Vnde quatenus ad humores fluxos spectat, hi vel imbibiti sunt in partium

tium ſubſtantiam, vel in venis earundem adhuc exiſtunt, & ſunt loco mobiles: priores repellentibus non cedunt, dum fuerint vehementer impacti, ſed alijs remedijs opus habent, de quibus infra agemus: poſteriores verò illi ſunt, qui præſertim reprimentibus ab affecta parte retropelli poſſunt, quicunque ij fuerint, ſiue calidi, ſiue frigidi, ſiue tenues, ſiue craſſi, vt colligitur ex Gal. 1. ad Glauc. cap. 15 & 13. meth. 21. vbi in lethargo proponit oxyrrhodinum dicens repellendum eſſe à capite humorem, quiſquis ille fuerit.

Declaratur Gal. locus de repellẽtibus humores fluxos.

Et quamuis Galenus loco ſuperius citato voluiſſe videatur tenuiſſimos ſolùm humores fluxos ab affecta parte reprimentibus exprimi poſſe: attamen credo eum locutum fuiſſe præſertim de ijs humoribus, qui extra venas effuſi per partium ſubſtantiam ſunt diſperſi, nondum tamen impacti, vt colligere licet ex 13. meth cap. 16. Iſtos enim, ſi tenuiſſimi ſint, repellere poſſibile eſt: ſi verò craſſi fuerint, minimè id fieri poterit. Quocirca nonnulli dixerunt, quando ex humorum affluxu fiant tumores, non licere vti reprimentibus, niſi in tumoribus calidis, non autem in frigidis, quia materia frigida extra venas effuſa non ſolum remedijs refrigerantibus, & adſtringentibus repelli nequit, ſed etiam ab ijſdem frigidior, & craſſior reddita curatu difficilior efficitur.

Repelluntur itaque quicunque humores fluxi tàm calidi, quam frigidi; tâm craſſi, quàm tenues, in venis tamen exiſtentes, & ideo loco mobiles: repelluntur etiam ſecundum aliquam partem, qui ſunt extra venas effuſi, nondum tamen valenter impacti, & præſertim ſi tenuiſſimi fuerint. Vtcunque autem repelluntur omnes ab affecta parte remedijs reprimentibus ob eorundem adſtrictoriam, & refrigeratoriam facultatem, qua partem fluxione tentatam adſtringendo, cogendo, & refrigerando fluxos humores exprimunt.

Repellentia reſpiciunt etiam fluentes humores.

Si verò de fluentibus humoribus ſit ſermo, dico eos tantùm repelli poſſe, qui iam iam affectam partem attingunt, & ſunt in fluxionis fine. Atque hi repelluntur tum à robore partis ab adſtrictorijs medicaminibus acquiſito, tum à repellentium medicamentorum frigiditate. Cum etenim caloris proprium ſit attrahere, ergo frigoris ei oppoſiti, quando contrariorum contrariæ ſint facultates, proprietas erit repellere.

Reſpõdetur cuidam Gal. auctoritati.

Et rurſus licet Galenus loco ſuperius citato videatur aſſerere reprimentia ſolùm reſpicere humores fluxos, non autem adhuc fluentes; non tamen credendum eſt hanc eſſe illius opinionem, vt ſolummodo fluxis humoribus repellentia debeantur: quando alibi, & præſertim lib. de opt. ſect. ad Thraſyb. cap. 13. & 13, meth. 16. incipientibus fluxionibus reprimentia conuenire docuerit, quoniam tunc parum eſt, quod affluit; ergo ex eiuſdem mente nedum fluxos, ſed adhuc etiam fluentes repellentia præſidia reſpiciunt. Non tamen adeo diſtinctè ſe declarauit, & dixit, tam fluxis, ſed mobilibus, quàm adhuc fluentibus, ſed in fluxionis confinibus poſitis humoribus conuenire; quia eadem prorſus facultate, qua partem fluxione tentatam roborant, & fluxos humores reprimunt, eadem quoque fluentes repellunt, vt oſtenſum fuit.

Ex quibus iam concludere licet repellentia remedia à duobus indicari, quatenus duo præſtare poſſunt: nimirum à partis fluxione laborantis imbecillitate; cum ei robur addant, & ab humoribus quatenus terminum ad quem, ſeu partem humorum affluxum patientem reſpiciunt, à qua reprimendi ſunt.

Quibus facultatib. repellentia humores repellant.

Porrò repellentia præsidia ea ratione humores repellunt, qua frigida sunt, & adstringentia: hæc etenim est illorum natura, vt docuit Gal. lib. artis medicæ cap. 95. Vnde quò maiorem, aut minorem refrigerandi, & adstringendi facultatem habebunt, eò etiam magis, aut minus repellere poterunt. Non itaque ijs indifferenter vtendum, sed, cum vnicuique præsidio modus sit imponendus, debet prudens Medicus cognoscere, an leuioribus, aut efficacioribus, vel mediocribus repellentibus opus sit. Id autem comprehendere poterit, consideratis præsertim confluentium humorum natura, partis fluxione tentatæ temperamento, ægrotantis ætate, sexu, & corporis habitu. Nam si fluentes humores calidiores fuerint, si pariter pars fluxione tentata calidioris temperamenti extiterit, ægrotans iuuenis sit, corporis habitus minimè mollis, frigidioribus, & magis adstringentibus repellentibus vtendum erit: si verò prædicta opposito modo sese habuerint, humores nimirum fuerint frigidiores; pars fluxione laborans frigidior, ætas senilis, corporis habitus mollis, cuiusmodi est fœminarum, & eunuchorum, mitiora repellentia ex vsu erunt. Hinc Gal. 2. localium 1. loquens de repellentibus humores à capite dicebat, proximum rosaceo chamęmelinum oleum locum habere in ijs corporibus, quibus vehementem frigiditatem inducere veremur, qualia sunt fœminarum, & eunuchorum, ac puerorum, & quicunque molli carne præditi sunt, albumque habentes colorem.

Quibus leuiora, & quibus efficaciora repellentia conueniant.

Repellētibus admiscenda esse ea, quæ sunt tenuiū partium.

Circa repellentium naturam id quoque est consideratione dignum, quòd, cum sint frigida, & adstringentia, non poterunt admodum ad profunda penetrare. Quare, si pars, quæ repellentibus eget, non fuerit externa, sed interna, vt per exemplum est cerebrum, & hepar, ad hoc vt eorum virtus ad affectam partem peruenire possit, ei admiscenda erunt remedia, quæ sint tenuium partium. Hinc omnes medici acetum, aut limonis succum repellentibus addere solent; sunt enim hæc tenuium partium, & repellentium vim ad affectum locum deducere possunt.

De ijs, quæ repellentia prohibent.

Cap. XLV.

REpellentia ad reprimendas humorum fluxiones administrari medici cuncti norunt, non tamen omnibus affectibus à fluxione natis conueniunt, quod forsan omnibus notum non est, quando multa sint, quæ eorum vsum omnino prohibeant. Nam cum à nobilioribus partibus ad ignobiliores fit transmissio, nusquam repellentibus vtendum est; neque semper dum ab interioribus ad exteriores partes feruntur humores reprimentibus est opus. Insuper cum periculum est, ne à repellentibus præsidijs ad aliquam nobiliorem partem fiat humorum repulsus, omnino vitanda sunt. Amplius situs partis interdum huiusmodi præsidia prohibet. Quæ omnia declarare oportet, vt cognoscere valeamus, quibus affectibus repellentia conueniant, & quibus minimè sint ex vsu, sed potius suspecta, & periculosa censeantur.

In fluxione à nobiliori-

Non itaque reprimentia conueniunt, quotiescunque à nobilioribus ad ignobiliores partes fit humorum peccantium transmisso. Nam hoc esset impedire

naturæ

bus ad ignobiliores partes repellētibus vti non licet.

naturæ rectè operantis motum, quæ semper ad ignobiliores partes humores demandare tentat, dum valens est, & eis dominatur. Sic hepar sæpe ad glandulas in inguinibus positas: cor ad eas, quæ sub axillis sunt: & cerebrum ad illas, quæ sunt post aures excrementa sua demandat. In quibus sanè, aut similibus casibus tantum abest, quòd medicus repellentibus vti debeat, vt potius hunc naturæ motum, si imperfectus sit, adiuuare teneatur.

An vtēdum repellentibus in fluxione ad externas partes, tria docent.

Dum verò ab interioribus ad exteriores partes fit humorū transmissio, etiāsi fieri videatur à nobilioribus ad ignobiliores, & sæpe ad eas, quæ suapte natura idoneæ sunt ad excrementa suscipienda: attamen in hoc casu interdum repellentia conueniunt, interdum verò ab ijs omnino abstinere oportet. Quod cognoscemus, si tria præsertim considerauerimus, nimirum dignitatem partis: insuper an fluxio fiat, quia natura, siue superfluitatum copia grauata, siue earūdem mala qualitate irritata eas ad exteriora expellat, vt ab aliquo morbo ab excrementis suborto partes internas liberet: & denique an fluxio inde originem habeat, quia externæ partes aliqua affectione laborent.

1. Partium externarum dignitas.

Partium externarum dignitas ex earundem aliqua prestanti actione cognoscitur: hinc exempli gratia genitales partes, & oculi, cum præstantes actiones edant; inter cæteras externas partes digniores censentur: & præter has si quæ aliæ externæ partes fluxionem patientur, à qua grauis aliquis timeatur morbus, vt reprimentibus præsidijs vti tutius esse iudicauerit medicus, tunc repellentia erunt ex vsu.

2. Naturæ motus.

Quòd si fluxio efficiatur à natura, vel copia onerata, vel qualitate superfluitatum irritata, vt illæsas interiores partes seruet, tunc repellentia locum nō habent. Hæc etenim est doctrina Hipp. 6. aph. 25. dicentis, erisypelas ab interioribus ad exteriora conuerti, bonum. Quod non solum verificatur de erisypelate, sed de quocunque etiam alio, quod ex profundis, & principalioribus partibus ad cutem transfertur, vt ait Gal. in commento. Siquidem hoc bonum esse signum, ac causam existimare debemus: contra verò si ad interiora, & profunda transmutetur, malum.

3. Affectio partis fluxione tentatæ.

At si fluxio ad externas partes efficiatur præsertim ob earundem affectionem: siue fuerit intemperies, & imbecillitas, vt contingit in articulorum doloribus: siue ab externa causa originem habuerit, vt accidit in luxationibus, vulneribus, contusionibus, & huiusmodi, tunc absque dubio reprimentia vtilia erunt.

Non vtendū reprimentibus, dum ad nobiliorē partē pellunt humores.

Inter ea, quæ repellentium vsum suspectum reddunt, id tertio loco additum fuit, quando periculum est, ne ab ijsdem ad aliquam nobiliorem partem fiat humorum repulsus, hinc in pleuritide non conueniunt, quia materiam ad pulmones, & cor repellerent.

Situs profūdus partis repellentia prohibet.

Situs denique partis nimis profundus reprimentia non admittit. Qua de causa Gal. 10. localium 2. circa coxendicum iuncturam non conuenire docuit. Cum enim in profundo ea sita sit, sanguis ex vicinis, & ambientibus vasis, ac musculis ad illam compellitur. Quare tantùm abest, vt ab affecta parte vi repellentium medicamentorum humores reprimantur, vt potius ad illam eorum maior copia confluat.

De vbi agendum, dum humores repellere tentamus. *Cap.* XLVI.

CErtum est, quatenus ad rectam repellentium medicamentorum administrationem pertinet, si de vbi agendum sermo sit, ea, aut partibus fluxione tentatis, aut circa ipsas admoueri debere. Nam si ab eis repellendum est, ergo nulla alia ratione id fieri potest: omnis enim naturalis actio fit per contactum.

Quibus partibus adhibēda sint repellentia.

Quòd si hoc verum est, ergo reprimentia auxilia, aut exterius tantùm adhiberi, aut in ore detineri poterunt; deglutita autem sunt nullius vsus. Quare non conueniunt, nisi in fluxionibus, aut partium externarum, aut oris, linguæ, palati, & faucium, aut denique in earum partium internarum fluxionibus, ad quas repellentium exterius applicatorum facultas facilè permeare possit. Hinc exempli gratia ad reprimendas fluxiones in cerebrum irruentes adhibentur repellentia suturæ coronali, quando, vt ait Gal. 13. meth. 22. celerrimè homines hac parte, siue ab externo admoto quopiam refrigeretur, siue excalfiat, id sentiant: tenuissimum enim est hoc loco cranium, & rarissimum.

Proponitur Hipp. aphorismus pertinens ad vbi agendum in repulsu humorum.

Cæterum ad ipsius vbi agendum in humorum repulsu exactiorem cognitionem explicādus est aphorismus 23. sectionis 5. vbi Hipp. docet rectam frigidi administrationem, & præsertim quatenus habet vim fluxiones sistendi, & humores repellendi. Licet enim frigidum sit naturæ inimicum, & multa damna afferat, vt docuit idem Hipp. eiusdem sectionis aphorismo 17. & 18. attamen si rectè administretur, multorum etiam bonorum causa esse potest, quando & exeuntis sanguinis impetum, & fluxiones ad affectam partem irruentes sistere valeat. Quod tamen facere nulla ratione poterit, nisi ea obseruentur, quæ in citato aphorismo ab Hipp. proponuntur, quæque spectant ad vbi agendum. Hæc autem tria sunt, adeo vt aphorismus in tres partes diuidi debeat.

Cur fluente sanguine repellentia nō parti, ꝑ quā fluit, sed circa ipsam admouēda sint Gal. ratio.

Reijcitur secundum aliquam partē Gal. ratio.

Primum itaque præceptum est, quòd fluente sanguine ab aliqua parte reprimentia, seu frigida remedia non parti, per quam fluit, aut fluxurus est sanguis, admouenda sunt, sed circa ipsam. Ratio, quæ à Galeno redditur in commento est, quia vlceribus frigidum mordax est, & inimicum. Quæ sanè ratio vera est, non tamen videtur esse vniuersalis. Nam esto, dum ab aliquo vlcere sanguis profluit, parti ipsi vlcere affectæ non esse apponenda frigida remedia ad sistendum sanguinem, sed circa ipsam; ne exacerbato vlcere a frigidi contactu, & ideo dolore adaucto, cuius proprium est attrahere, maior ad affectam partem sanguinis copia confluat: attamen potest etiam sanguis fluere ab aliqua parte, quæ vlcere non laboret, vt sæpe contingit in sanguinis fluxu è naribus, in quo casu non valet Gal. ratio, quando non adsit vlcus. Quare præter rationem à Gal. adductam, quæ solùm in partibus vlcere affectis locum habet, alia quærenda est, quæ vniuersalis sit, cur videlicet sanguine fluente ab aliqua parte, vt puta è naribus, ipsi affectæ parti frigida non sint admouenda, sed circa ipsam, & illis præcipuè partibus, vnde aliquid profluit. Nam quantò magis aqua frigida perfunduntur partes, à quibus sanguis emanat, eò copiosior exit.

Aliorum ratio.

Crediderunt nonnulli huius effectus causam esse, quòd violenter repulsus sanguis in proximas partes, eas magis distendat, ita vt maiorem vim, atque impetum acquirens, postmodum fortius sese per easdem vias, vnde pellitur, exerat.

Verùm

Obiectio.

Verùm aliquid eſt, quod huic rationi obijci poſſit. Quoniam ſi vera eſſet, vtique videretur omnibus reprimentibus commune, vt non fluxione tentatæ parti, ſed circumiacentibus apponerentur, cum non minus in ſanguinis fluxu, quàm in inflammationibus, & eryſipelatibus, ſi reprimentia affectæ parti adhibeantur, humor ab ijs repulſus in vicinas partes, eas magis diſtendat, ita vt maiorem impetum adeptus, poſtmodum violẽtius in partem affectam per eaſdem vias recurrat. Quod tamen videtur eſſe contra Hipp. ſententiam, qui præcitato aphoriſmo admonet, vt frigida non partibus à quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, ſed circa iſtas applicentur: ſecus verò in inflammationibus, & eryſipelatibus agendum eſſe ait, vt videlicet parti fluxionem eam patienti adhibeantur.

Solutio.

Attamen non ob hoc contemnendam eſſe arbitror allatam rationem, atque ad ea, quæ in contrarium adducta fuerunt, dico eandem eſſe rationem repellentium in ſanguinis fluxu ab aliqua parte, & in inflammationibus, ac eryſipelatibus, dummodo tamen fluxio valenter irruat. Nam in hoc caſu repellentia affectæ parti non ſunt admouenda, ſed circa ipſam, ſi fieri poteſt, eadem prorſus de cauſa, ob quam in ſanguinis fluxu non læſæ particulæ, ſed circumiacentibus eſſe applicanda oſtenſum fuit.

Repellentia vbi fluxio vehemẽs eſt, non conueniunt.

Et ſi Hipp. in 2. illius aphoriſmi parte, quam nunc explicabimus, ſecus ſentire videtur, crederem nos poſſe dicere, eum loqui de ijs inflammationibus, & eryſipelatibus, quæ ſunt adhuc in principio, & in quibus parum eſt, quod influit, non autem de vehementibus fluxionibus. Quod colligi poteſt ex duabus Galeni auctoritatibus. Altera eſt 13. meth. cap. 16. vbi docet inter fluxionum initia conuenire repellentia, tum ob alias cauſas, de quibus infra agemus, cum ſermo erit de opportuna horum remediorũ occaſione, tum præſertim, quia in principijs parum eſt, quod confluit: multum enim reprimi nequit. Altera verò auctoritas eſt 6. aphor. 31. quo loci in oculorum inflammationibus ſuſpecta habet reprimentia, ſi vehemens fuerit fluxio. Neque enim (inquit) vehementes reprimunt fluxiones, ſed excerni prohibent: atque ideo ſi humores fluentes acres extiterint, corneam erodi cõtingit; ſi verò multi extendi, & vehementer irritari, ac ſi rumperetur.

Repellentia conueniunt, quando parũ eſt, quod influit.

Ex quibus concludere licet repellentia tunc tantùm affectę parti apponẽda eſſe, quando parum eſt, quod fluit, & ideo ab ijs reprimi poteſt: ſi verò copioſa, & vehemens fuerit fluxio, ſuſpecta ſunt, quia eam reprimere nequeuntia ſunt in cauſa, vt ab eis detenti humores affectam partem peius afficiant, aut ſanguis maiori cum impetu fluat ob rationes adductas. Dum itaque præſens eſt ſanguinis fluxus, aut timetur, atque in vehementibus fluxionibus, frigida, ſeu repellentia non ſunt affectis partibus, ſed circumiacentibus admouenda.

Notandum.

Noto tamen huiuſmodi frigida præſidia non ſuper affectas partes, ſed circa ipſas poſita potius intercipientium, quàm repellentium vicem gerere.

In quibus affectibus repellẽtia partibus ipſis admouenda ſint ex Hip.

Alterum Hipp. præceptum in 2. aphoriſmi parte contentum eſt ſuper ipſas partes inflammationibus, aut eryſipelatibus laborantes frigida adhibenda eſſe ad repellendam fluxionẽ. Et licet Hipp. nõ ſe manifeſtè declaret de vbi agendum, quinimo videatur potius ſequi ſententiam in prima parte allatam, videlicet non partibus affectis, ſed circa ipſas, etiam in inflammationibus frigida præſidia eſſe admouenda, quando poſt illa verba ad ſanguinis fluxũ ſpectãtia, *non ad ipſa, ſed circa ipſa vnde influit*; ſtatim ſubdat, *& quæcunque inflammationes, vel inflammina ad rubrum, & ſubcruentum ſanguine recenti tendunt.*

Quibus

Quibus verbis cum nil aliud addat, videtur, inquam, potius voluisse, quòd, quemadmodum non partibus, à quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, sed circa ipsas reprimentia præsidia sunt adhibenda, ita etiam sentiendum sit de inflammationibus.

Verùm res non ita sese habet, neque hoc sibi voluit Hipp. cum eius intentio sit docere, partibus inflammationem patientibus repellentia admouenda esse, quod colligitur ex vltima aphorismi parte, quæ hæc verba continet. *Erysipelas etiam non vlceratum iuuat: nam vlceratum lædit.* Si etenim voluisset, quòd non super, sed circa partes inflammatas frigidis vtendum esset, frustra addidisset ea vlceratum erysipelas lædere. Nam si semper circa partem erysipelate laborantem applicanda esse iudicasset, non autem super ipsam; etiamsi vlceratum foret nullam tamen læsionem afferrent, ergo non fuisset opus addere, frigida vlcerata erysipelati nocua esse.

Quapropter cum his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, non ad ipsas, sed circa ipsas partes, à quibus emanat, frigida adhibenda esse docuerit Hipp. in prima parte: ne quis arbitraretur, id in cunctis obseruari debere, ideo in secũda parte ea proponit, quæ supra sese reprimentia, & frigida remedia expostulant, & sunt inflammationes, & erysipelata, atque vt vno verbo omnia complectar, quicunque affectus à fluxione nati reprimentibus egent.

Partibus vlceratis frigida, & reprimentia non conueniunt.

Denique vltimo loco proponit Hipp. quoddam, quod prohibet reprimentium actu frigidorum vsum supra partes affectas, & est vlcus, dicens frigida vlceratum erysipelas lędere: exemplo autem ab erysipelate desumpto, vt sui moris est, vult tradere hoc vniuersale præceptum, nulli videlicet parti vlceratæ fluxionem patienti reprimentia, & frigida actu præsidia adhibenda esse. Ratio redditur à Gal. in commento, quia vlceratis partibus frigidum mordax est, & dolorẽ affert, & hac ratione nocet, cum partes dolentes semper ad seipsas moueant fluxiones. Si itaque in hoc casu reprimentibus actu frigidis opus esset, ea nõ ipsis partibus, sed circa ipsas apponi deberent: licet, vt notatum fuit, tunc potius intercipientium vicem subeant.

De quomodo agendum. Cap. XLVII.

Varij sunt modi, quibus vtimur repellentibus, qui tamen omnes in eum finem conspirant, vt facilius operari possint; facilius autem operabuntur, si maiorem agendi efficaciam acquisierint, quam præsertim ex triplici diuerso vtendi modo consequi solent: aut quia videlicet actu frigida, aut quia iteratis vicibus, aut denique, quia non simplici applicatione, sed perfusione, aut irrigatione administrantur. Qui omnes sanè modi, nisi quid prohibeat, sunt in causa, vt reprimentia efficacius agant.

Repellentia actu frigida valẽtius operantur.

Nam si repellentia præsidia eatenus repellunt, quatenus frigida sunt, & adstringentia, ergo si potentiali frigiditati actualis adiungatur, profectò potẽtius humores reprimere poterunt. Qua de causa, vt dictum fuit antecedenti capite, Hipp. frigida inflammationes, & erysipelata iuuare dixit.

An repellentia sẽper actu frigida esse debeãt. *Auicẽnæ sententia.* *Aetij opinio.*

Verùm difficultas est, an semper huiuscemodi præsidia actu frigida administrari debeant. Auicenna lib. 3. fen. 1. tractatu 3. cap. 3. in curatione phrenitidis oleum rosaceum cum aceto infrigidatum niue super ægrotantis caput ponendum esse asseruit. Aetius verò oppositum sentit dicens caput rosaceo magis tepido irrigandum esse. Nam cerebri membrana inflammata frigiditas rosacei

ſacei non eſt tuta: imò neque caliditas, atque rationem addit, quia frigidum denſat meatus, & ſuperfluitates in capite diſcuti non permittit: quod verò valde calidum eſt, feruorem duplicat. Quare iubet æſtate tepidum roſaceum adhibendum eſſe, hyeme verò moderatè calidum. At ex iſtis, quæ peculiaria ſunt curationi phrenitidis, præcepta, quæ vniuerſaliter, (id quod medendi methodus requirit,) doceant, an repellentia actu frigida ſint adminiſtranda, an tepida, colligere non poſſumus.

Gal. difficultatem determinat.

Recurramus itaque ad Gal. qui primo ad Glauc. cap. 15. & 2. localium 2. ſtatim ab initio, deſumpta indicatione ab humorum fluentium natura rem hãc determinat dicens, vtendum eſſe repellentibus in multitudine quidem crudiore, ac frigidiore tepidis, in calidiore autem, & bilioſiore frigidis.

Quænã prohibeant vsũ repellẽtium actu frigidorum.

Veruntamen ſicuti arbitror in humorum crudorum, & frigidorum fluxione repellentia actu tepida ſemper adminiſtranda eſſe, & præſertim hyeme: ita fluentibus calidis, & bilioſis humoribus actu frigida non ſemper conueniũt, quando interdum adſint hunc vtendi modum prohibentia, quæ duo eſſe poſſunt, nimirum partis dignitas, & vlcus, de hoc Hipp. de illa Gal mentionem fecerunt: Hipp. quidem 5. aph. 23. vt antecedenti cap. notatum fuit, Galenus verò 13. meth. 12. vbi docet non licere inter initia refrigerare, aut adſtringere citra laborantis particulæ indicationem. Nam in particulis, quæ circa artus ſunt, frigida actu admoueri poterunt, in iecinore verò, ſi phlegmone laborare cœperit, nemo compos rationis his vtatur actu frigidis. Quoniam cum illius actio cõmunis ſit toti corpori, ideo illius viſceris facultas ſeruãda ĩ robore ſuo.

Difficultas.

At non leuis ſuboritur difficultas. Nam ſi hepati, quoniam pars princeps eſt, inflammatione laboranti repellentia frigida actu non conueniunt ob rationem adductam, cur ob eandem cauſam ſuſpecta quoque non ſunt cerebro fluxiones patiente, quod non minus, quàm hepar, principale membrum eſt? Galenus tamen 2. localium cap. 1. capiti actu frigida adminiſtranda eſſe docet. Refrigerabis autem (inquit) quæcunque adhibere voles in aqua vehementer frigida collocata, quæ ſi non adſit, niuem vaſculo circumponas: ſiquidem hoc auxilium, ſiue humorum, ſiue vaporum multitudo in caput impetum faciat, præclarè auxiliatur: repellit enim eos, infraque corpus detrudit.

Solutio.

Crederem nos poſſe reſpondere repellentia actu frigida non prohiberi à principe parte, quatenus princeps eſt, ſed ſolùm quatenus eius actio, quæ princeps eſt, & toti corpori communis labefactari poteſt ab huiuſmodi præſidijs actu frigidis, quòd ſi id non contingat, ergo neque à principali membro ſimilia remedia actu frigida prohibebuntur: cũ itaque ab ijs labefactari poſſit hepatis, non autem cerebri actio, ergo iecur, minimè verò cerebrum illa prohibebit. Iecur quidem, tum quoniam calore actionem ſuam, quæ eſt ſanguificatio, perficit, quam frigiditas oppoſita, & præſertim ſi fuerit actu, labefactat, tum quoniam oſſe non circundatur, quod ab externo frigore id tueri valeat. Minimè autem læditur cerebrum, tum quia ex ſui natura potius frigidum eſt, ergo à ſimili conſeruatur, tum quia cranio circumuallatur, quod ab externo frigore id defendere potens eſt. Non igitur repellentia frigida actu ab hepate, quatenus ſimpliciter eſt pars princeps, prohibẽtur, quia ſic nulli parti principi huiuſmodi præſidia conuenirent, ſed ſolùm quia eius actio læditur, non prohibentur autem à cerebro, quoniam eius actio ab iiſdem non afficitur.

Reſpõdetur rationib. ab Aetio propoſitis.

Atque ad Aetium, qui repellẽtia actu frigida damnat, quia frigidum denſat meatus, & ſuperfluitates in corpore diſcuti non permittit, dico horum medi-

camen-

camentorũ vſum in eum finem fuiſſe inuentum, vt partem fluxione laborãtem adſtringendo,& denſando roborarent,ne fluentes ſiue humores, ſiue vapores admitteret; ſed à ſe repelleret, quare ſi frigidum denſat, hoc eſt, quod requirimus,& ideo repellentia frigida eſſe debent,& adſtringentia. Et rurſus ſi ſuperfluitates in corpore diſcuti non permittit frigus, reſpondeo, eo tempore, quo huiuſmodi remedia adminiſtrantur, non adeſſe ab affecta parte inſenſibiliter euacuandi, ſeu diſcutiendi indicationem, ſed oppoſitã,nempe repellẽdi.

Frigiditas repellẽtium maior, aut minor a quibus indicetur.

Quando autem repellentia frigida actu conueniunt, oportet tunc refrigerationis modum cognoſcere; ſiquidẽ magis,& minus frigida adminiſtrari poſſunt,adeo vt interdum niue refrigerata adhiberi debere dixerint tum Gal. tum Auicenna. Menſuram igitur hanc, quod ad refrigerationem attinet, ex ardoris magnitudine, ex ſexu, ætate, & corporis habitu metiendam eſſe docuit Gal. 2. localium cap. 1. quibus addo anni tempus. Non etenim mediocris inflammatio in mulieribus,aut pueris,atque in habitu molli,& hyeme tãtam refrigerationem expoſtulat,quantam requirit ingens ardor,in maſculis, iuuenibus, duro corporis habitu, atque æſtate.

Repellentia iteratis vicibus adminiſtrari debere,& cur.

Quòd verò iteratis vicibus, (qui erat ſecundus agendi modus propoſitus, vt repellentia efficacius operentur,) præſidia hæc adminiſtranda ſint, fluxionis reſiſtentia edocet: quia non vnica,aut bis, terue repetita horum medicamentorũ applicatione cedit,ſed iteratis vicibus opus habet,vt repelli poſſit. Atque eò magis frequenter immutari debent, quoniam, dum à parte calefacta ſunt, nil amplius agunt, ſed potius contrarium præſtant effectum: ſæpe igitur iterãda,& immutanda,neque permittendum, vt ab affecta parte calefiant.

Modus applicationis varius.

Denique applicationis modus maiorem etiam agendi facultatem huiuſmodi præſidijs impertit: quod docuit Gal. 13. meth. 22. Non etenim ſolùm petijs madefactis,& affectæ parti applicitis,vt nunc moris eſt, fluxio facilè reprimi poteſt, ſed pars frequenter perfundi,& irrigari debet. Nam, vt inquit Gal. loco citato, quoties medicamenti cuiuſquam vim vehementer deſcẽdere voles, ſi humidum ſit, quod applicandum eſt, magnam agendi efficaciam habebit, ſi id ex alto effundas, ac veluti fontis ritu illidas, quippe penitus intro ab ictu magis compellitur eius virtus. Atque eò magis hic agendi modus cõuenit, quando pars fluxione tentata, non eſt externa.

De opportuna repellendi occaſione.

Cap. XLVIII.

Repellentia denique opportunè adminiſtranda ſunt, vt rectè opus ſuum peragere poſſint, aliter potius nocua forent. Quando autem ijs vtendũ, docet Galenus pluribus in locis, vt ex dicendis manifeſtum fiet. Verùm vt rem hanc facilius intelligere poſſimus, duo præſertim declarare oportet. Alterum eſt, quando repellentibus vti debeamus. Alterum verò, an vnquam ijs vti liceat, nullo alio præmiſſo remedio.

Quando repellentia cõueniant ex Gal. mente. Ex Hippocr.

Incipienti inflammationi, non autem quando in vigore conſiſtit, reprimẽtia cõueniunt Gal. teſte lib. de opt. ſecta ad Thraſyb. cap. 13. & quod de inflammatione dicitur, id intelligendum de quocunque alio affectu ab humorum fluxione nato, vt videlicet, dum eſt in principio repellentia adminiſtrentur. Id ſenſit etiam Hipp. 5. aph. 23. dum frigido vtendum eſſe docet in inflamma-

matio-

mationibus, quæ ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tendunt: nam veteribus nigredinem affert. Quibus sanè verbis nil aliud docere vult, nisi, quando inflammationes sunt in principio, repellentibus actu frigidis vtendum esse. Quod ex eo cognoscitur, cum pars sanguine recenti, & subcruẽto rubet, idest cum sanguis adhuc floridus est: hoc etenim est signum incipientis adhuc inflammationis. Nam antiquus, vt ait Gal. in commento floridum colorẽ non habet, & tunc non amplius frigidum conuenit, quia tantum abest, vt confirmatam, & in suo vigore existentem inflammationem iuuare possit, quòd potius nocumentum afferat, quando frigido admoto liuere, & nigras fieri contingat patientes partes. Inter initia itaque fluxionum repellentia conueniunt.

Huius præcepti rationem affert Gal. 13. meth. 16. & multiplex est. Nam in principio tum parum est, quod affluit: tum magna ex parte tenuius: tum partis ipsius, quæ recipit, virtus nonnunquam valentior, vtpotè nondum lassata: tum quod in afflicta parte continetur, nondũ violenter impactum est. At cũ phlegmone in vigore suo iam consistit, res in oppositũ se habet, quare repellentia nõ amplius sunt ex vsu: Quoniam tum multus sanguis in affecta parte continetur: isq; crassior subinde, ac vehementer impactus: ac deniq; virtus partis iam debilior existit, quã alioqui valentẽ requirimus, vt à se superfluitates expellere possit. Qñquidẽ haud satis potẽs est adstringentiũ præsidiorũ vis, q̃ sola totũ efficiat. Quippe põt hæc cogẽdis, ac cõstringẽdis, & veluti densãdis, & exprimẽdis corporibus, q̃ tenuiora sũt, ad circũpositas partes expellere. Cæterũ nisi etiã laborãtis particulæ virtus aliquid auxilietur, nihil adeo magnum efficiet. Istę igitur sunt causæ à Gal. relatæ, ob quas repellentia cõueniunt in fluxionũ principijs. *Cur in principijs fluxionũ repellentia cõueniãt, Gal. ratio.*

Noto autem principij nomen latè sumi à Gal. videlicet pro toto eo tempore, quo fluunt humores: ita tamen vt virtus partis aliquod robur habeat, & humores iam fluxi neque multi sint, neque crassi, neque vehementer impacti. Id quod certo horarum, aut dierum numero describi nequit: tum pro diuersa partis suscipientis, & mandantis dispositione: tum pro diuersa humorum fluentium natura; ac reliquis, quæ morborum tempora modò breuiora, modò diuturniora reddere possunt. Quare signa id ostendentia sedulò considerare oportet, vt cognoscamus quando, & quousque repellentium vsus sit idoneus. *Principij nomen latè sumi.*

Noto præterea fere omnes medicos, vt apud eos, qui de morbis particularibus egerunt, videre licet, transacto fluxionis initio laudare remedia repellentia digerentibus, seu discutientibus mista. Quæ est Gal. doctrina 6. local. cap. 1. Quemadmodum enim (inquit) in principio commoda sunt pharmaca id, quod influit repellentia, sic post principiũ vsq; ad finẽ pharmaco opus est ex vtrisq; mixto, repellente videlicet, ac discutiente facultate prædito: ac primo quidem tempore adstringens præcellere oportet, ad finem verò discutiens, interposito verò tempore, æquales vtrorũque partes esse conuenit. Huius doctrina ratio est, quia in principio sola adest repellendi indicatio: interpositis temporibus vtraque viget, repellendi videlicet, & discutiendi: repellendi quidem ratione adhuc fluentis materiæ, discutiendi verò ratione fluxæ, & impactæ, licet modò vna, modò altera magis vrgeat, prout affectus à fluxione subortus modò magis principio proximus est, modò vigori. In fine denique adest sola discutiendi indicatio, cum ex toto cessauerit fluxio: attamen adstringentia adhuc discutientibus miscemus ad robur partis seruandum, & præsertim si princeps fuerit. *Quando repellẽtibus discutiẽtia miscenda sint, & quænã eorũ præcellere debeant.*

Alterum quæsitum consideratione dignum erat, an repellentia conueniãt, nullo alio præmisso remedio, cui respondeo interdum à principio sine alicuius *An euacuatio præcedere*

debeat usum repellētium.

alterius pręsidij administratione huiusmodi remedia esse posse ex vsu: interdū verò non esse tutum vti repellentibus, nisi prius euacuatio, aut reuulsio facta fuerit. Hoc autem euenit, quia si vniuersum corpus humoribus abundauerit, præcedere debet reuulsio, aut euacuatio: quòd si corpus hæc non egerit, à principio repellentia satisfacere poterunt.

Repellentia interdū conueniūt nulla p̄missa euacuatione.

Quòd etenim ab initio conuenire possint, clarè docuit Gal. 2. localiū cap. 1. vbi loquēs de reprimētibus vapores, seu humores in caput ascēdentes dicebat hæc auxilia, siue humorū, siue vaporū multitudo in caput impetū faciat p̄clare auxiliari: repellunt enim eos, infraque in corpus detrudūt: adeo vt ipse fateatur, se in sexcentis hoc medēdi modo vsū nullo alio habuisse opus. Quod præstare nō potuissent hæc remedia, si vniuersum corpus euacuatione indiguisset.

Quando euacuatio p̄mitti debeat repellentibus.

At ex altera parte si humores in corpore superabūdauerint, nisi prius facta fuerit, aut totius corporis euacuatio, aut humorū fluentium ab affecta parte ad alias retractio, repellētia nihil pręstare poterunt. Quæ pariter est Gal. doctrina lib. artis med. cap. 95. & 3. epid. 3. tex. 76. Nā lib. artis medicæ loquēs de curatione affectus aliquam partē occupantis à fluxione soborti ait eam esse euacuationem, siue abuacuationem ab affecta parte, quando nimia repletione laboret. Euacuabitur autem, aut per affectam partē siue sensibiliter, siue insensibiliter, aut si fluxi humores retrocesserint. Si itaque in eo elaborauerimus, vt, quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet, oportet igitur totum corpus, si plus æquo plethoricum fuerit, euacuare, aut omnino ad alia loca retrahere: quo perfecto opere prius repellendum, quàm dispergendum. Libro verò 3 de morbis popularibus idem docet dicens, si omnino plenitudo causa doloris antegressa videatur, quamprimum hominem vacuato; tunc enim securissimè fluxiones reprimētia partibus dolētibus applicueris. Nam si ante euacuationē id tentes humorum abundantiam ad maximè principes partes retorquebis.

De interceptione quid sit, & à quibus indicetur. Cap. XLIX.

CVm viarum laxitas, atque humorum tenuitas inter causas vitiosi humorū motus connumerentur, his medici occurrere tentāt remedijs, quę incrassandi, & intercipiendi, vt dicunt, vim habeant. Quare cum hucusque de reuulsione, deriuatione, & repulsu egerimus, de hoc quoque præsidio agendum est. Multi enim faciēda sunt illa omnia remedia, quę humorū pręternaturalē motū cōpescere possunt, cum ab eo quāplures excitentur in humano corpore morbi.

Interceptio quid.

Interceptionis itaque nomine nil aliud intelligimus nisi pręsidium quoddā, quo humores in medio cursu sistimus. Intercipere enim nil aliud importat, nisi efficere, ne quid eò perueniat quò destinatum est. Vnde interceptione vtimur, vt prohibeamus, ne humores, seu vapores ad eam partem perueniant, ad quam præternaturaliter fluunt. Cum autem facilè fluant humores duplici de causa, quatenus ad nostrum propositum pertinet, nimirum ob viarū laxitatem, & quia tenues sunt, intercipiētibus vtrique causæ occurrimus, vias laxas adstringēdo, & tenues humores incrassando. Ergo intercipiētia, cum duorum ratione sustineant, à duobus etiam indicabuntur. Nam quatenus adstringunt, eatenus à viarum laxitate indicantur, quatenus verò crassefaciunt, ea de causa tenuitati humorum, (sed adhuc fluentium) medentur, & eos ad motum ineptiores reddūt. Paratiores etenim ad motum sunt tenues, quàm crassi humores.

Intercipientia à duobus indicantur.

Porrò cum incrassantium medicamentorum facultas in frigidis, & crassarū

partium

partium essentijs cōsistat, vt docuit Gal. 5. simpl. cap. 20. & 23. & horū quędam magis, alia minus incrassent, prout frigidiora, & crassiora sunt, aut minus talia: atque interdum adeo crassefaciendi facultate sint prædita, vt id stupefaciēdo efficiant, sicuti sunt opiata medicamenta: ideo prout humores sunt magis, aut minus tenues, & cum maiori, aut minori impetu, maiorive, aut cū minori periculo mouentur, vtendum crassefacientibus maioris, aut minoris efficaciæ, ita vt aliquando ad opiata deuenire oporteat. Quod exemplo declarare licet. Fluat alicui a capite in pulmones pituitosa, eaque tenuis materia, si neq; valde tenuis, neque acris sit, neque cum magno impetu, sed paulatim fluat, ad eam intercipiendam leuioribus crassefacientibus vti poterimus, quæ neque valde refrigerent, neque crassefaciant. At si valde tenuis sit destillatio, & copiosa multū, & periculum non mediocre ex eiusdē acredine, seu salsedine immineat, tunc poterimus etiam ascendere ad opiata, vt Gal. docuit 5. meth. cap. 13. qui theriacam recentem valde, in qua virtus opij tūc summè potens est, dedit illi matronæ romanæ, vt eam à pulmonis vlcere præseruaret: quemadmodum etiā sequenti capite ad præseruandos a phthisi eos, qui salsa destillatione laborant, laudat diaspermaton: sicuti pariter ad immoderatum sanguinis fluxum sistendum vtimur remedijs opio refertis, habito tamen semper respectu ad ea, quæ huiusmodi remedia prohibent, de quibus libro vltimo agemus.

Quæ incrassando intercipiunt, quædam magis, quædam minus incrassāt, & à quibus indicentur.

Et quēadmodū ratione tenuioris, & periculosioris fluxionis vtimur ijs, quę maiorē vim refrigerādi, & crassefaciēdi habeāt; ita ratione maioris, aut minoris laxitatis viarū ijs vtendū, quæ maiori, aut minori vi adstringēdi prædita sunt.

De recta intercipientium administratione. Cap. L.

QVod ad rectam intercipiētium præsidiorum administrationem pertinet, pauca dicenda sunt. Vnde si de vbi agendum sermo sit, ea tum interius assumuntur, tum exterius adhibentur. Et si exterius vsurpantur, ijs præsertim partibus apponenda sunt, per quas humores ad affectam partem confluunt. Exempli gratia, dum materia fluit per vasa externa ad oculos, tunc illitis, circa ea medicamentis, quæ adstringant, & robur inferant, fluxionē intercipere possumus, vt ait Gal. 13. meth. 22. Sic in fluxu sanguinis è naribus frontē iis medicamētis illinire solemus. Id tamen noto ex Gal. loco citato exēplo desumpto à fluxionibus, quas patiuntur oculi, quòd si eorum vasorum, quæ in profundo sunt recōdita, vitium sit, nihil proficient huiusmodi remedia extrinsecus adhibita ad intercipiendam fluxionem. Quare solùm conueniunt, quotiescunq; ei parti apponi possunt, per quam humores fluunt, quòd si ab interno, & profundo proueniant, nullius vsus erunt extrinseca intercipientia.

Quibus partibus intercipientia admouēda sint.

De quomodo agendum dico, multis modis, & formulis, de quibus interim non est facienda mentio, vsurpari posse, tam extrinsecus, quàm intrinsecus administrata: quinimo etiā chirurgica operatione tale quid efficere possumus, vt docuit Gal. loco citato, qui ad sistēdam fluxionem decumbētem ad oculos ob venarū, vel arteriarum externarum vitium, iubet, vt aliqua earū parte excisa, aut etiam totis benè altè præcisis, dura cicatrice, quod interest, intercipiamus, qua disiunctæ incisæ vasis partes, continuæ præterea non sint, nec ex altera in alteram confluere aliquid possit. Id etiam ad vtendi modum pertinet, quòd intercipientia extrinsecus apponenda, tum frigida actu, tum iteratis vicibus, vt de repellentibus dictum est, vsurpari debent.

Vtendi modus multiplex.

Quando intercipientibus vtendũ.

Intercipiendi verò tunc opportuna est occasio, quando humores fluunt, non autem dum sunt fluxi, quia tunc temporis potius noxam afferunt: propterea quod sunt in causa, vt humores fluxi crassiores reddantur, & magis in affectam partem impingantur, ac veluti congelentur, vt difficilius digerentibus, seu remedijs insensibiliter eos euacuantibus cedant. Vnde Gal. lib. 1. de alim. fac. cap. 31. dixit papauer non conuenire, dum materia fluxa est in pulmones, sed dum fluit, quoniam, dum fluxa est, prohibet, quominus ex thorace, & pulmone tussi expuantur, quæ in eis continentur; conferre verò ijs qui catarrhis fluxu tenui à capite defluentibus infestantur. Et hæc de vitioso humorum motu compescendo dicta sufficiant.

De diaphoresi, seu insensibili euacuatione, quæ vitio humorum secundum quietem occurrit. *Cap. LI.*

QVantumuis Medicus diligenti opera, tum reuulsione, tum deriuatione, tum repulsu, ac denique interceptione fluxiones sistere, repellere, & ab affecta parte auertere conetur, sæpe tamen suo fine frustratur, & omnino prohibere nequit, quo minus humores fluxi, & extra venas effusi in partium substantiam imbibantur, & tunc dicuntur peccare secundum quietem, quia ibi præter naturam morantur. Quod sanè vitium non solum in vnica, aut pluribus determinatis partibus, sed etiam in vniuerso corporis habitu esse potest.

Vitia humorum secundum quietẽ varia expostulant præsidia.

Porrò humorum vitia secundum quietem diuersis præsidijs curantur pro diuersis eorundem natura, copia, affectu, quem producunt, & laborante parte, ac si qua alia sunt, quæ curationem quandam sibi propriam requirant. De quibus omnibus sanè non est hic agendi locus, cum horum plurima peculiaria sint, neque vniuersali methodo comprehendi possint. Nam humores quietè peccantes absque dubio sunt euacuandi, euacuari autem possunt, aut sensibiliter, aut insensibiliter: sensibiliter per sudorem, & medicamenta pus mouentia, aut etiam per cucurbitulas, per sectionem venæ, hyrudines, per vrinam, aluum, vterum, & huiusmodi. Per sudorem quidem, siue in toto corporis habitu extiterint, siue in aliqua determinata parte, hinc hydrotica medicamenta conueniunt, quæ particularem tractationem requirunt, & quatenus ad eorundem vniuersalia præcepta, ea petenda sunt ex ijs, quæ de euacuatione in vniuersali diximus. Remedia verò pus mouentia similiter ad peculiarem tractatum de abscessibus pertinent. Reliquæ euacuationes sensibiles ab aliqua determinata parte, quocunque modo efficiantur, in vniuersali declaratæ fuerunt, dum de euacuatione, & deriuatione, atque horum præsidiorum recta admiuistratione egimus: præterquamquod vnunquodque determinatum præsidium euacuans propriam exigit tractationem. Quare non est, vt quicquam aliud dicamus, de humorum aliquam partem, aut totum corpus infestantium vitio secundum quietem, quatenus tolli potest sensibili aliqua euacuatione.

At si de insensibili humorum quiete peccantium, qui vehementer impacti sint, euacuatione sit sermo, cum præceptis quibusdam vniuersalibus egeat, quibus cognoscere liceat, quænam indicent huiusmodi euacuationem, & qua ratione rectè administrari possit; hæc illa est, de qua interim solũmodo agere decreui eius naturam, & rectum vsum declaraturus.

Insensi-

Quid sit diaphoresis, seu digestio.

Insensibilis itaque euacuatio, quam græci diaphoresin, latini digestionem, seu euaporationem vocant, vt docet Gal. 13. meth. 16. est præsidium, quo humores impactos in insensibilem halitum resoluimus, & euacuamus. Pro cuius definitionis intelligentia declarare oportet, quales nam sint humores impacti, qui hac insensibili euacuatione indigent; deinde qua ratione fiat hæc resolutio in insensibilem halitum, seu per insensibiles meatus. Nam his declaratis non erit amplius difficile cognoscere à quibus indicetur huiusmodi præsidium, & qua ratione rectè administrari possit.

Quinam humores insẽsibili euacuatione indigeant.

Illi humores in partium substantiã imbibiti insensibili euacuatione egent, qui præsertim frigidi, lenti, crassique sunt, vt colligi potest ex Gal. 7. simpl. vbi docet siccantia, ac digerentia medicamenta potissimum euocare, atque euacuare succos lentos, crassosque. Et iure meritò. Nam qui calidi, ac tenues sunt, ex se nulla digerentium medicamentorum ope euaporant. Hinc sæpe videmus phrenitidem, in lethargum degenerare, quia dissipatis, & resolutis biliosis, & tenuibus, calidioribusque humoribus, qui phrenitidis causa erant, si cum ijs frigidi quoque, & crassi permisti fuerint, isti remanent, & affectus in oppositum transit, qui deinde curari nequit, nisi humores huiusmodi impacti euacuentur, euacuantur autem præsertim in halitum resoluti. Similiter in inflammationum, quæ ad suppurationem non deueniunt, declinatione resolutis calidioribus, & tenuioribus succis, qui remanent discutiendi sunt, propterea quod ob sui frigiditatem, seu crassitiem, atque lentorem nõ possunt à calore partis in halitum resolui, nisi ope medicamentorum digerentium.

Quotiescunque igitur humores in partium substantiã imbibiti, aut ex propria natura, aut à calore partis insito facilè non euaporant, aut ad suppurationem non tendunt, tunc resoluentibus indigent, sed huiusmodi sunt frigidi, crassi, & lenti, ergo isti sunt, qui præsertim insensibili euacuatione opus habent. Quòd si interdum etiam vtimur resoluentibus in humoribus calidis, & tenuibus, vt contingit in fine ipsius phrenitidis, id nulla alia de causa euenit, nisi quia à frigidorum, qui cum illis misti sunt, crassitie, & lentore detinentur, quo minus euaporare possint. Vnde Gal. 14. meth. 7. dicebat, hoc esse commune præceptum omnium fermè, quos vitiosus succus creat, morborum, quòd in fine calefacientibus, & siccantibus sit vtendum: quippe hæc, quod reliquum humoris est, prorsus absumunt.

Quomodo fiat humorũ in insẽsibilẽ halitum resolutio.

Qua ratione autem fiat humorum in insensibilem halitum resolutio, colligi potest ex Gal. loco nuper citato 14. meth. 7. vbi docet digerentia per halitum necessariò calefacere, & siccare, sed præter hoc, quòd calfaciant, & siccent, debent etiam esse tenuium partium, & facultatis minimè adstringentis, vt habetur 7. simpl. Nam, vbi calor insitus validus est, & partis humiditas ad summum concocta, vtique in tenuem halitum soluta insensibili transpiratu in ambientem effluit: contra vbi ingenitus calor imbecillior est, vel humor, tum semicoctus, tum crassus, tum glutinosus, ibi crassior excitatur halitus, quàm vt transpirare possit, ac potissimum sicubi particula ipsa densior est reddita: & rursus etiamsi calor auctior sit, humor verò, qui in membro continetur frigidus, crassus, & glutinosus, eum tamen in halitus nimis crassos resoluit. Quapropter ad hoc, vt huiusmodi humores in insensibilem halitum ita resoluantur, quò per insensibiles meatus transpirare, & in ambientem effluere valeant, non tantùm, quæ calefaciant, requiruntur, sed etiam quæ exsiccent, & sint tenuium partium: sic enim humores crassos, & glutinosos adeo in tenuem

vaporem

vaporem resoluere poterunt, vt insensibiliter educantur, & in auram omnino abeant.

Cur digerentibus emollictia admiscenda sint.

Verumtamen cum sæpe contingat, vt humores impacti indurati tumores producant, siue modò scirrhosi fuerint, siue adhuc minimè tales, sed timeantur, tunc digerentia medicamenta, & præsertim fortia suspecta omnino sunt, nisi emollientia eis commiscuerimus. Quoniam si tumores minimè scirrhosi fuerint, in scirrhos conuertentur: si verò scirrhus iam aderit, prorsus insanabilis efficietur. Prioris casus meminit Gal. 2. ad Glauc. 7. posterioris 14. meth 4. Nisi enim (inquit) humectaueris, atque mollieris induratos tumores, sed fortibus medicamentis tantùm resoluere studueris, in primis quidem diebus, eos insigniter decrescere facies, sed pariter id, quod relinquitur, indurabis, hoc verò induratum difficulter resoluetur. Melius igitur, vt fortiter resoluentibus medicamentis commisceamus mollientia, verentes, ne tumores in scirrhos conuertantur. Quòd si quis pariter in scirrhi iam facti curatione ijs, quæ vehementer trahunt, digeruntque, medicamentis vacuare tentet: nec ijs, quæ humectent, & excalfaciant, molliat, ac liquet: huic paucis primis diebus ægregiè processisse curatio videbitur; cæterum, quod de affectu restabit, id insanabile erit: siquidem toto, quod in eo tenuium partium erat, digesto, quod reliquũ est, veluti lapidosa concretio linquetur. Quinimo tutius semper esse arbitror, dum humores crassi, & glutinosi sunt, etiamsi induratum tumorem non producant, digerentibus, & præsertim fortibus emollientia commiscere ob eandem causam, ne videlicet tenuioribus resolutis humorum partibus crassiores, quæ remanent, adhuc nimis exsiccatæ, & induratæ amplius resolui nequeant.

A quibus digerentia præsidia indicentur.

Ex quibus vnicuique manifestum esse potest, à quibus diaphoresis, seu digerentia præsidia indicentur: siquidem indicantur ab humoribus impactis, siue totius corporis habitum occupauerint, vt exempli gratia contingit in leucophlegmatia, siue aliquam determinatam partem, tàm internam, quàm externam obsederint, qui sensibiliter educi, aut à calore partis insito resolui nequeant, quia videlicet, vel frigidiores, aut crassiores, & glutinosiores sint, ita vt digerentibus præsidijs, quæ eos in insensibilem halitum resoluant, opus habeant. Quibus ferè semper emollientia admiscenda, quoniam hæc à duritie, quæ vel præsens est, vel timetur, indicantur. Atque hoc pertinet ad huius præsidij qualitatem.

A quibus indicetur digerentium maior, aut minor vis.

De præsidiorum autem digerentium quantitate, seu eorundem intensione, & remissione, ita statuo, vt, cum alia sint maioris, alia minoris efficaciæ, vehementiora, ac potentiora à maiori humorum frigiditate, crassitie, & lentore, leuiora à minori indicentur. Quò etenim facilius in insensibilem halitum resolui possunt, eò mitioribus, quò difficilius, efficacioribus digerentibus opus habent. Per accidens tamen hoc indicare etiam potest, tum partis affectæ substantia, tum situs, vt sequenti capite dicemus.

De indicationibus, quas in diaphoresi pars affecta, ætas, sexus, & corporis habitus suggerunt. Cap. LII.

SEmper magni fecit Gal. indicationes, quæ ab affecta parte desumuntur, quoties eæ necessariæ iudicantur, vt ex ijs, quæ tum in hoc libro, tum antecedenti dicta fuerunt, apparet. Id quod in insensibili etiam euacuatione obser-

obseruare debemus, cum sæpe pars affecta indicationem aut euariet, aut ei, quam affectus expostulat, contrariam prorsus suggerat, qua neglecta periculum non mediocre ægrotanti imminet, aut mors interdum sequitur: quemadmodum contigit Theageni Cynico inflammatione iecoris laboranti, quem Attalus methodicus relaxantibus cataplasmatibus enecauit, haud intelligens viscus hoc mediocriter adstringi debere, propterea quod animalibus altricis facultatis principium sit, & venosum ab hoc oriatur genus. Ita igitur viscus curauit, sicut bubonas, meris scilicet, & solis relaxantibus, cum ad visceris robur conseruandum adstringentia miscenda forent, vt refert Galenus 13 meth. cap. 15. A triplici autem fonte huiusmodi indicatio præsertim desumitur, à partis videlicet dignitate, seu actionis prestantia, ab eiusdem substantia, & situ.

Quid indicet partis dignitas, seu actio, dũ digerẽtib. opus habet.

Si itaque contingat, (quod ad partis dignitatem, seu officium attinet,) partem affectam, ac digerentibus præsidijs indigentem, vt humores in ea impacti insensibiliter euacuentur, habere munus toti corpori necessarium, vt exempli gratia est iecur, & lien: hic quidem depurandi sanguinis ab humore fœculento, & melancholico: illud verò gignendi sanguinis pro totius corporis nutritione: tunc sumitur indicatio similium viscerum robur seruandi, quod cum à digerentibus, & relaxantibus soluatur, ideo, quæ roborent, & adstringant, eis miscere oportet. Ita sensit Gal. 13. meth. 16. exemplo ab inflammatione iecoris desumpto, dicens, quæ à phlegmone sumitur, vnam duntaxat agendorum esse indicationem, quam græcè diaphoresin vocant, latinè digestionem, euaporationemve dixeris: hæc humorem, qui in phlegmone obsessa parte continetur, per meatus insensibiles educit. Quæ verò ab ipsa sumitur parte, ea in diuersam nos partem trahit, scilicet robur eius seruari iubens. Coeuntibus igitur vnà contrarijs indicationibus, compositum quoque esse medicamẽtum oportet. At fœmur si phlegmone laboret, aut tibia, aut cubitus, aut brachium, aut qui in ijs sunt adenes, causa non est, cur horum robori consulas. Ex quo colligit hoc vniuersale præceptum, communem videlicet indicationem esse in omnibus ijs partibus, quarum munus eiusmodi est, vt toti corpori sit ex vsu. Vnde eiusdem libri sequenti capite ob eandem causam infert, ergo nec lienem tantùm relaxantibus curare oportet, cum hic quoque, (qui est vsus toti corpori necessarius,) ex iecinore quicquid limosum, & melancholicum est, expurget.

A partis substãtia sumẽda est indicatio, dũ digerere volumus.

Quòd si secundo loco substantiam affectæ partis seu, quem dicunt, substantiæ modum contemplemur, cum aliæ raræ, & laxæ, & molles natura existant, nonnullæ autem densæ, & pressæ, ac duræ, ab hac quoque aliqua sumitur agendorum indicatio, vt docuit Gal. lib. artis med. cap 93. Nam molles, ac laxæ partes, cum humidiores sint, facilè euacuantur, quare leuioribus resoluentibus indigent, quæ verò duræ, ac densæ sunt, acrioribus euacuantibus, & ijs, quæ tenuiores partes habeant, egent, cum difficilius ob substantiæ densitatem euacuentur.

Quid situs partis indicet.

Tertio denique quantò pars profundior est, tantò etiam valentiora esse debent digerentia præsidia. Quæ pariter est Galeni doctrina loco nuper citato. Nam quicquid per summa hæret, potens est id medicamen dispergere, quod etiam validas non habuerit ad dispergendum vires. At si id, quod euacuari oportet, in penitioribus partibus fuerit, intendendus, atque augendus dispergentis medicaminis calor, idest fortiori digerenti præsidio vtendum, cum dubi-

dubitandum sit, ne prius quàm attigerit profundas partes, interim vires amittat. Quantò igitur profundiorem situm habuerit pars, tantò potentiora esse debebunt resoluentia medicamenta, vt eorum facultas in longo itinere non soluatur, sed talis sit, quando ad affectam partem peruenerit, qualis necessariò esse debet, vt rectè munere suo fungi possit.

Cōsiderāda est etiā ætas, sexus, & corporis habitus.

Denique non est contemnēda ea indicatio, quam præstat ætas, sexus, & habitus corporis. Nam vereri debemus fortiora digerentia, nedum exterius administrata, sed etiam ea præsertim, quæ intrò assumuntur, in ætate puerili, mulieribus, & habitibus corporis mollioribus. Siquidem facillimè omnium digeritur, & dissipatur puerorum substantia, propterea quod est omnium humidissima. Quò minus non solum sensibiliter vacuantibus præsidijs eget, cum habeat ex seipsa vnde naturaliter vacuetur, vt docuit Gal. 9. meth. cap. 17. Sed etiam in simili ætate timenda sunt ea, quæ insensibiliter euacuant, præsertim si validiora fuerint. Id quod etiam sentiendum est de mulieribus, & humidis, ac laxis corporis habitibus, quorum substantia in ambientem facillimè dissipatur. In ætatibus verò prouectioribus, viris, & densis corporis habitibus tutius vehementiora digerentia vsurpari possunt, cum ægrè corpora hæc per halitum digerantur. Quod sanè nouisse est maximi vsus, ne errores in medendo contingant.

De recta resoluentium præsidiorum administratione.

Cap. LIII.

Vbi agēdum à quo indicetur.

Circa rectam horum remediorum administrationem tria tantùm paucis declarabimus, nimirum vbi agendum, quomodo, & temporis occasionem. Vbi agendum indicatur a subsistentia materiæ, vnde si fuerit per vniuersum corporis habitum dispersa, vtemur præsertim internis medicamentis, vtpotè quorum virtus per vniuersum corpus facilè permeare potest, ad humores in toto inexistentes digerendos, & resoluendos. Quinimò externis etiam vti licet, quæ habeant facultatem totum, in quo materia est dispersa, insensibiliter euacuandi, vt exempli gratia esset balneum digerendi facultate præditum. At si dispergendi humores aliquam determinatam partem occupauerint, poterunt ipsi quoque resolui medicamentis tum internis, quibus, quæ proportionem affectæ partis respiciant, commiscenda, vt eorum virtus ad eam feratur: tum externis, quæ, si pars externa fuerit, ei applicanda erunt; si interna illi regioni apponenda, per quam facilius externorum medicamentorum vis ad partem patientem peruenire possit.

Vtendi modus multiplex.

Vtendi modus varius est, qui ideo à diuersis indicari potest, vt lib. 3. cap. 33. ostensum fuit. Vtimur itaque remedijs, aut intrò assumendis, aut exterius administrandis, & vtcunque sub varijs formulis, inter quas, si de externis sermo sit, stillicidium primas tenet, cum ab ictu medicamenti ab alto cadentis eius virtus facilius intropellatur. Sunt insuper calida actu admouenda, vt promptius operentur: si enim debent calefacere, & exsiccare, atque attenuare, absque dubio maiorem vim hæc omnia præstandi habebunt, si calida actu administrentur. Ijs denique iteratis vicibus vtendum, quia euacuatio insensibilis longum tempus requirit, cum medicamenta hęc bis, terve repetita impactos

pactos humores in halitum insensibilem resoluere nequeant, sed pluribus, & iteratis vicibus opus habeant, vt munus suum peragere possint.

Quo tẽpore digerẽtia cõueniant.

Digerendi denique tempus opportunum est, quando humores sunt impacti, vt docuit Gal. 13. meth. 6. exemplo inflammationis; cum sanguis, inquit, in particula vehementer est impactus, non est amplius repercutientibus vtendum, sed tunc digerere est tempestiuum. Prius etenim à parte repellendum, quàm dispergendum, vt ait idem Galenus libro artis med. cap. 95. Nam cum ad affectum locum adhuc fertur fluxio, reprimere, remittereque hanc expedit, non ad ipsum attrahere, quia relaxantia remedia, sicuti, quod in membris continetur, euocant, ita si in principio sint admota, pro eo plus attrahunt. Tunc itaque digerendi tempus idoneum est, quando fluxio iam restitit, & humores impacti sunt in affecta parte, nec amplius nouam fluxionem excitare possunt digerentia medicamenta.

Temporibus intermedijs repellẽtia digerẽtibus miscenda.

Cæterum quemadmodum in fluxionum principijs repellentibus vtimur, in fine verò digerentibus; ita temporibus intermedijs vtrisque egemus, cum hac tamen conditione, vt modò repellentia, modò digerentia superent, modò etiam æqualia sint, quatenus aut magis vrget repellendi, quàm digerendi indicatio, aut è contra potius digerendum, quàm repellendum est, aut denique vtraque indicantia æqualem prorsus habere vim, & facultatem iudicantur, vt notatum fuit supra cap. 48. ex Galeni mente.

Digerentia nõ coueniũt, nisi totũ euacuatũ fuerit

Quemadmodum autem agendorum occasio ab indicantium præsentia indicatur, ita necessarium est, vt prohibentia absint, aliter si hæc valde vrgent, non esset opportunum agendi tempus. Vnde cum digerendi opportuna occasio sit, quando humores iam sunt impacti, quia videlicet tunc indicans præsens est, animaduertere etiam debemus, an quicquam prohibeat huiusmodi præsidium, id autem est redundantia in toto corpore quorumcunque humorum, quia hac præsente non conueniunt digerentia remedia. Si etenim, vt dicebat Galenus libro artis med. cap 95. vniuersum corpus plus æquo plethoricum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum. Nam si calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Hoc igitur commune præceptum traditur ab eodem Galeno 13. meth. 22. digerentia medicamenta, vbi redundantia in toto corpore subest, si particulis quibusdam applicentur, implere potius, quàm vacuare. Ergo tum reliquos morbos, tum verò inflammationes, sicubi curas, nullo euaporante auxilio prius fidenter vtaris, quàm totum corpus purgaueris. Quocirca etiamsi fluxio iam cessauerit, nullo tamen pacto tentandum est fluxos humores, & in affecta parte imbibitos per digerentia medicamenta insensibiliter euacuare, nisi prius toti corpori prouisum fuerit, nè nouæ fluxionis proritandæ occasio excitetur.

Quàm periculosum sit vti digerentibus tẽpore minimè opportuno.

Ex quo liceat vnum summopere necessarium adnotare, quod habetur apud Galenum 11. meth. cap. 15. quodque demonstrat, quanti facienda sit agendorum opportuna occasio, cum ex remedijs digerentibus inopportunè administratis in febribus, affectus periculosus interdum suboriatur, nimirum præcordiorum inflammatio. Non enim, (inquit Galenus,) calfacere, præcordia cataplasmatis, aut perfusionibus est perpetuò tutum, sed in ijs tantùm ægris, quibus in toto corpore nullum errat superfluum; cæteris omnibus extrema est pernicies. Nam siue redundantia vtrauis sit, vel quæ ad vires, vel quæ ad vasorum continentiam comparatur; siue etiam in vna parte, pluribusve vi-

tiosa excrementa sint, omnia ad partem excalfactam trahuntur. Quoties enim vidisti præcordia, cum planè phlegmone carerent; intra quatuor dies, quibus ea gregales isti medici perfundere cæpissent, phlegmonem contraxisse? Hæc Galenus. Quæ sanè verba clarè demonstrant, quanta ægrotantibus perniciesex inopportuno digerendi tempore immineat: præsertim si digerentia principi alicui parti, aut principem in consensum trahenti, aut ei, quæ actionem, vel vsum habeat toti corpori communem admoueantur. Quapropter nusquam solis digerentibus vtendum, nisi omnino fluxio restiterit, & vniuerso corpori per venæ sectionem, vel per purgationem, aut, si oportebit, per vtranque prospectum fuerit. Adeo vt non amplius periculum immineat, quòd ab horum remediorum vsu maior fiat ad affectam partem remediorum attractio, quàm sint illi, qui euacuantur.

De vitio humorum secundum qualitatem.

Cap. LIV.

Qualitas occulta nō pertinet ad methodum.

OCcurrit denique vitium humorum secundum qualitatem accidentalem; quæ sanè qualitas aut occulta est, aut manifesta: si occulta fuerit, quod vitium à tota substantia dicunt, ad præsentem tractatum de methodo non pertinet. Nam, vt inquit Galen. 3. meth. 6. eorum, quæ contraria qualitate sunt, methodus quæpiam est: eorum, quæ tota substantia sunt aduersa, methodus non est, sed omnia sunt per experientiam inuenta. Siquidem methodus rationi innititur, quæ desideratur in illis, quæ à tota substantia sibi aduersari dicuntur, quando hæc sola experientia, & obseruatione nota sint.

Quot modis peccent humores secundum qualitates.

Quare manifesta solùm humorum qualitas illa est, quæ in præsenti consideratur, vtpote quæ methodo subijcitur. Nam siue prima, siue secunda fuerit pro sui in oppositam mutatione, contraria expostulat. Primam voco caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, siue ex harum duabus compositam: secundam autem dico, crassitiem, lentorem, tenuitatem, acredinem, seu mordacitatem: siquidem omnibus istis qualitatibus humores præsertim peccare dicuntur. Quibus si quis addiderit etiam eam, secundum quam humores putredini obnoxij redduntur, à ratione non aberrabit, licet hæc ad primas qualitates reducatur. Nam tunc humores ad putredinem paratiores efficiuntur, quotiescunque recedunt à proprio temperamento versus calidum, & humidum, in quibus duobus putredinis ratio consistit. Harum omnium vitiosarum qualitatum meminit Galenus libro artis medicæ cap. 95. dicens humores neque lentos esse oportere, neque crassos, neque aquosos, neque vehementer calidos, ac frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios.

Quid vnaquæque humorum qualitas indicet.

Quid autem vnaquæque harum præter naturam qualitatum indicet, vnicuique notum est, virtute illius axiomatis, contraria contrarijs curantur. Quare calidi humores refrigerari; frigidi calefieri; sicci humectari; & humidi exsiccari desiderant: quòd si duabus qualitatibus peccent, duobus etiam contrarijs opus habent. Rursus qui putredini sunt obnoxij, cum calidiores sint, & humidiores iustò refrigerari, & exsiccari expostulant. Crassi sunt attenuandi; tenues incrassandi, si fieri potest: viscidi, & lenti detergentia præ-

sidia

ſidia requirunt: acres, & mordaces ijs remedijs egent, quæ acredinem, & mordacitatem leniant.

Alterantis præſidÿ quãtitas à quo indicetur.

Et quemadmodum à peccato humorum ſecundum hanc, vel illam qualitatem indicatur determinata oppoſiti præſidij qualitas; ita ab eorundem humorum maiori, minorive receſſu à naturali ſtatu præſidij quantitas indicatur. Quo etenim ſunt frigidiores, aut calidiores iuſtò, eò etiam præſidia magis calefacientia, aut refrigerantia expoſtulant: ſimiliter quò craſſiores exiſtunt, eò remedia intenſius attenuare debent; & ſic de alijs qualitatibus ſentiendum. Vnde Galenus primo ad Glauc. cap. 9. dicebat in curatione exquiſitæ tertianæ, quantò magis fieri poteſt, refrigerandum, & humectandum eſſe, quia pendet ab humore bilioſo maximè omnium calidiſſimo, & ſicciſſimo.

Humorũ cõcoctio non ꝑtinet ad præſentem tractationem.

Cæterum ad hanc humorum mutationem ſecundum qualitatem, ſiue primam, ſiue ſecundam, reduci videtur etiam eorundem concoctio, ſeu, quam paſſim præparationem appellant, quæque ante purgationem eſt neceſſaria, iuxta illud Hipp. 1. aph. 22. concocta medicari oportere, non cruda; de qua tamen interim, quid videlicet ſit, & quomodo efficiatur, non eſt agendum: peculiarem enim tractationem exigit. Quare nunc tantùm eam humorum mutationem paucis contemplamur, non quatenus ad eorum expulſionem dirigitur, ſed abſolutè, & prout euacuationem non reſpicit, quando ſcilicet humores hac ſola ſecundum qualitatem mutatione, abſque quod educantur, ad naturalem ſtatum traduci poſſunt: ſecundum quam ſignificationem ſumitur à Gal. 4. de ſan. tuen. 3. vbi ait oportere excrementum ſiue calidum id ſit, ſiue frigidum, ipſum aut expellas, aut certè alteres. Expellitur prius tamen præparatum, cum omnino alienum eſt, & nulla fieri ratione poteſt, vt id naturæ ſuæ gratiam recipiat. Alteratur autem ſolùm, quod mutatum ſecundum qualitatem ad priſtinum ſtatum reſtituitur, nec euacuari deſiderat.

De recta præſidiorum vitijs humorum ſecundum qualitatem medentium adminiſtratione.
Cap. LV.

Rectus præſidiorum, quæ præternaturali humorum qualitati occurrunt, vſus conſiſtit in debita doſi, vtendi modo, ac temporis occaſione.

Doſis alterãtiũ à quo indicetur.

De doſi id ſolùm dico, ea in maiori quantitate adhibenda eſſe, quando alterandi humores magis remedijs reluctantur: in minori verò cum facilius mutari poſſunt. Nam in maiori quanto maior eſt agendi virtus, in minori minor: maior autem virtus requiritur, dum humores difficilius patiuntur, minor dum promptius alterantur, & ad naturalem ſtatum traducuntur. Cæterum doſis remediorum petenda potius eſt ex particularibus præſidiorum tractationibus, quàm ex hoc de medendi methodo tractatu; in quo vniuerſaliter remedia conſiderantur. Quæ cauſa præſertim fuit, cur aut nihil, aut pauca admodum de remediorum doſi propoſuerim. Reſpicit enim hæc particularia remedia, ſeu, vt melius loquar, particulares eorundem materias.

Alterantia remedia iteratis vicibꝰ ſunt vſurpanda.

Ad vtendi modum pertinet, tum vbi, tum quomodo agendum, de quibus pauca admodum dici poſſunt. Nam vtimur remedijs externis, & internis, actu modò calidis, modò frigidis, prout maior refrigerandi, aut calefaciendi virtus requiritur: atque hæc remedia iteratis vicibus ſunt vſurpanda, quia

alterantia secundum qualitatem primam, aut crassitiem attenuantia, viscidítatem detergentia, acredinem temperantia, & humorum tenuitatem incrassantia, atque huiusmodi longum tempus requirunt ad opus suum peragendum.

Nõ est adeo præceps occasio in alterãtibus, sicuti in euacuantibus.

Denique latum tempus est, neque adeo præceps occasio in similibus remedijs, sicuti in euacuantibus, quando quocunque tempore calidos humores refrigerare; frigidos calefacere, eorundem acredinem, & mordacitatem lenire liceat. At attenuantia, & detergentia, nisi toto euacuato, conuenire non videntur. Nam quæ lentorem, & crassitiem humorum respiciunt, sunt præsertim deobstruentia, quorum vsus tutus non est; nisi post totius euacuationem, ex Galeni doctrina 8.meth.cap.4. quia periculum est, ne, si ijs, prius quam euacues, vtaris, obstructiones adaugeas.



DANIELIS CARMENII
DE MEDENDI METHODO
Liber Quintus.

Intentio, & dicendorum series. *Caput Primum.*


VÆ sunt primarum indicationum differentiæ, circa quas tota medendi methodus versatur, vt videlicet, quod præter naturam est, per contraria auferatur, &, quod secundum naturam existit, per similia conseruetur. Cum itaque duobus pręcedentibus libris egerim de indicantibus præter naturam, nempe de curatorio, & præseruatorio, seu de morbo, ac morbi causa; nunc de indicante secundum naturam, quod vitale appellant, agere decreui.

Quanti faciendæ sint indicationes vitales.

Hoc autem tanti faciendum est, quanti vitam ipsam æstimamus. Nam ab eo, vt inquit Gal.9.meth.13. indicationes primò, & per se desumimus, non vt valeamus, nec vt à morbis liberemur, sed vt viuamus. Quinimo huius indicantis tanta ratio habenda est à medico, vt si quis grauis error circa illius custodiam in morborum curationibus committeretur, dum totus morbi curationi intentus virium nullam rationem haberet, periculum non mediocre esset, ne incideret in eum sermonem, cuius meminit Galenus secundo ad Glauc. 2. *Morbus quidem curatus est, homo autem obijt.*

Difficultas huius tractationis.

Sedulò igitur res hæc tanti momenti consideranda, & eò magis, quia tam obscura, & cognitu difficilis est, vt etiam si praeclarissimi medici de indicationibus à viribus desumptis doctissimè pertractauerint, non tamen fortasse hucusque omnes difficultates amouerint, & id, quod requiritur, Galeni doctrinæ lumen attulerint. Quem sanè scopum si ego quoque non attigero, nihilominus alijs fæliciori ingenio præditis saltem faciliorem aditum ad maiorem huiusce rei declarationem reddam.

Ordo seruandus.

Ordo autem seruandus talis esto. Certum est Gal.9.meth.13.citato per vitale indicans intelligere virtutem ipsam, seu vires, cum dicat indicationem, quæ à virtute sumitur, non esse ex numero curatricium, sed vitalium. At virtus est indicans genericum, quod, cum sit secundum naturam, indicat sui custodiam per similia, quoniam simile simili conseruatur: ex hoc autem nihil scimus, quod etiam plebeis notum non sit. Quare genus hoc in suas differentias diuidendum, quousque ad specificas, quæ in alias amplius diuidi nequeant, deuenerimus. Verùm cum vniuersalis cognitio præcedere debeat, nec differentias generis vllius, ipso genere ignorato, cognoscere valeamus, dicemus in primis quid sit vitale indicans, & quid per virtutem, seu vires intelligere debeamus. Deinde hoc genus diuidendum erit in suas species: post hæc qua ratione harum quælibet indicet quid agendum sit, & rectum agendorũ vsum, (de quo tamen ob rationem inferius adducendam, aut nihil, aut pauca dicemus) pro sui conseruatione declarabimus. Et denique cum nonnulla sint;

quæ ad indicantia vitalia quodammodo reduci posse videntur, licet per se non indicent, cuiusmodi sunt consuetudo, ætas, anni tempus, regio, & similia; ea quoq; consideranda erunt, & dicendum qua ratione indicent pro virium conseruatione.

Quid sit vitale indicans. Cap. II.

VItale indicans est id, quod primò, & per se indicat sui conseruationem per similia. Nam tria tantùm sunt ea, quæ verè indicare dicuntur, morbus, morbi causa, & virtus, vt ostensum fuit lib. 2. cap. 20. etiam ex Galeni mente. Morbus in medendi methodo est primum indicans præter naturam, quod sui ablationem expostulat: siquidem hic ille est, qui primò, & per se operationes lædit, & ideo sui ablationem per contraria indicat. Causa verò morbi per se quidem contraria requirit, vt auferatur, non tamen primò, sed in gratiam morbi. Intentus etenim est medicus morbificæ causæ ablationi, vt à morbo præseruet, vnde indicans præseruatorium vocatur.

Morbus primũ indicãs præter naturam.

Quemadmodum itaque morbus in medendi methodo est primus scopus inter ea, quæ sunt præter naturam, ita virtus inter ea, quæ sunt secundum naturam dicitur primus scopus, nedum in methodo tuendæ valetudinis, sed etiam in medendi methodo. Quoniam vt ait Gal. 9. meth. cap. 10. & 13. vitæ custodia est communis finis vtrique methodo, & tuendæ sanitatis, & medendi: cum hoc tamen discrimine, quòd illa omnia, quæ ad sanitatem tuendam fiunt, vitam etiam custodiunt, vnde in benè valentibus consensus agendorum omniũ ad ipsarum virium perennitatem est. In ægrotantibus autem, & in medendi methodo aliter se res habet: propterea quod, quæ affectiones præter naturam discutiunt, ea non omnino vitam custodiant, quippe aliqua eiusmodi prædita sunt facultate, vt si immoderatè, aut intempestiuè vtare, vitam adimant, vt per exemplum est sanguinis missio.

Virtus est primus scopus secundũ naturam.

Quapropter sicuti virtus est simpliciter primus scopus in methodo tuendæ valetudinis, cum omnia eius gratia fiant, (de qua tamen re interim non est sermo) ita in medendi methodo non est simpliciter primum propositum, sed solùm secundum quid, quando in hac indicationes desumantur nedum à rebus secundum naturam, sed etiam à rebus præter naturam. Quocirca ex vna parte in genere indicantium præter naturam primus scopus est morbus: ex altera in genere indicantium secundum naturam primus scopus est virtus ipsa. Ita sensit Gal. 9. meth. 13. dicens primam omnium indicationem esse, quæ à virtute sumitur, verùm non sic primam, vt quæ curationem doceat, cum ex numero curatricium indicationum non sit, sed vitalium, seu quæ ad vitæ custodiam pertinent.

Et rursus si tam morbus ex vna parte, quàm virtus ex altera dicitur primũ indicans, cum virtus morbo ceu aduersatrix sit, & sæpe indicationes ab vtrisque desumptæ inter se sint contrariæ: nemini dubium est principalissimã semper esse indicationem, quæ à viribus desumitur, & cæteras alias obumbrare, & antecellere, quando viuere ipsum ex harum custodia constat. Qua de causa Gal. 11. meth. 3. de virtute loquens dicebat propositum medico esse, huic omni ratione opitulari, ac subuenire. Ergo facta comparatione inter vires, & morbum, quibus primas dare debeamus, virtus sanè omnium prima à medico custodienda erit.

Indicatio à viribus desumpta cæteras superat.

Est igitur virtus, seu vitale indicans id, quod primò, & per se indicat sui conser-

conseruationẽ. Ratione cuius conditionis differt ab alijs, quæ sunt secundum naturam. Nam etiamsi ab istis indicationes similium desumantur pro virium custodia, cuiusmodi sunt consuetudo, ætas, anni tempus, & reliqua huius census, de quibus infra suo loco: attamen non primò, & per se, seu ratione propria indicant, sed in gratiam ipsius virtutis. Quinimo hac eadem de causa neque inter verè, & propriè dicta indicantia connumerari possunt, cum non indicent de se, sed de alio.

Additur in definitione virtutem indicare sui conseruationem per similia, ad differentiam morbi, & causæ morbificæ; quæ cum sint indicantia præter naturam indicant sui ablationem per contraria.

Quid per uires intelligere debeamus; & quænam, & quot sint illa, à quibus uitales indicationes desumuntur.

Cap. III.

APparuit ex hucusque declaratis, quid sint vires consideratæ sub hoc generico nomine indicantis vitalis: quæ sanè cognitio confusa admodum est, & generica nimis. Vnde pro maiori huiusce rei intelligentia declarandum est subiectum, quid videlicet per vires, seu virtutem, seu vitale indicans intelligere debeamus. Nam omnes quidem norunt, vires conseruandas esse per similia, & nihil aliud frequentius à medicis profertur, quàm virium custodiam præ oculis habendam esse. At quid nomine virium, seu potius per earum essentiam intelligendum sit, & quænam, & quot sint illa, quæ sub ratione indicantis vitalis sui conseruationem, & eorum quæ vires conseruant, rectum vsum indicent, non adeo facilè explicari, & difficilius adhuc exequi potest.

Quid per vires intelligere debeam⁹.

Per vires igitur nihil aliud intelligere videmur, nisi animæ facultates, quæ sunt viuendi principia. Viuere etenim est exercere munera vitæ, ad quod opus peragendum viribus, seu potentijs, seu mauis dicere, facultatibus egemus. Vt iure Gal. 9. meth. 13. dixerit necesse esse vitam, aut ipsas esse vires, aut earũ actiones. Quare tres facultates animalem videlicet, vitalem, & naturalem seruare, nihil planè est aliud, quàm vitam seruare, quoniam ex 9. meth. 10. quælibet earum amissa, necesse est reliquas quoque vnà perire: seruare autem vitam est seruare vires, ergo per vires intelligimus facultates, seu principia viuendi, qua de causa dicuntur etiam indicantia vitalia.

Viriũ essentiã non solũ in facultatib⁹, sed etiã in instrumẽtis cõsistere.

At rursus si viuere est exercere munia vitæ, quorum operum vitalium principia sunt facultates, hæ, vt operentur, (loquor interim de ijs, quæ educuntur de potentia materiæ) instrumentis, quæ informant, opus habent. Quare cum actiones neque simpliciter sint facultatum, neque instrumentorum, sed suppositorum, vt docuit Aristoteles primo de anima tex. 64. ergo virium essentia non solum in facultatibus, tanquam principijs, sed præsertim in instrumentis, quibus vtuntur ad suas operationes obeundas, consistit. Et dixi præsertim in instrumentis, quia vires ea ratione à medico considerantur, quatenus alterari, imbecillas reddi, aut labefactari possunt, id quod patiuntur ob instrumẽtorum affectiones. Nam facultates cum sint incorporeæ, per se impassibiles sunt, & solùm per accidens pati, & labefactari dicuntur, ad organorum videlicet, quibus vtuntur læsionem.

Ex quibus colligo indicationes vitales non simpliciter à facultatibus desumi,

Indicationes vitales nō simpliciter à facultatibus desumuntur.

mi, sed solùm quatenus ad instrumenta, quibus opus habent, dirigũtur. Adeo vt seruare vires, vel imbecillas redditas in pristinum restituere, nil aliud sit, nisi instrumenta ad actiones vitæ obeundas necessaria seruare in suo statu naturali, vel ad pristinum restituere; ergo ab instrumentis potius, quàm à facultatibus vitales indicationes sunt capiendæ: quando illa sint, quæ pati, alterari, & corrumpi possunt: & homines vires validas, vel debiles habere dicantur, quatenus instrumenta eis inseruientia, vel secundum, vel præter naturam se habent. Essentia itaque virium, à qua vitales indicationes desumuntur, consistit præsertim in instrumentorum facultatibus inseruientium naturali dispositione, quam seruare est seruare vires, & facultates, & vitam ipsam.

Quòd à partibus nō sumatur indicatio aliorũ opinio.

Ex quibus noto fortasse non rectè sentire eos, qui tria tantùm verè indicantia cognoscentes, morbum nimirum, causam morbi, & virtutem, & id sæpissimè admonentes dicunt partes nullo pacto indicare, sed virtutem solam. Cui opinioni ego assentiri nequeo, quando à ratione, & à Galeni doctrina sit aliena.

Reijcitur ea opinio.

Nam fateor virtutem esse indicans genericum, quod indicat sui conseruationem per similia, & omnes vitales indicationes conspirare in solius virtutis, seu virium conseruationem, quia has conseruare est conseruare vitam. Sed cũ virtutes, & facultates incorporeæ sint, & ideo per se impassibiles, vt dictum fuit, & solùm patiantur, quatenus sunt virtutes in materia, ergo indicationes vitales, & specificæ, & quæ sint ex vsu desumentur à partibus, seu instrumentis, quibus facultates vtuntur ad suas operationes obeundas.

Ratione 1.

2\. Vlterius indicatio vitalis est similium, & præsertim alimentorum, ac potionum, quæ non facultatibus, sed partibus nutriendis similia sunt, ergo ab istis indicabuntur. Absurdum etenim est existimare aliud esse, quod curetur, & aliud, quod curationem præscribat, vt dicebat Gal. 3. meth. cap. 1. ergo à simili dico ego, absurdum est existimare aliud esse, quod nutriatur, & aliud, quod nutritionem præscribat. Dirigitur quidem nutritio in facultatis conseruationē: vnde ex Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 45. illa est, quæ indicat alimenta, non tamen absolutè considerata, sed quatenus ad operationes suas obeundas eget instrumentis corporeis, quæ alimentis opus habent, vt conseruentur, & facultatibus inseruire possint.

3\. Præterea si nec facultates sine instrumentis corporeis, nec instrnmenta sine facultatibus quicquam pro muneribus vitæ obeundis præstare valent, sed vtraque simul concurrunt, cum actiones sint suppositorum, vt dicunt, ergo indicationes vitales non solum à facultatibus, sed etiam ab instrumentis facultatibus inseruientibus, quando ex vtrisque vnum vitale indicans constituatur, desumi debent.

Galeni auctoritate.

Quod clare docuit etiam Gal. dum 11. meth. 3. ait virium substantiam consistere tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis partibus, atque ex ijs, quæ similia sunt, moliri cuique suam custodiam conuenire: spiritui quidem ex respiratione, & transpiratione, &, qui ex sanguine attollitur, vapore: solidorum verò generi ex solido nutrimento; quemadmodum carnoso generi per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac solidorum corporum est.

Neque tamen erunt plura tribus indicantia verè, & propriè dicta. Quoniã etiamsi à quampluribus primò, & per se desumantur vitales indicationes, attamen est vnum tantùm indicans genericum, sub quo omnia continentur, nempe virtus ipsa. Quemadmodum etiam plura sunt indicantia curatoria, nimirũ

tot,

tot, quot ſunt morborum ſpecies, conueniunt tamen in genere, ita vt vnicum tantùm ſit indicans curatorium, nempe morbus. Id quod etiam de indicante præſeruatorio verificatur.

Omiſſis itaque logicis quæſtionibus, & minimè de nominibus ſoliciti incumbamus in ea, quæ ad artis opera conducunt, & cum Galeno, quæ nam, & quot ſint inſtrumenta facultatibus inſeruientia, à quibus vitales indicationes deſumendæ ſunt pro virium conſeruatione, explicemus.

Ad hoc itaque reſpiciens Gal. 11. meth. cap. 1. & 3. dicebat virium ſubſtantiam tum ex ſpiritu, tum ex carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis compleri, & propterea ab omnibus iſtis indicationes ſumendas eſſe voluit, & cuique ſuam cuſtodiam ex ijs, quæ ſimilia ſunt, moliri oportere. Cæterum 2. ad Glauc. 2. prꝫter hæc partes quaſdam organicas, & calorem innatum enumerat. Adeo vt ex Galeni mente vitalia indicantia, à quibus vitales indicationes pro virium cuſtodia deſumi debent, ſint quinque, nimirum ſpiritus, partes ſimilares, quæ vel carnoſæ ſunt, vel ſolidæ, partes quædam organicæ, & denique calidum innatum. Et iure, quoniam hæc omnia neceſſaria ſunt, vt facultates exercere poſſint ſua munera, quod eſt viuere: ſiquidem his illęſis vires ſemper validæ sūt, & robuſtæ, præter naturam autem ſe habentibus vires neceſſariò collabuntur.

Quot ſint vitalia indicātia.

Quas indicationes in vniuerſali præbeant vitalia indicantia, oſtenditur. Cap. IV.

Vitalia indicantia ſpecifica eſſe numero quinque dictum fuit in antecedenti capite ex Galeni mente. Quid horum vnumquodque indicet pro virium tutela declarare oportet. Verùm cum vniuerſalia ſemper præcedere debeant, priusquam de vnoquoque ſeorſim agamus, quas indicationes in vniuerſali præbeant, explicare, & præcepta quædam communia ad eas ſpectantia proponere, eſt neceſſarium.

Ex Gal. itaque 9. meth. cap. 13. vires vnam rem ſemper indicant, vtique ſui cuſtodiam, quæ ſeruatur potiſſima ratione ex eo, quod de ſubſtantia earum, vel inanitum, vel alteratum eſt corrigendo: ſecundo loco ex prohibendis ijs, quæ ipſarum ſubſtantiam vacuare, alterareve poſſunt: comprehenſa verò inter ea, quæ alterant, breuitatis cauſa ſint, & quæ earum vnitatem diſtrahunt. Hæc Galenus, ex quibus colligimus ipſum proponere tres indicationes in genere ad virium robur conſeruandum.

Enumerantur indicationes vitales, quæ sūt tres.

Prima eſt, vt quod de virium ſubſtantia, vel inanitum, vel alteratum eſt, corrigatur: atque hæc communis eſt omnibus indicantibus vitalibus: ſiquidem ſingulorum ſubſtantiam, tum inaniri, tum alterari contingit. Ita enim materiæ neceſſitate comparatum eſt, vt ob cauſas tàm internas, quàm externas partium noſtri corporis ſubſtantia, & temperies, in quibus vires conſiſtunt, hæc quidem continuò alteretur, illa verò inaniatur, & effluat, vt propterea ad vires conſeruandas vtrunque vitium corrigere debeamus.

Prima indicatio qualis ſit.

Altera indicatio eſt, vt quantùm fieri poteſt prohibeamus ea, quæ virium ſubſtantiam vacuare, alterareve poſſunt. Quæ ſanè indicatio alicui primo aſpectu videbitur potius pertinere ad methodum tuendæ valetudinis, quàm ad medendi methodum; quæ viſa fuit etiam Galeni ſententia 12. meth. cap. 5. dicentis hæc omnia nobis, &, vbi integra ſunt ſeruari, &, vbi corrumpuntur ad

Secunda indicatio.

integrum reuocari omnino debere, & priorem modum ad methodum tuendæ sanitatis, posteriorem verò ad medendi methodum pertinere. Attamen etiam in medendi methodo debemus prohibere, quantùm fieri potest, ea, quæ virium substantiæ etiam illæsæ officere possunt: & hic modus nonsolum ad tuendæ valetudinis methodum, sed pertinet quoque ad medendi methodum. Atque ijs, quæ in oppositum allata sunt, respondeo id discriminis esse inter vtranque methodum, vt supra etiam dictum fuit, quòd in methodo tuendæ valetudinis omnia ad virium perennitatem conspirant: secus accidit in medendi methodo, quando multa sint, siue ab affectibus præter naturam requisita, siue necessariò, aut inopinatò occurrentia, quæ vires etiam secundum naturam se habentes labefactare possunt, quibus omnibus prospicere debet medicus curans, vt semper vires omni conatu manu teneat. Quænam autem sint isthæc, vt euitari possint, dicemus, dum seorsim de singulis indicantibus vitalibus erit sermo. Siquidem hæc etiam indicatio est omnibus communis.

Sola alteratio, q̃ corruptioni est ꝓpinqua viribus nocet.

Circa quam illud noto ex Galeni sententia 9. meth. 13. non quamcunque alterationem esse idoneam ad vires labefactandas, sed eam tantùm, quæ corruptioni est propinqua. Seruabitur (inquit) virtus, si nec eius substantia inaniatur, nec tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua. Qua ratione itaque hæc Galeni verba intelligi debeant, explicandum est. Corrumpitur vnumquodque dum propriam amittit formam, atque corruptionem præcedunt alterationes, non quæcunque, sed illæ, quæ ad corruptelam disponunt subiectum. Quare neque ex Galeni mente quælibet indicantium vitalium alteratio viribus nocua est, quando ad quamcunque alterationem vires detrimentum non patiantur, sed ea tantùm, quæ illa disponit ad corruptionem. Dicuntur autem vitalia indicãtia ad corruptionem disposita, & ei propinqua, quotiescunque eorum temperies, (cui multùm tribuunt tum Gal. tum Hipp. cum eam millies naturam vocent) adeo alteratur, vt propria munia aut vix, aut deprauatè exequantur. Per exemplum non quælibet temperiei hepatis alteratio illius vires labefactat, sed illa solùm, quæ iecur adeo disponit, vt vix, aut deprauatè sanguificet, sicuti contingit in cachexia, & hydrope, aut ex aduerso quando præ nimia caliditate sanguinem adurit, quoniam tunc eius temperies adeo alterata est, vt corruptioni sit propinqua. Non itaque quælibet alteratio, sed maxima, & quæ valde immutat naturale temperamentum, viribus nocua est.

Tertia indicatio qualis.

Tertia denique occurrit indicatio, vt caueamus ab ijs, quæ virium vnitatẽ distrahere possunt. Hæc autem breuitatis causa Galenus reponit inter illa; quæ alterant: nos autem facilioris doctrinæ gratia seorsim de hac indicatione agemus. Atque eò magis quoniam omnibus vitalibus indicantibus communis non est, sicuti sunt al æ duæ iam dictæ, quando non omnium indicantium vnitas distrahi possit, aut saltem ratione propria hæc indicatio omnibus non conueniat. De hac igitur sermo erit, postquam explicatum fuerit, quid indicet vnumquodque vitale indicans pro sui, seu virium tutela.

Quæ in vno quoque indicante vitali sint consideranda.

Quòd si vt ex dictis apparuit, virium custodia in hoc consistit, vt quod de virium substantia vel inanitum, vel alteratum est corrigatur, & prohibeantur ea, quæ earum substantiam inanire, alterareve possunt, ergo in vno quoque indicante vitali, vt colligi potest ex Galeno 11. meth. 1. & 3. atque 12. meth. 5. tria considerare debemus, quæ omnibus communia sunt, & a quibus indicationes desumi debent, nimirum substantiam, quantitatem, & qualitatem.

Quod ſi deinde indicantium quippiam habet aliquid aliud peculiare, vt eſt motus, ratione cuius pariter indicare dicatur, id poſtmodum ſuo loco declarabitur, vt dictum eſt. Interim in communi dicimus indicantium vitalium quorumcunque ſubſtantiam ſic nobis cuſtodiendam in morbis eſſe, vt tum quantitate, tum qualitate, quoad fieri licet, naturaliter ſe habeat.

Quid indicet indicantium vitaliũ ſubſtantia.

Subſtantia indicat quid agendum, nempe præſidium ſubſtantificum ſibi ſimile, quod eandem conſeruare poſſit, quodque à Gal. 1. acutorum 44. vocatur alimonia; hæc autem præſertim efficitur per cibos, & potus; & ratione ſpirituum nedum per aerem, ſed per ea omnia etiam medicamenta, quæ ad ſpiritus reficiendos ſunt idonea. Cum etenim non viuant, neque propriè nutriantur, ideo non tantùm ſpiritali alimentorum, & potionum ſubſtantia, ſed reliquis quoque, quæ ſub hoc generico nomine ſpiritualis alimoniæ comprehenduntur, conſeruari, & regenerari poſſunt. Quæcunque autem fuerint illa, quæ virium ſubſtantiam reſpiciunt, & conſeruant, atque ab ea indicantur, omnia communi alimoniæ nomine vocare liceat, ad differentiam remedij curantis, aut præſeruantis, quod quatenus tale eſt, à morbo, & cauſa morbi indicatur. Quemadmodum ſenſit Galenus loco citato, vbi cibandi ſcopum vnum communem tum ſanis, tum languentibus eſſe ait, is autem facultatis vitalis cuſtodia eſt. Ob eandem ſanè facultatem ſani edimus, & bibimus, aliaque vitæ munia exequimur: propter hanc eandem, & ægrotantes ad cibos, potuſque procedimus. Nempe morbus ſuæ affectionis indicat auxilia phlebothomiam videlicet, clyſma, cataplaſma, purgationem, oxymeli, aquam mulſam, atque aliorum vnumquodque: virtutis verò cuſtodia ſolam indicat alimoniam, quæ ſimilis eſſe debet. Hinc idem Gal. 11. meth. 3. dicebat ex ijs, quæ ſimilia ſunt, moliri cuique ſuam cuſtodiam conuenire, ſpiritui ex reſpiratione, & tranſpiratione, &, qui ex ſanguine attollitur, vapore: ſolidorum verò generi ex ſolido nutrimento: quemadmodum carnoſo generi per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac ſolidorum corporum eſt.

Veruntamen cum vnumquodque præſidium determinetur debita qualitate, & quantitate, ergo huiuſmodi quoque debet eſſe vitale auxilium. Nam ſi viribus ſic proſpici poſſet, vt nec ſubſtantiæ eorum quicquam, aut vacuaretur, aut prorſus immutaretur, id eſſet optimum, ſed quoniam fieri nequit, vt id generabili corpori vnquam contingat, id agendum eſt, vt, quæ ſubſtantiæ portio defluit, hanc apponendo ſarciamus: quod alteraſcit in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicemus. Et ita ſtatuetur præſidium vitale ſpecificum, quod virtutem cuſtodire poterit.

Indicãtium vitaliũ qualitatẽ quocũque tempore alterari poſſe, quãtitatẽ non itidem.

Porrò qualitas in omnibus ex congrua temperie vnicuique tamen propria humidi, ſicci, calidi, & frigidi conſiſtit, quæ quocunque tempore alterari poteſt: quantitatem verò non itidem mutari contingit. Nam ſolidarum partium quantitas par ſemper manet, ſed ijs, qui augentur, numero duntaxat, qui verò abſoluti iam ſunt, etiam magnitudine. Carnoſæ verò ſubſtantiæ magnitudo variatur, etiamſi præterea non augeatur animans: pari modo & ſpiritus ſubſtantia quolibet momento tum minor, tum maior conſpicitur. Id quod de calido innato dici poteſt, licet neque tam facilè, neque quolibet momento, ſicuti ſpiritus mutationem, ſuſcipiat. At organicæ partes mutantur ſecundum qualitatem, & quantitatem ad mutationem ſimilarium, ſiue carnoſarum, ſiue ſolidarum, ex quibus conſtant.

Quare ex dictis colligamus hoc vniuerſale præceptum, vnumqnodque in-

Quid indicet vitalium indicātium quantitas.

dicans secundum propriam substantiam consideratum, vt dictum fuit, indicare alimentum, quod eam conseruet: mensuram verò, seu quantitatem ex conseruandæ indicantium vitalium substantiæ quantitate inueniri: ita vt indicantium substantia alimentum, eorundem substantiæ quantitas, & etiam portio, quæ continuò defluit, eiusdem alimenti quantitatem indicet, vt vtraque in naturali statu, quantùm fieri potest, consequetur per ea, quæ similia sunt, quęque substantiæ portionem, quæ defluit, continuò restaurent: &, si opus sit, vt contingit ijs, qui crescunt, eandem adaugeant. Alimentum enim quatenus est substantia nutrit, & virium substantiam conseruat, quatenus est quantum, adauget.

Quid qualitas indicet

At indicantium vitalium qualitas, si secundum naturam se habuerit, indicat similia secundum qualitatem pro sui conseruatione, si verò alterata fuerit, contraria, vt ad naturalem statum redeat. Hoc tamen inter hæc tria indicantia, nimirum substantiam, quantitatem, & qualitatem, discriminis interest, quòd ad substantiam, & debitam quantitatem vitalium indicantium, siue conseruandam, siue restaurandam solummodo alimenta (exceptis spiritibus, qui cum non viuant, alijs etiam refici possunt, vt dictum fuit,) sunt ex vsu. At respectu eorundem qualitatis præter alimenta, alia quoque, si opus fuerit, eam alterare possunt, vt ex dicendis manifestum fiet. Et propterea Gal. 11. meth. cap. 3. ad qualitatem respiciens materias particulares omnes, non solum in cibis, potione, sed etiam aere, & omnibus alijs peragi solitis inueniendas esse docuit, cum multa alia sint præter alimenta, & aerem, quæ vitalium indicantiũ qualitatem naturalem conseruare, alteratam ad pristinum statum restituere valent.

Dubitatio.

At ex ijs, quæ dicta sunt, oritur non leuis difficultas. Nam si indicantia vitalia indicant sui conseruationem per similia: qua ratione igitur ex Gal. 12. meth. 5. diximus, id semper agendum esse, vt, quæ virium substantiæ portio defluit, hanc apponēdo sarciamus: quod alterascit in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicemus? Profectò reducere in debitam temperiem per contraria id, quod alteratum est, nemo dicet esse conseruare per similia.

Solutio.

Huic difficultati paucis respōdeo, (suppositis ijs, quæ habentur lib. 1. cap. 6. vbi disputatur, an similia semper similibus conseruentur,) indicantia vitalia quæcunque ea fuerint, aut prorsus esse secundum naturam, tum penes qualitatem, tum penes quantitatem, & sic semper indicant sui conseruationem per similia; aut esse præter naturam disposita, quia videlicet vel alterata sint, vel secundum quantitatem mutata. Si minora fuerint, & aliquid de eorum substantia deperditum sit, hoc absque dubio pariter per similia restaurari debet. At dum alterata sunt, expostulant quidem contraria: nam alia ratione fieri nequit, vt, quod alteratum est, in pristinum restituatur. Verùm contraria hęc similia etiam appellari possunt, quia sunt contraria extraneæ qualitati introductæ, sunt autem similia deperditæ. Adeo vt semper verum sit dicere res secundum naturam indicare similia sibi, siue vt conseruentur, siue vt ad naturalem statum reducantur.

Præcepta quædam communia ad vitales indicationes spectantia declarantur. Cap. V.

PRæter ea, quæ in genere de indicantium vitalium substantia, quantitate, & qualitate, quibus quid agendum specificum pro virium conseruatione determinatur, in antecedenti capite dicta sunt, tria adhuc summè necessaria adnotare, & considerare oportet, quorum vnum spectat ad vitalium præsidiorum qualitatem: alterum ad rectum agendorum vsum: & tertium denique ad indicationes, quæ præsertim à partibus ipsis desumuntur.

1. Notandũ de vitalium præsidiorum duplici qualitate.

Quatenus ad primum spectat, noto vitalium præsidiorum, & præsertim alimentorum qualitatem duplicem esse, accidentalem videlicet, & substantialẽ. Accidentalem voco eam, ratione cuius alimenta refrigerare, calefacere, humectare, exsiccare, attenuare, crassefacere, & huiusmodi præstare dicuntur. Substantialem verò eam appello, cuius respectu parùm, aut multùm, aut mediocriter nutrire possunt. Accidentalis exempli gratia meminit Hippocr. 1. aphor. 16. dum ait victum humidum febricitantibus omnibus conuenire. Substantialis mentionem facit 1. aphor. 4. dum scribit, victum tenuem, atque exquisitum in morbis longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosum esse. Hoc stante dico nos interim per qualitatem vitalium præsidiorum, quæcunque fuerint, intelligere qualitatem accidentalem, ratione cuius, vel indicantium qualitatem conseruare, vel in contrarium alterare possunt, prout opportunum videbitur. Propterea quod non est hic agendi locus de ægrotantium victu, & de indicantibus eiusdem qualitatem substantialem: sed solùm in vniuersali contemplamur indicantia vitalia respectu propriæ substantiæ, quantitatis, & qualitatis, quid videlicet indicent pro virium conseruatione.

2. Notãdum de recto agẽdorum vsu.

Noto secundò de recta horum vitalium præsidiorum administratione pauca admodum me dicturum esse. Cum etenim hæc respiciat præsidiorum materiam, quæ præsertim sunt alimenta, & potiones, & præterea aliæ res non naturales: horum omnium rectus vsus peculiari tractatu declaratur, neque pertinet ad vniuersalem medendi methodum. Quare, si opus erit, quædam solummodo contemplabimur, quæ videlicet ad præsentem tractationem facere videbuntur, reliquis in opportuniorem locum reiectis.

3. Notãdum indicationes à partib. præsertim desumptæ varias esse.

Denique adnotatione dignum est, indicationes, quæ desumuntur à rebus secundum naturam, & præsertim à partibus ipsis, partim simpliciter vitales esse, partim curatorias, quasdam verò videri ex vtrisque mistas. De ijs, quæ curatoriæ sunt, seu ad curatorias, reduci possunt, interim non est agendum: mistæ verò, & simpliciter vitales illæ sunt, quæ considerari debent. Hoc declaro exemplis. Curatorias indicationes eas voco, nunc de nominibus minimè solicitus, quæ etiamsi à partibus desumãtur, nihil tamen faciunt ad virium conseruationem, sed solùm ad rectum remediorum vsum; vt per exemplum sunt indicationes, quæ desumuntur à situ, à figura partis, & huiusmodi, sicuti declaratum fuit lib. 3. cap. 26. & 27. Quæ sanè indicationes cum nihil faciant ad virium conseruationem, sed ad curationem rectè peragendam referantur, ideo neque sunt vitales, neque de ijs interim debemus esse soliciti. Indicationem verò simpliciter vitalem appello illam, qua mediante alimenta indicantur à viribus, seu à partium substantia deperdita ad earundem custodiam, &

Indicatio simpliciter vitalis quæ.

restaura-

restaurationem. Nam tantùm abest, quòd vllo pacto affectus præter naturam concurrat ad indicanda alimenta, quòd potius ea prohibeat: siquidem cibus morbosam affectionem sua ratione nunquam iuuabit, vt ait Gal. 1. acutorum 44. imò potius ei nocuus erit, vel teste Hipp. 7. aph. 69. dicente, si quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus.

Indicationes mistæ q̃ dicantur.

At indicationes mistas ex curatorijs, & vitalibus (liceat mihi interim facilioris doctrinæ gratia ita loqui) dico esse eas, quæ ab affectu præter naturam desumptæ, & simul etiam à naturali partium temperie, edocent, quid agendum sit, tum pro affectus curatione, tum pro virium robore. Nam si ex Gal. mente, & ex ipsa rei veritate vires ob intemperiem partium, dum præsertim insignis est, vt paulò superius notatũ fuit, labefactantur: quod ex eo patet, quoniam, vt ait Gal. 12. meth. 5. ad robur virtutis conseruandum singulare præsidium est temperamenti custodia, ante omnia quidem trium principiorum, mox verò reliquarum partium, quæcunque in consortium affectus principia secum ex facili trahunt: ergo si contingat vnam, vel plures ex his partibus intemperie morbosa laborare, adeo vt & eius actiones lædantur, & vires imbecillæ efficiantur, tunc oritur ea, quam ex curatione, & virium conseruatione, seu in pristinum reductione mistam indicationem appello, quia vno, eodemque præsidio vtrique satisfit, quod videlicet contraria facultate præditum habeat vim reducendi partem intemperie laborantem in pristinum statum, vt lib. 3. cap. 15. ostensum fuit. Hinc Gal. 9. meth. cap. 14. curatorias indicationes à temperamento quoque desumendas esse docuit, atque ab eodem temperamento vitales etiam desumit, cum 9. meth. 13. quod de virium substantia alteratum est, corrigendum esse dixerit: & paulò inferius de virium custodia loquens ait, huius custodiæ partem esse, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Quemadmodum etenim in methodo tuendæ valetudinis, vt dictum est, omnia conspirant in virium perennitatem, ita non omnia in medendi methodo pro affectuum præternaturalium ablatione administrata viribus officiunt, cum quædam etiam interdum prosint.

Res exemplo manifestetur. Laboret hepar intemperie frigida, adeo vt eius actiones sensibiliter sint læsæ, & eiusdem virtus pariter labefactata. Certum est tam morbosam affectionem, quàm virtutem ipsam imbecillam indicare idem præsidium alterans per contrarium, sed diuersa ratione, hæc quidem vt roboretur, illa verò vt auferatur, quare mista, & cõfusa videtur esse huiusmodi indicatio, & si qua alia est huius generis, vt dum euacuatio nedum à plenitudine, sed etiam à viribus, quatenus ab ea sunt oppressæ, indicatur.

Respõdetur tacitæ obiectioni.

Neque tamen qui de nominibus altercantur, dicant, omnino esse præter rationem, vnum præsidium à duobus indicari, quando vnum ab vno tantùm indicetur. Quia quomodo id fieri possit, aliàs docuimus: vnum enim à pluribus, sed sub diuersa ratione indicari potest. Et rursus si dixerint, vires interdũ coindicare, aut contraindicare, idest contrario modo indicare quidem posse remedia, nusquam autem indicare; & similiter affectiones præter naturam aliquando coindicare ea, quæ vires roborant, minimè verò indicare: id illi libenter condonabimus, cum rei naturam, non ipsa nomina consideremus.

Nemini igitur mirum sit, si de vitalibus indicationibus locuturi, earundem quoque mentionem faciemus, quas alio loco, & præsertim lib. 3. cap. 15. ad curatorias reduximus, cuiusmodi præsertim sunt illæ, quæ à partium temperie desumuntur. Propterea quod ibi eas considerauimus, vt concurrunt ad

morbo-

morborum ablationem, ea ratione videlicet, vt alterantibus mensuram præscribere sciamus: & ea ratione insuper, quatenus partium temperies illa eadē remedia indicat, quæ à morbosa intemperie requiruntur, licet contrario modo id præstet: nunc verò hasce indicationes contemplamur, quatenus ad vires, vel validas conseruandas, vel imbecillas roborandas faciunt.

Nam non est inconueniens imo maximè rationi consentaneum, in methodo medendi, in qua nedum virium, sed morborum, & morbificarum causarū, ratio est habenda, & vbi frequenter indicationes ab istis desumptæ sibi inuicē contrariantur, vt sæpe, quæ vires roborant, morbum, & morbi causam adaugeant, & ex aduerso, quæ ad morbi, & eiusdem causæ ablationem administrantur, vires prosternant. At neque inconueniens est, vt nonnunquam quædam præsidia reperiantur, quæ vtrisque indicationibus satisfaciant, tum vires roborantia, tum simul etiam morbum, & morbi causam auferentia. Quod tamen est per accidens. Nam quæ vires roborant, ex accidenti nonnunquam ad morbi, & morbificæ causæ ablationem faciunt, vt aliàs dictum fuit ex Galeni mente 11. meth. cap. 9. Similiter quæ morbi, & causæ morbificæ gratia administrantur, quatenus talia sunt, ex accidenti viribus prodesse dicuntur.

Præsidia respiciētia morbū, & morbi causam sępe virib. nocēt, & è contra.

De spiritibus, seu de indicationibus vitalibus ab ijs desumptis.

Cap. VI.

INter indicantia vitalia nullum est, quod promptius alteretur, & cuius substantia facilius dissipetur, quam spiritus siue vitales, siue animales, qui quolibet momento tum secundum qualitatem, tum secundum quantitatem mutationem suscipiunt. Quod illis contingit ob sui naturam igneam, subtilem, ac facilè mobilem, vt iure ab Hippocrate impetum facientia vocati fuerint. In horum, sicuti in reliquorum indicantium vitalium debita tum qualitate, tum quantitate virium substantiam consistere, iam ex Galeni mente determinatum fuit: quare non minus ab istis, quàm ab alijs indicationes vitales sumuntur. De spiritibus tamen primo loco agere decreui, tanquam de ijs, qui facilius cęteris patiuntur, alterantur, & euacuantur, vt sæpe per eorum passionem vires debilitentur, & interdum vel animi deliquium, vel syncope etiam superueniat: licet postmodum ob sui citam corruptionem, & regenerationem, vires etiam si citò resoluuntur, citò etiam ad suum statum redeant.

Spirituū substantia mutabilis est.

Quòd si quis existimaret, spiritus siue vitales, siue animales inter indicantia vitalia perperam connumerari, cum non viuant. Respondendum erit, eos quidem non viuere, sed adeo ad vitam necessarios esse, vt ex eorum resolutione sæpe sequatur mors. Quare non sine ratione à Galeno inter vitalia indicantia, quatenus sunt ad vitæ actiones obeundas necessaria instrumenta, repositi fuerunt.

Cur spiritus etsi non viuant, vitalē indicationē præbeant.

Noto tamen id, quod de spiritibus, & præsertim vitalibus dicetur, intelligendum quoque esse de calore influenti. Sunt etenim vitales spiritus delatores caloris influentis per vniuersum corpus, & vtrique in eundem finem conspirant: atque illa omnia, quæ substantiam spirituum vel inaniunt, vel alterant, aut versa vice prohibent, ne eorundem substantia vacuetur, vel alteretur, eodem prorsus modo influenti calori vel nocua sunt, vel opem ferunt.

Calor influens easdē cū spiritibus indicationes p̄stare.

Indicationes itaque quæ à spiritibus sumuntur, sunt, vt, quod de eorum substantia,

Indicationes à ſpiritibus deſūptæ, quæ nā ſint.

ſtantia, vel inanitum, vel alteratum eſt, corrigatur. Amplius ſi ſecundum naturam ſe habuerint, prohibeantur ea, quæ ipſorum ſubſtantiam vacuare, altérareve poſſunt, vt conſeruentur. Quarum indicationum ſingulæ ſunt declarandæ.

Quid indicet ſpirituū ſubſtantia.

Quare, quod pertinet ad indicationem primo loco propoſitam, ſi de ſpirituum ſubſtantiæ conſeruatione ſermo ſit, certum eſt eam ex ſimilibus conſeruandam eſſe. Hinc Gal. 11. meth. 3. ſpiritus ex aere, ſiue per inſpirationem, ſiue per tranſpirationem attracto, & ex vapore, qui ex ſanguine attollitur, conſeruari, & reſtaurari docuit. Siquidem aer corpori humano non euentationis tantùm, ſed & alimoniæ ſpiritualis cauſa conducere videtur. Et præter aerem alia etiam, ſiue alimenta, ſiue potiones, ſiue medicamenta, & vt ſummatim dicam ea omnia, quæ ſubſtantia aerea, & tenui prædita ſpirituum ſubſtantiæ quàm ſimillima, de quibus interim non eſt agendum, eandem conſeruare, & reſtaurare poſſunt, intelligenda veniunt ſub communi ſpiritalis alimenti nomine.

Spiritus non nutriuntur, ſed refici dicuntur.

Notandum tamen ſpirituum ſubſtantiæ conſeruationem per ſimilia nō fieri mediante vera nutritione, ſicuti contingit in reliquis indicantibus vitalibus, quæ viuunt, & verè nutriuntur. Siquidem cum ipſi vita non fruantur, impropriè nutriri, & potius refici, ſeu reſtaurari dicuntur.

Quantùm agendum.

Porrò conſeruabitur hæc ſpirituum ſubſtantia, ſi, quod de ea, vel inanitum, vel alteratum eſt, corrigatur, ex quibus indicatur tum quale, tum quantum agendum. Quare ratione quantitatis ea occurrit indicatio, quòd ſpirituum portio, quæ defluxit, regeneranda eſt per ea, quæ ſimilia ſunt: ſimilium etenim debet eſſe ſemper additio: ita tamen, vt ſint in ea quantitate, quæ deperditam reſtaurare poſſint.

Quale agendum.

At reſpectu qualitatis, ſi hæc naturalis fuerit, per ſimilia pariter ſecundum qualitatem conſeruari debebit. Quòd ſi alterati ſint ſpiritus, per ea, quæ in contrarium alterent, in priſtinum reducendi erunt. Hoc tamen non ſufficit, niſi alterationi modus imponatur, & eouſque alterentur, quouſq; eorum temperies aut non excedat, aut non deficiat à propria, & naturali, quàm prius habebant. Ex quibus omnibus conſtituitur præſidium vitale ſpecificum, quo mediante, quod de ſpirituum ſubſtantia vel alteratum, vel inanitum eſt, corrigi poterit.

Quæ ſpirituum ſubſtā tiā alterare, & vacuare poſſint, enarrantur.

At ſi alteram indicationem contemplemur, quæ in eo conſiſtit, vt quantùm fieri poteſt, prohibeantur ea, quæ ſpirituum ſubſtantiam alterare, & vacuare poſſunt; hæc proponuntur à Gal. 12. meth. 5. Vt verò ad methodum aliquam reducantur, dico ea deſumenda eſſe à rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam. Ad res naturales reduco habitum corporis rarum, & ſpirituum tenuitatem: inter non naturales connumerantur aer, cibus, & potus, motus tum animi, tum corporis: ad res verò præter naturam pertinent dolor vehemens, vigiliæ, vitioſi humores, nimia euacuatio, & præſertim ſanguinis, ac principiorum intemperies. Hæc etenim omnia ſpiritus tum alterare, tum corrumpere poſſunt, quare, quantùm fieri poteſt vitanda ſunt, & arcenda, ſi non aderunt, aut ſi præſentia erunt, noxæ ab eis inductæ corrigendæ, vt vires tueamur.

De quibus omnibus ſingillatim qua ratione lædant, & ea corrigere, aut vitare debeamus dicendum eſt. Licet enim ad rem propoſitam, modum, quo ſingula lædere ſunt nata, diſquirere neceſſe non ſit, imo quòd lædant, ab ipſa euiden-

euidentia accipere, ac eo ad vires tuendas in morbis salubriter vti. Attamen vt facilius cognoscere possimus, quonam pacto ea corrigenda sint, paucis etiã modum, quo offendunt, & vires debilitant, explicare non erit omnino inutile.

1. Habitus corporis, & spirituũ tenuitas.

Quòd itaque habitus corporis rarus, & spirituum tenuitas sint causæ ob quas ijdem spiritus & alterari, & euacuari, & per consequens vires deficere possint, non est difficile cognitu. Nam quotiescunque spirituum, qui facultatum nostrum corpus regentium instrumenta sunt, substantia plus iustò extenuata fuerit, vtroque profectò modo imbecilla efficietur, & tanquam temperie alterata, & tanquam dissipabilis reddita. Non etenim tenuior esse potest, nisi quoque alterata sit, & cum tenuior est, eò promptius dissipatur. Eadem pariter ratione si totum corpus in immodicam raritudinem sit transmutatum, facilè spirituum substantia digeretur, quòd & ipsa tenuium partium sit, & corpus eam nõ contineat. Ergo nec rarefaciendum immodicè ægrotantis corpus est, & si nimis rarefactum fuerit, densandum, si spiritum retinere in ipso studes. Neque similiter extenuanda spirituum substantia præter eorum naturam, & si tenuior iustò fuerit, incrassanda est, ad virium robur, & tutelam.

Si secundo loco res non naturales contemplemur, harum maxima est habenda ratio, cum ijs necessariò vti debeamus, & eò maior cura est habenda earum, quarum materiam nec eligere, nec fugere nobis licet, vt præsertim est aer, cuius noxas fugere non possumus, sed, velimus nolimus, eum semper inspirare cogimur. Quare si rerum non naturalium materierum electio est in manu nostra, eas eligere debemus, quæ spirituum substantiam minimè alterare, & euacuare possunt, & fugere eas, quæ oppositum præstant. At si id fieri nequeat, saltem noxæ ab eis prouenientes corrigendæ erunt.

2. Aer.

Vnde in primis maxima cura habenda est aeris substantiæ, quam inspiramus, vt scilicet tum optima temperie sit, tum ab omni inquinamẽto purissima, nec aliquid ex metallis, aut caminis, aut barathris sibi admisceat: aut aliquid ex putredine leguminum, vel olerum, vel animalium, vel cuiuscunque rei cõtrahat: aut halitus ex stagnis, paludibus, vel fluuio recipiat. Amplius aer nimis calidus spiritus tum alterare, tum dissoluere potest. Hæc etenim omnia consideranda sunt, & arcenda, si fieri potest, siquidem maximam vim habet aer, ex quo spiritus continuò regenerantur, ad eorundem tum alterationem, tum corruptionem efficiendam. Et quia aeris materiæ electio non est in nostra manu, ideo si nimia caliditate spiritus alteret, & dissipet, aut quacunque alia ratione lædat, eius noxas ea, qua fieri ratione potest, corrigere tentandum erit illis, quæ aerem in contrarium alterare, & mutare possint. Atque quod dictum est de aere iustò calidiori, qui spiritus tum alterare, tum dissipare potest, idem intelligi debet de anni tempore, regione, ac cœli statu.

3. Cibus, & potus.

De cibo, & potu res clara est, & omnibus nota, quòd videlicet nedum ad spiritus vel alterandos, vel regenerandos, aut in propria tum qualitate, tum quantitate conseruandos, sed etiam ad aliorum indicantium vitalium robur tuendum primas teneant alimenta, & potiones, vtpote quæ præsertim ad vires conseruandas, & restaurandas assumuntur, dummodo tamen eius conditionis fuerint, quæ necessariò requiritur, & rectè, ac opportunè administrentur. Quare ipsorum quoque ciborum, ac potionum non leuis habenda est cura, vt videlicet tum quantitate modici, tum qualitate exacti, exquisitique sint. Et quemadmodum ciborum, ac potionum nimia copia, aut prauitas nocua est, ita quoque inedia est causa, quòd spiritus deficiant: timenda igitur nimia reple-

tio, & ciborum prauorum vsus, eorundemque parcitas, aut omnimoda inedia, quoniam hæc omnia spiritus alterare: nutrimenti verò defectus, aut vitiositas etiam euacuare, & dissoluere potest.

4. Animi, et corporis motus vehemens.

Quantùm verò possit animi, & corporis motus vehemens ad spirituum alterationem, & dissipationem, & per consequens ad virium dissolutionem, ex eo notum est, quòd nonnulli præ ingenti gaudio, aut timore subito, seu etiam dolore mortui fuere, aut extinctis, & suffocatis, aut omnino dissolutis spiritibus. Tristitia pariter, & anxietates, & ira, & curæ ingentes spiritus alterant, resoluunt, & infirmos reddunt. Vehementes item corporis motus spiritus ipsos dissoluunt, vt contingit delirantibus. In vtroq; igitur motuum genere si modum excedant, manifestè videntur ægrotantes tum animo linqui, tum viribus resolui, nonnulli verò (vt dictum est) etiam mori scilicet aliàs spiritu ipso deperdito, aliàs alterato, aliquando ex parte digesto, non raro hæc vtraq; perpesso. His itaque omnibus prospiciat omni conatu, oportet, qui prohibere cupit, ne spiritus alterentur, aut vacuentur, & vires deficiant.

5. Res præter naturā.

Quatenus autem pertinet ad res præter naturam: hæ sunt vel morbi, vel morbificæ causæ, vel symptomata. Inter morbos occurrit principiorum intemperies, quam si præsens non sit, sed timeatur, prohibere debet Medicus omni conatu, ne fiat; si verò aderit, hoc pertinet ad indicans curatorium, de quo lib. 3. actum fuit. Causæ morbificæ sunt vitiosi humores, quibus qua ratione occurrendum sit, docuimus lib. 4. Reliqua sunt symptomata, vt vigiliæ, dolor vehemens, nimia euacuatio, & præsertim sanguinis, de quibus sequenti, eoque vltimo libro pertractabimus. Hæc itaque illa sunt, & his similia, quæ alterare, & dissipare spiritus possunt, & à quibus omnino, si possibile est, cauere debemus, dum ægrotantium viribus prospicimus: sin minus saltem eorum noxæ corrigendæ erunt.

De recto præsidiorum Vitalium spiritus respicientium Vsu.

Cap. VII.

Dosis eorum præsidiorū, quæ spiritus respiciunt, à quibus indicetur.

QVantitas seu dosis eorum, quæ spiritus vel conseruant, vel restaurant, maior, aut minor esse debet, ratione maioris, aut minoris quantitatis naturalis spirituum conseruandorum: aut ratione maioris, vel minoris eorundem defectus. Copiosiores etenim spiritus maiorem quantitatem eorum, quæ illos conseruent requirunt, pauciores verò minorem. Amplius quò magis, aut minus deficiunt, eò magis augere, aut minuere præsidiorum spiritus regenerantium dosim opus est, vt tota ea quantitas, quæ deficit reparetur: habito tamen quoque respectu actiuitatis siue alimenti, siue medicamenti. Nam quæ magnam vim habent regenerandi spiritus, in minori dosi, quæ paruam in maiori adhiberi debent, ita vt ex vtrisque, dosi videlicet, & materiæ præsidij actiuitate vitale præsidium æquale efficiatur spiritibus, vel conseruandis, vel regenerandis.

Modus vtendi multiplex

Vtendi modus varius est, quoniam indicationibus à spiritibus desumptis satisfacere possumus per alimenta, per potiones, per aerem, cum etiam alterando, per odores, per medicamenta tum intus adhibita, tum exterius administrata, quorum variæ quoque esse possunt formulæ. His itaque omnibus, aut quibusdam, prout opus esse cognouerit prudens medicus, viribus, quatenus

tenus essentiam habent in spiritibus, prospicere poterit. Nam etiamsi omnibus nunc dictis, &, quod de spirituum substantia inanitum, alteratumve est, corrigere, &, quæ eorum substantiam alterare, vacuareve possunt, prohibere liceat: horum tamen quædam vni, quædam alteri indicationi facilius satisfacient. Hinc exempli gratia per alimenta præsertim, & potiones, quæ citò spiritus restaurent, si quicquam de eorum substantia deperditum, & inanitum fuerit, resarcire: per aerem, odores, & medicamenta alterantia eos, si opus erit, in contrarium alterare: per remedia cardiaca vocata tam interna, quàm externa spiritibus alteratis, aut inanitis à mala morbi qualitate facilius occurrere poterimus.

Vbi agendum desumitur, seu à spirituum subsistentia, seu à parte affecta, quæ ratione consensus spiritibus ipsis officiat. A spirituum quidem subsistentia, non quia ipsi alicubi subsistant, cum moueantur, & impetum continuò faciant, sed ratione partis, à qua generantur. Quocirca respectu spirituum vitalium præsidia regioni cordis admouenda, aut interius assumendis cardiaca admiscenda erunt, vt præsidiorum vitalium virtus facilius ad cor deferatur. Similiter ratione animalium spirituum, odores naribus admoti conueniunt, atque internis remedijs cephalica, & ea, quæ cerebrum petunt, admisceri debebunt. Quòd si ratione consensus alicuius partis lædantur spiritus, illi parti prospiciendum erit, & remedia, quæ eam respiciant, & eius quoque regioni admouenda, vt per exemplum sæpe contingit in superioris ventriculi oris affectionibus, & in mulieribus, dum vterinis passionibus laborant: non tamen neglectis alijs indicationibus à spiritibus desumptis.

Vbi agendũ à quo indicetur.

Denique quocunque tempore opus erit, præsidia iam dicta sunt adhibenda, nullo alicuius alterius habito respectu. Tantam enim vim habet indicatio à viribus desumpta, vt sit omnium principalissima, & cæteras alias superet, adeo vt ipsis deficientibus necessariò statim occurrere debeamus, cum nullum reperiatur prohibens ita potens, quod ab hoc munere retrahere valeat.

Quocunque tempore vitalia præsidia conueniunt.

De Carnoso genere quas indicationes Vitales præbeat.
Cap. VIII.

INter partes, quæ virium substantiam complent, carnosas quoque enumerauimus. Interim autem per carnosam speciem non intelligimus solùm carnem musculosam, quæ verè, & propriè caro ab omnibus appellatur, sed præter hanc comprehendimus etiam viscerum substantiam, quam græcè parenchyma dicunt, & tertio propriam cuiusque partis substantiam, quæ circa tum fibrosas, tum membranosas solidorum corporum partes hærere solet, quæque villos earundem partium adimplet, & infarcit. His etenim tribus modis caro accipi potest, vt colligitur ex Gal. 10. meth. 11. & 2. de temp. 3. Nos itaque in præsenti per carnem intelligimus in communi quancunque eius speciem, quæ cuique particulæ est sua, ad differentiam partium, quæ verè dicuntur solidæ, quæque ex semine genitali conditæ sunt, vt ait Gal. 10. meth. cap. 1.

De hac tamen carnosa specie, quid videlicet indicet pro virium tutela, pauca dicenda sunt, cum cæterorum vitalium indicantium respectu indicationes, quæ ab ea desumuntur, minimè omnium robori virium conferant. Quod omnibus notum esse poterit considerantibus quantò maiorem læsionem vires pa-

Carnosũ genus paruam vim habet ĩ indicãdo pro virium robore.

tiantur ex aliorum indicantium vitalium, quàm ex ipsius carnosi generis noxa. Atque eò magis id patet, quia ex Gal. sententia 2. aph. 28. corporis extenuatio præter rationem, idest absque causa manifesta, est signum, & effectus imbecillitatis virium, non autem causa. Non tamen despiciendæ sunt indicationes à carnosa specie desumptæ, quia cum ex hac quoque virium substantia constet, & omnibus, quibus fieri potest, modis, viribus prospiciendum sit, huius etiam ratio habenda, ijsdem prorsus propositis indicationibus, quæ alijs communes sunt, vt scilicet, quod de eius substantia inanitum, alteratumve est, corrigatur, & vt prohibeantur ea, quæ eiusdem substantiam alterare, vacuareve possunt.

Quid indicet carnosa substantia.

Carnosæ itaque speciei substantia, sicuti reliquorum vitalium indicantium, similia expostulat. Ideo Gal. 11. meth. 3. dicebat, carnoso generi suam custodiam moliri deberi per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac solidorum corporum est. Ad quod fortasse respiciens Hipp. 2. aphor. 11. loquens de ijs, qui refectione indigent, scriptum reliquit, facilius esse impleri potu, quàm cibo: vbi per potum non intelligit vinum, vel aquam, sed liquida, & humida alimenta, quæ facilius nutriunt, & in carnem conuertuntur. Quòd enim humidum alimentum, præcipuè cum fuerit natura calidum, vt ait Gal. in commento facilius nutriat, manifestum ijs est, qui norunt, quomodo & coctio, & distributio fiant.

Quantùm agendum.

Quantitas æqualis sit ei portioni, quæ continuò defluit, atque cum carnosæ substantiæ magnitudo varietur, etiamsi præterea non augeatur animans, ergo laborandum, vt ea, qua fieri potest, ratione, quod de carnosa substantia inanitum est, similium additione corrigatur.

Quale agendum.

Qualitas, si naturalis sit, seruanda per similia alimenta, si præter naturam fuerit, in contrarium alteranda, nedum per alimenta contraria qualitate prædita, sed per alia quoque, ac, si opus fuerit, etiam per medicamenta.

Quænã sint, quæ carnosũ genus alterare, & euacuare possunt.

Quatenus verò pertinet ad prohibenda ea, quæ carnosum genus alterare, vacuareve possunt, hæc multa sunt, quæ aut omnino vitare, aut saltem moderari debemus: proponuntur autem à Gal. 2. aphor. 28. Quæ tamen nedum carnosam speciem alterare, euacuareve solent, sed etiam reliqua vitalia indicantia. Referuntur hæc omnia, siue ad passi dispositionem, siue ad agentis efficaciam.

Ex parte patientis.

Respectu passi habilitatis occurrit ætas puerilis, in qua propter humiditatem, & caliditatem multùm defluunt, atque extenuantur corpora: in ætate verò decrepita tabescũt etiam, non quidẽ ob substantiæ effluuium, sed propter potentiæ imbecillitatem. His addo habitum corporis mollem, & rarum, necnon temperamentum biliosum: facilè etenim huiusmodi corpora patiuntur, & extenuantur. Quare in his præsertim vereri, atque quantùm fieri potest, ad virium robur tutandum, vitare, seu corrigere, moderarive saltem debemus illa, quæ extenuandi facultatem habent.

Ex parte agentis.

Quæ verò respectu agentis efficaciæ habent vim extenuandi corpora, sunt anni tempora, regiones, & constitutiones calidæ, & siccæ: insuper sensibiles euacuationes maximè omnium corpora extenuant. Neminem enim ignorare arbitror (inquit Galenus) ex profluuio sanguinis multo, atque sudoribus plurimis, & vrina superfluente, vel vomitu, vel alui excretione citò corpus extenuari. Accedit autem dictis causis, & inedia, vigiliæque, & curæ mordaces, necnon corporis motus, qui tamen in febricitantibus rarò accidit, cum magna ex parte iaceant quiescentes, nisi contingat moueri aliquos, qui in itinere

cœperint febricitare, vel ex necessitate, aut ex delirio, siue iugiter exurgant, vel iacentes quidem continuò aliquam partem corporis commoueant, aut etiam delira loquantur. Hæc igitur omnia ægrotos reddunt macilentos, sicuti & contraria his corpus in maiori mole conseruant.

Agendorum occasio.

De recto autem eorum præsidiorum vsu, quæ ad carnosum genus referuntur, cum, vt notatum fuit, hic respiciat materias præsidiorum, nimirum alimenta ipsa, & potiones, de quibus non est hic agendi locus, interim solùm noto circa agendorum occasionem, non quocunque tempore licere id, quod de carnosa substantia inanitum est, corrigere, & reficere. Propterea quod cum copiosiora alimenta id præsertim præstare possint, & hæc à morbo prohibeantur, ergo nisi tanta adsit virium imbecillitas, quæ valdè vrgeat, & cui per alimenta etiam reclamante morbo occurrere opus sit, neglecta hac indicatione à corporis extenuatione desumpta, quæ potius locum habet debellato iam morbo, quàm dum adhuc præsens est, & ad eam medicinæ partem spectat, quam resumptiuam vocant, quæque est salubris partis pars, ex Gal. lib. de subfiguratione empirica, cap. 4. neglecta, inquam, hac indicatione, ea victus ratio instituenda erit, quæ morbo conueniens iudicabitur.

De indicationibus Vitalibus, quas solidæ partes præscribunt.
Cap. IX.

Solidorum quoque corporum, in quibus vtique, vel maximè consistere virium substantia videtur, non parua habenda prouidentia est, vt, videlicet, quod de earum substantia inanitum, alteratumve est, corrigatur, & prohibeantur ea, quæ illorum substantiam alterare, vacuareve possunt.

Solidarum partium substātia quid indicet.

Substantia itaque solidarum partium, vt consuetur similia expostulat, vnde cum solida sit, solido quoque nutrimento opus habet, quo tamen in morbis raro vtimur; solùm etenim in diuturnis locum habere potest, quando in reliquis ea alimenta sint ex vsu, quæ faciliùs concoquantur, & quæ calorem innatum fatigare, & à materiæ morbificæ concoctione eum distrahere nequeant.

Earundem quantitas q̄ expostulet.

De quantitate cum Gal. 12. meth. cap. 5. ita statuo, solidorum corporum substantiam certa esse quantitate proculdubio desiderare, eòque nutrimenta mortale genus tueri. Cęterùm cum quantitas solidarum partium par semper maneat, in ijs quidem, qui adhuc augentur numero duntaxat, in ijs verò qui absoluti iam sunt etiam magnitudine: neque harum substantia dispergatur, nisi in longissimis morbis, animante ex frequenti atrophia, idest nutriendi defectu extenuato: præterea in ijs febribus acutis, quæ corpus liquant. Ideo si sermo sit de ea nutrientis præsidij quantitate, quæ parem nutriendarum partium magnitudinem conseruet, indicatur præsidium nutriens plurimum, vel paucum, seu quod habeat maiorem, aut minorem vim partium magnitudinem conseruandi, prout solidæ partes sunt maioris, aut minoris magnitudinis. At si loquamur de restauranda ea substantiæ solidæ portione, quæ in longis morbis, aut in acutis febribus, quæ corpus colliquant, deficere solet; absque dubio si id fieri posset, indicaretur æquale præsidium renutriens, quod haberet vim addendi quicquid solidarum partium deficit. Quod tamen contemplari, qua ratione fiat, est alterius negotij.

Qualitas qd indicet.

Insuper solidorum corporum temperies aut per similia cōseruanda, si fuerit

secun-

secundum naturæ leges, aut per contraria alteranda, si mutata erit. Quoniam ad virtutis robur conseruandum singulare præsidium est tẽperamenti custodia. Qua ratione autem, & methodo id præstare liceat, abũdè lib. 3. declaratũ fuit. Est enim indicatio hæc, quæ docet alteratam partium temperiem in pristinum restituere, partim curatoria, & partim vitalis, vt supra cap. 4. notatum fuit.

Naturales, siue adscititiæ intemperies non sũt corrigẽdæ ægrotationis tempore.

Illud tamen animaduertere oportet, dum dicimus solidarũ partium intemperiem, (id quod de carnosis etiam partibus intelligi debet) per contraria alterandam esse, vt ad pristinum statum reducatur pro virium conseruatione, hoc intelligendum esse de intemperie ea, quæ iam morbosa est, & lædit operationes, ac vires labefactat: non autem de ea intemperie, quæ licet vitiosa sit, est tamen intra sanitatis limites, & est illa, quam ægrotans habebat, dum morbo laborare cœpit, siue ea naturalis, siue adscititia fuerit, quoniam hæc in ægrotantibus semper est seruanda, quousque ægrotauerit, vt docuit Gal. 11. meth. cap. 3. sanitatis autem tempore corrigi poterit, si opus erit, quod pertinet ad methodum tuendæ valetudinis.

Difficilè dissipatur solidarũ partiũ substantia.

Cauendum esse ab immodicè alterantibus solidas partes.

Altera indicatio est, vt prohibeantur ea, quæ solidarum partium substantiã alterare, vacuareve possunt. Cum autem eorundem substantia multò difficilius dispergatur, quam spirituosa, & carnosa, atque id non eueniat nisi in febribus acutis, quæ corpus liquant, aut in longissimis morbis corpore ex nutriẽdi defectu extenuato, de quibus proprijs tractatibus agitur. Ideo interim solùm noto ad virium robur conseruandũ omnino vitanda esse ea, quæ partium substantiam adeo alterare possunt, vt vires labem patiantur. Id quod contingit, tum in immoderatis, & præcipuè sanguinis euacuationibus, sicuti docuit Gal. 9. meth. cap. 10. vt supra lib. 4. cap. 6. declarauimus: tum in præsidiorum immodicè alterantium vsu, & per consequens partium temperiem corrumpentium, quibus nisi modum imponere sciuerit medicus, vt etiam notatum fuit lib. 3. cap. 15. necessariò partium, & totius etiam temperamentum adeo alterabitur, quòd corruptioni propinquum reddetur, & subsequetur virium imbecillitas. Atque omnino cauere debemus, ne inter cęterarum partium solidas partes (quod etiam de carnosis partibus intelligendum est) eæ præsertim, quæ ad principalia membra pertinent, tantam alterationem suscipiant, vt vires inde detrimentum patiantur. Multùm enim interest pro virium robore conseruando principalium membrorum, & eis inseruientium, vel illa in consensum facilè trahentium temperiem seruare, quoniam hoc erit seruare facultates principes, & vitam ipsam. Ad quod respiciens Gal. 12. meth. cap. 5. dicebat ad virtutis robur conseruandum singulare præsidiũ esse temperamẽti custodiam, ante omnia quidem trium principiorum, mox verò reliquarum partium, quæcunque in consortium affectus principia secum ex facili trahunt: eiusmodi est ventriculi os, quod propter exquisitum sensum, tum alia symptomata non pauca, tum verò syncopas accersit.

De indicationibus vitalibus, quæ à partibus, prout organicæ sunt, desumuntur. Cap. X.

INdicationes vitales, quæ desumuntur à partibus, quatenus organicæ sunt, diuersæ omnino existunt ab illis, de quibus hucusque facta fuit mentio. Nam etiamsi eædem vigere videantur indicationes, vt videlicet quod organica-

ganicarum partium substantia alteratum, inanitumve est, corrigatur, & vt prohibeantur ea, quæ earum substantiam alterare, vacuareve possunt, attamen id illis contingit non quatenus organicæ sunt, sed quatenus constant ex partibus solidis, carnosis, & spirituosis. Quocirca omissis indicationibus istis, vtpotè abundè declaratis, aliæ considerandæ sunt, quæ partium organicarum vires conseruare docent.

Indicationes à partib. organicis captæ multæ sunt.

Porrò multæ occurrunt indicationes à partibus organicis desumptæ. Nam ab earundem figura, situ, sensu, proportione, dignitate, actione, sicuti (proportione excepta) docuit Gal. 7. meth. vlt. De ijs, quæ desumuntur à figura, & situ, cum nihil faciant ad virium conseruationem, ne verbum quidem addere licet, quando hæ ad curationem rectè peragendam tantummodo referantur, vt lib. 3. ostensum fuit. Quare solùm de sensu, proportione, & dignitate, seu actione agendum.

Quid indicet sẽsus exquisitus.

Sensus itaque exquisitus partis nõ solum facit ad remediorum materiæ electionem, sicuti lib. 3. cap 27. adnotauimus, sed etiam ad virium conseruationem. Nam cum inter cætera symptomata maximè omnium dolor vires debilitet, si vehemens fuerit, & talis sit, vel ratione causæ dolorem efficientis, quæ sit magnæ actiuitatis, vel ratione partis affectæ exquisito sensu tactus præditæ, quia Gal. teste 2. de loc. aff. 7. quò particula acutiori sensu est prædita, eò dolore vehementiori cruciatur, quò verò sensum habet hebetiorem, eò minus dolet: ergo ad virium conseruationem debet diligens medicus ea omnia vitare, quæ dolorem excitare, & per consequens vires prosternere possint, præsertim in ijs, qui acutiori sensu tactus sunt præditi. Sunt enim nõnulli exempli gratia, qui os ventriculi superius adeo exquisito sensu tactus præditum habeant, vt neque acre acetum, neque sinapi, neque aliud huiusmodi ferant; alij verò contra ipsum penè insensibile habent. Vnde in prioribus nedum iam dicta, & id genus alia vitanda omnino sunt, sed cauendum etiam ab euacuatione per vomitum, & præsertim humorum acriorum, & mordacium. Quare ab exquisito sensu partis ea sumitur indicatio pro virium cõseruatione, vt euitentur illa, quæ parti obnoxia esse possunt, & vt sensus eiusdem parumper piger fiat.

Quæ seruãt partium proportionẽ methodo nõ cognoscuntur.

De partis proportione nihil dicendum est, quoniam hoc est extra methodum, & sola experientia cognitum, quibusdam videlicet medicamentis insitum esse, vt aliquod membrum ex omnibus iuuent. Vnde malè affectum iecur eupatorium herba plerunque valde confirmauit, & vnguentaria glans lieni pluries contulit, & saxifragia, atque betonica renibus multoties profuit; sunt & aliæ, quæ membris alijs conueniant medicinæ experientia comprobatæ lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 4. & 5. simpl. 24. Hinc etiam pulmonem vulpis pulmonum, intestina luporum intestinorum proportionem seruare dicunt. Quæ sanè medicamenta, & sexcenta alia similia, cum partium proportionem seruare credantur, ideo nedum ad morborum easdem partes infestantium curationem faciunt, sed etiam ad partium robur conseruandum vtilia existimantur.

Quid partium dignitas, seu actio indicet.

At partis dignitatem, & actionem, si hæc toti corpori communis fuerit, summopere considerandam esse voluit Galen. tum 11. meth. cap. 15. tum 13. meth. pariter cap. 15. tum etiam 2. ad Glauc. 2. Ab hac etenim sumitur indicatio vitalis eiusdem robur seruandi: cuius quidem indicationis lib. 4. cap. 52. mentio etiam facta fuit. Cum etenim pleraque ex remedijs morbum quidem

finiant,

finiant, sed natiuas membrorum virtutes offendant, si viscus illud alicuius virtutis omnibus partibus communicatæ sit origo, vt sunt principalia membra, aut ipsius opus toti corpori vtile sit, vt ventriculi, & lienis actio, tunc offensio horum membrorum ad totum corpus pertinebit. Hinc oritur vitalis indicatio similium viscerum robur per ea, quæ adstringant, seruandi, vt eorum virtus incolumis permaneat, nec offensio toti corpori communicetur. Quare quæ medicamenta harum partium robur laxare possunt, omnino, si fieri potest, vitanda, sin minus, quia eis opus sit, ad humores in illas partes iam confluxos discutiendos, & insensibiliter euacuandos, relaxantibus, & discutientibus adstringentia semper miscenda erunt, vt earum robur minimè dissoluatur, sed illæsum conseruetur.

De indicationibus à calido innato desumptis.

Cap. XI.

Calidi innati præstãtia in indicãdo.

INter cætera indicantia vitalia nullum sanè meo iudicio principaliores, & ad virium conseruationem magis necessarias indicationes suggerit, quam calidum innatum. Siquidem referente Gal. 4. aphor. 37. existimauit Hippocr. nihil aliud esse hoc calidum innatum, quàm naturam, quæ solida corpora regit: & millies ab vtrisque medicinæ principibus Hippocr. & Gal. natura nostra vocatur. Quinimo tanti æstimauit Galen. calorem hunc, vt primo aphor. 15. dixerit. Neque enim aliud quicquam animal ab initio efformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit præterquam iste calor innatus. Quod tamen præstat non tanquam causa principalis, sed tanquam concausa, quoniam hoc veluti instrumento anima vtitur ad omnes suas operationes obeundas; & ideo malorum omnium expulsor, optimusque medicus censeri debet. In quem sensum Hippocr. 6. epid. 5. tex. 1. morborum naturas medicas vocauit. Atque Gal. 2. ad Glauc. 2. calorem natiuum (vt nonnulli arbitrantur philosophi, & medici summi) virtutum substantiam fortasse existere dixit, & si non hoc, saltem primum, & maximè necessarium ipsarum instrumentum. Quocirca nulli rei magis intentus debet esse medicus, quàm vt calidum hoc totis viribus illæsum, & incolume seruet, quia id seruare est seruare vires, & vitam ipsam.

Indicationes autem, quæ à calido innato desumuntur, sunt illæ eædem, de quibus sæpius diximus, vt videlicet, quod de eius substantia inanitum, alteratumve est, corrigatur, & vt prohibeantur ea, quæ eiusdem substantiam alterare, vacuareve possunt.

Substantia calidi innati qd requirat pro sui conseruatione.

Substantiam caloris innati in humido consistere, quia ex humido est nostra generatio, clarè docuit Gal. 1. aph. 14. Id quod ante ipsum sensit Aristot. lib. de respiratione dum dixit vitam esse mansionem calidi in humido: eousque etenim viuimus, quousque calor humido tanquam pabulo nutritur, & conseruatur. Vnde medicus hoc præ oculis præsertim habere debet, vt vitale humidum conseruet, quia hoc est conseruare substantiam caloris innati, & vires, & vitam ipsam, quod omnibus commune existit. Nam ex Gal. 6. de san. tuen. 3. seruare humidas animalis particulas est quid commune omni temperamento, si modò contraria ratio omnium animantium corpora citius ad senectutẽ perducit, ipsaque est, cuius culpa omne gentium corpus mortale fit. Quippe si fieri posset,

poſſet, vt temperamentum corporis humidum perpetuò ſeruaretur, verus ſophiſtæ ſermo eſſet, qui ſibi auſcultantem promiſit immortalem fore, ſed quoniam naturæ progreſſum, qui eſt ad ſiccitatem, effugere corpori non licet, idcirco ſeneſcere nobis, corrumpique neceſſe eſt. Erit tamen id maximè diuturnum, quicquid minimè ſiccatum. Indicat igitur ſubſtantia caloris innati pro ſui conſeruatione humidum ſibi ſimile, cum eius ratio, vt dictum fuit, in humido conſiſtat. At non omne humidum indicatur, ſed id, quod cæteris facilius in nutriendi ſubſtantiam conuerti poſſit, minimèq; excrementoſum ſit. Nam humida victus ratio, niſi talis ſit, qualis pro vniuſcuiuſque vitalis humiditatis conſeruatione requiritur, excrementa, & ſuccorũ abundantiam parit: vt difficile admodũ ſit ita mediocritatem ſeruare, ne, ſi in humiditate excedat, vel quia excrementitia ſit, vel copioſior, quàm oporteat, morbi ſuboriãtur, ſin deficiat, ſenectus maturetur. Nonſolum itaque in methodo tuendæ valetudinis omni conatu ſubſtantia calidi innati per ſimilia conſeruanda, ſed eadem quoque indicatio viget in medendi methodo, in qua, non ſecus ac in illa, vires, & vitam tueri oportet.

Quid indicet calidi innati quantitas.

Quòd ſi ad caloris innati ſubſtantiam conſeruandam humidum ſubſtantificum requiritur, hoc debita quantitate adhiberi debet, quæ indicabitur ab ea humidæ ſubſtantiæ portione, quæ continuò effluit, vt videlicet, quod de eius ſubſtantia inanitur, aut inanitum eſt, corrigatur. Quibus itaque plurimum huius ſubſtantiæ defluit, plurimo etiam egent humido, quod deperditum reparare poſſit, alioqui innati calidi ſubſtantia conſumeretur. Et id cum ratione. Nam vbi id, quod defluit, plurimum eſt, quod verò influit paucum, hic neceſſe eſt ſubiectam corrumpi innati calidi ſubſtantiam. Quare tantum humidi addendum, quantum illud eſt, quod continuò conſumitur: ſi parum diſſipatur, parum addere licet, ſi plurimum diſpergitur, plurimo opus habemus. Qua de cauſa Hipp. 1. aphor. 14. dicebat, qui creſcunt, cum habeant plurimum calidi innati, plurimo egere alimento, alioquin corpus eorum cõſumeretur, cum plurimum ſit, quod ab eorum corpore effluit, (quamvis etiam plurimo alimento opus habeant, quia augẽtur,) ſenes verò paucis fomitibus egere dixit, quia eis parum calidi innati ineſt, & ideo paucum eſt, quod abſumitur: licet deinde paucis etiam alimentis indigeant ob aliam cauſam; quia nimirum debilem calorem habent, adeo vt à multis extinguatur.

Quid requirat calidi innati qualitas.

Et quemadmodum quod de calidi innati ſubſtantia inanitum eſt, deperdito æqualem portionẽ addentes corrigimus, ita ſi eiuſdem ſubſtantia penes qualitatem ſecundum naturam ſe habuerit, per ei ſimilem conſeruanda erit; ſi verò alterata fuerit, in priſtinum per ea, quæ alterent, & qualitatem ſimilem deperditæ inducant, eam reſtituere oportebit. Quocirca cum diſſipabilis, & alterabilis ſit innati calidi ſubſtantia, & ideo continuò diſſipetur, & alteretur, tùm ab internis, tùm ab externis cauſis, quod diſſipatur, quantum, qualeq; ſit, artificioſa ſaltem coniectura cognoſcere, ac illicò tale, ac tantum viciſſim reponere debemus. Nam hac ratione ſatisfaciemus illi indicationi, vt, quod de innati calidi ſubſtantia inanitum, alteratumve eſt, corrigatur.

Principaliſſima indicatio eſt, q̃ docet ꝓhibere ea, q̃ innatũ calidũ euacuant, & alterant.

Verùm non minus viget altera indicatio, vt videlicet prohibeantur ea, quæ innatum calidum euacuare, alterareve poſſunt. Quinimo ſi quis exiſtimaret indicationem hanc eſſe priori principaliorem, non præter rationem ſentiret. Nam etiamſi ex neceſſitate materiæ ſemper alteretur, & diſſipetur calidum innatum, & omnino impoſſibile ſit huic irreparabili ruinæ occurrere; vnde oritur

ea indicatio hæc caloris detrimenta corrigendi. Attamen ex altera parte, cum multa contingant, quę innato calido nocua sunt, eius substantiam tum vacuantia, tum alterantia, quę prohiberi possunt, tutius multò existimo esse ea vitare, quàm deinde corrigere, quod ab ijs de calidi innati substantia inanitum, ac alteratum est, quia omnino impossibile est innati calidi noxas prorsus resarcire, & eius substantiæ deperditæ similem omnino addere. Quinimò interdum tale patitur detrimentum, vt nulla ratione ei occurrere possibile sit: vnde melius est eiusdem substantiam omni conatu illæsam tueri. Quænam autem sint isthæc, quæ calidum hoc euacuare, & alterare possunt, & qua ratione id præstent, declarare oportet, vt ea euitare possimus, atque calidi innati substantiam eo, quo fieri potest, modo incolumem seruemus. Hæc multa quidem sunt, sed ad ea, quæ huius ingeniti caloris substantiam inaniunt, reduco solùm, vtpote cæteris efficaciora, euacuationes immodicas, inediam, seu ciborum paucitatẽ, & quæ nimis calfaciunt, & siccant. Inter ea verò, quæ alterant, occurrunt præsertim, quæ supra modum refrigerant.

Calidũ innatũ valdè lædũt euacuationes immodicæ.

Immodicas euacuationes, quæcunque fuerint, vires labefactare omnibus notum est, adeo vt interdum nõnulli ob immoderatas euacuationes toto vitæ tempore decolorati, & malo corporis habitu vixerint, alij in morbos inciderint exitiales, quemadmodum libro antecedenti cap. 6. adnotauimus ex Gal. mente 9. meth 10. Quod sanè contingit non tantùm ob spirituum euacuationem, quæ parùm officit, isti enim citò regenerantur, sed præcipuè quia totum corpus frigidius reddunt, & præsertim si fuerint sanguinis euacuationes: amplius quia corpora nimis exsiccant, qua ratione humidum quoque innati caloris pabulum euacuare, & consumere dicuntur. Vt propterea immodicæ euacuationes caloris congeniti substantiam nedum euacuent, sed etiam alterent.

Inedia, & ciborũ paucitas cur calido innato noceant.

Cauendum insuper ab inedia, aut intempestiua ciborum paucitate, quia hęc etiam vires imminuit, sed per accidens. Nam quæ exiguè nutriunt, per se vires non imminuunt, sed solùm quatenus eas, quòd satis sit, non roborant, vt Gal. docuit 3. acutorum tex. 17. Ergo si ciborum paucitas, aut eorum, qui parùm nutriunt, vsus vires summè imbecillitat, tantò magis id præstabit inedia. Quapropter cum calor semper agat in humidum, non suppeditato alimento, id absumet, & ita innati calidi substantiam vacuari necessum erit: si ea in morbis non seruabitur victus ratio, quæ quidem morbo conueniens sit, sed talis tamen, sub qua vires non deficiant, & innatum calidum absumatur, cui indicationi præcipuè incumbere debet medicus, non neglecta ea, quæ à morbo desumitur.

Vitãda esse, q̃ nimis calfaciunt, & siccant.

Quòd autem quæ nimis calfaciunt, & siccant, calido innato inimica sint, quatenus videlicet eiusdem natiuam humiditatem absumunt, & inaniunt, adeo notum est ijs, qui insiti calidi substantiam, qualis sit, & primarum qualitatum actionem inuicem, & passionem cognoscunt, vt declaratione non sit opus. Siquidem quæ nimis iustò corpora calefaciunt, & exsiccant, ea vires debilitant, & illas præsertim, quæ ad naturales actiones perficiendas pertinẽt, caloris innati pabulum absumendo, qua ratione citius etiam ad senectutẽ perducunt. Cauendus igitur omnino est vehementer calefacientium, & siccantium immoderatus vsus, aut similibus remedijs cautè vtendum, non tantùm quia vniuersi corporis, & partium principum temperiem vitiare possũt, ex quo vires collabi necessarium est, vt dictum fuit, sed præsertim etiam, quia insiti calidi substantiam inanire possunt.

In eos, qui remedijs chymicis temerè vtuntur.

Ex quo obiter noto, quàm temerè agant illi, qui chymicis medicamentis, (loquor de ijs, quæ calidissima, & siccissima sunt, nedum ex propria natura, sed etiam quia ab igne valde fuerint passa) frequenter, temerè, & indifferenter vtuntur, in quocunque temperamento, ætate, sexu. Nam à similium medicamentorũ vsu adeo exsiccantur corpora, & ea præcipuè, quæ calido, & sicco temperamento sunt prædita, vt etiam ad marasmum interdum deueniant.

Intensè refrigerantia innato calori inimica.

Inter ea verò, quæ calidum innatum adeo alterare possunt, vt corruptioni sit propinquum, præter immoderatas euacuationes, & præcipuè sanguinis, de quibus dictum fuit, illa occurrunt, quæ supra modum refrigerant, hæc enim natiuum calorem extinguunt. Et propterea Galen. 8. localium 3. loquens de stupefacientibus medicamentis dicebat corpora viuentium mortificationi simile quippiam perpeti ab omnium ex opio, & hyoscyamo, & mandragora compositorũ pharmacorũ vsu, quoniam, qui assiduè talibus vtuntur, ad immedicabilem frigiditatẽ tum corpus vniuersum, tum particulas ipsas sæpe perducunt.

Quænam sint illa vitalia indicantia, quæ sui vnitatem indicant, & de eorundem vnitatem distrahentibus.

Cap. XII.

GAl. 9. meth. cap. 13. inter ea, quæ virium substantiam alterare possunt, breuitatis causa comprehendit etiam illa, quæ earum vnitatem distrahunt. Nos autem facilioris doctrinæ gratia de hac indicatione seorsim loquendum esse duximus, & eò magis, quia non adeo facilè cognosci potest, quid intellexerit Galenus per vnitatem virium, & qua ratione earundem vnitas distrahatur.

Aliorum opinio.

Nonnulli, qui de medendi methodo scripserunt moti Galeni auctoritate 11. meth. cap. 15. & 13. meth. pariter cap. 15. crediderunt indicationem, quæ docet, qua ratione virium vnitas sit seruanda, desumi à motu caloris innati. Vnde cum Galenus locis nuper citatis in affectibus eorum membrorum, quæ vel principalia sunt, vel habent actionem toti corpori communem, & necessariam, vt exempli gratia est hepar, ventriculus, & lien, si opus fuerit medicamentis humores ad hasce partes confluxos discutientibus, admoneat, vt semper huiusmodi medicamentis, quia laxant partes, adstringentia misceantur, quò harum partium, quarum actio toti communis est, robur, & virtus conseruetur: crediderunt, inquam, hoc esse seruare virium vnitatem respectu motus ipsius caloris, quia adstringentia concentrant, & vniunt partium calorem, & sic easdem partes roborare dicuntur. Ne igitur dissipetur motus calidi innati, sed conseruetur, indicatur roborans, vniens, adstringens.

In confirmatione prædictæ opinionis.

Et re vera nimis laxatæ partes non videntur habere tantum caloris, quantum requiritur pro suis actionibus obeundis, quod illis contingit, quia à remedijs discutientibus, & laxantibus non solum humores in ijs partibus præter naturam existentes in tenuem halitum resoluti digeruntur, sed necessarium est etiam, vt earundem partium substantia spirituosior, tenuior, & humidior, in qua caloris innati essentia consistit, secundum aliquam partem resoluatur, & dispergatur: vnde oritur ea indicatio iam dicta, quòd videlicet adstringentia misceri debeant laxantibus, & discutientibus, vt robur partium conseruetur, nec distrahatur, & dissipetur innati calidi substantia.

Quænã prædictæ opinioni obijci poſſint.

Cæterùm etiamſi hæc vera ſint, non tamen, vt arbitror, omnino declarant Galeni ſententiã de diſtractione vnitatis virium. Quinimo prædictæ opinioni quædam etiam obijci poſſunt. Nam indicatio, quæ docet ſeruare virium vnitatem, aut prohibere ea, quæ earundem vnitatem diſtrahere valent, pertinet ad motum, vt ipſi etiam rectè interpretantur, quare calido innato conuenire non videtur. Cum etenim innatum partium calidum, quod a primo ſemine ſortitæ ſunt, moueri non poſſit, neque ab illis diſtrahi, & ſeparari, & rurſus iiſdem vniri, ergo nec concentrari, nec vniri poterit. Siquidem illud congenitum, & implantatum dicitur, & eſt eſſe ipſarummet partium. In quem ſenſum Galen. 1. aphor. 15. loquens de ſpirituum, ſanguinis, & caloris influentis concentratione, & vnione, quæ fit in hyeme ratione frigiditatis ambientis, hæc habet. *Non per iouem carnibus ad hæc, ſua ſede derelicta, fugientibus, ſed ſpiritu, & ſanguine:* quaſi diceret, quod non concentratur calidum partibus congenitum, & implantatum, ſed concentrantur ea, quæ calidum innatum fouent, augent, & conſeruant, ſpiritus videlicet, & ſanguis.

1. Difficultas.

2. Difficultas.

Præterea eſto laxantia remedia partium robur eneruare, quia ſimul cum humoribus in affecta parte præter naturam exiſtentibus eiuſdem quoque partis innati calidi ſubſtantiam digerunt: attamen dum laxantibus ad id prohibendum, & partis robur conſeruandum adſtringentia miſcemus, videmur potius ſatisfacere ei indicationi, quæ docet, vt prohibeantur illa, quæ virium ſubſtantiam vacuare poſſunt, quàm ei, quæ nobis inſinuat, vt vitemus ea, quæ virium ſubſtantiam alterare valent, inter quæ Galenus breuitatis cauſa comprehendit illa, quæ virium vnitatem diſtrahunt.

3. Difficultas ex Galeni dictis emergens.

Atque hoc illud eſt, quod mihi maximam difficultatem facit, cur Galenus illa, quæ virium vnitatem diſtrahunt, comprehenderit inter illa, quæ alterant, non autem inter ea, quæ virium ſubſtantiam euacuant. Nam diſtrahere virium vnitatem videtur quid diuerſum ab alteratione, & coincidere potius cum ijs, quæ virium ſubſtantiam inaniunt.

Vt huiuſce rei veritas appareat, & Galeni ſententiam ſatis obſcuram, cum ipſe non ſe declarauerit, explanare, necnon prædictæ opinionis, etiamſi non perfectè rem hanc patefaciat, veritatem oſtendere, atque propoſitas difficultates ſoluere poſſimus, ex ijs, quæ nobis manifeſta ſunt, dicendum, quid per virium vnitatis diſtractionem intelligere debeamus, & qua ratione vires id pati dicantur. Nam poſito hoc fundamento, non erit amplius admodum difficile propoſitas difficultates ſoluere, & declarare, cur Galenus virium vnitatem diſtrahentia repoſuerit potius inter alterantia, quàm euacuantia; & quænam ſint illa indicantia vitalia, quarum vnitas ſeruari debet, & qua ratione huic indicationi ſatisfaciendum, & denique prohibenda ſint ea, quæ virium vnitatem diſtrahere poſſunt.

Externa viriũ vnitatẽ diſtrahẽtia quæ ſint.

Quæ itaque vnicuique manifeſta ſunt, nec vllam dubitationem habent, & tanquam fundamenta ſupponũtur partim ſpectant ad agentis efficaciam, partim ad paſſi diſpoſitionem. Et rurſus agens aut externum eſt, aut internum. Si in primis de externo agente ſit ſermo, omnibus notum eſſe poteſt id, quod ait Gal. 1. aphor. 15. etiam ex Ariſtotelis mente, in hyeme calorem refugere propter circunſtantem extrinſecus frigiditatem, ſicuti rurſus æſtate ad ſibi affinem protendi. Atque ita contingit diſſolui quidem, ac diſſipari eius ſubſtantiam tempore æſtiuo; contineri autem, ac cohiberi, & in profundum ſecedere hyemali. Amplius 2. aphor. 28. ex regionibus, & anni temporibus, ac conſti-

tutio-

cutionibus calidas quidem, ac ficcas magis eu acuare docuit, humidas verò, ac frigidas magis adstringere, & distare corpora, atque extenuari non finere. Quocirca ambientis caliditas spiritus, & calorem disgregando, & euocando corporis robur dissoluere, & virium vnitatem distrahere, frigiditas verò eiusdem calorem, & spiritus vniendo, & cogendo robur addere, & virium vnitatem seruare dicitur.

Interna viriū vnitatē distrahētia qualia sint.

At si de interno agente loquamur, illa omnia, quæ nimis violenter calorem, & spiritus per digestionem vaporosam dissipant, aut ad cutim propellunt, virium vnitatem distrahere dicuntur, hinc medicamenta ex viperis confecta pueris interdicuntur, quia ob eorundem substantiam nimis humidam, & fluuidam facilè virium robur dissoluitur in halitum earum substantia dissoluta. Qua de causa Galenus libro de theriaca ad Pisonem cap. 17. theriacam puerile corpus facilè dissoluere docuit.

In quibus uirium unitas facilè distrahatur.

Si verò passi dispositionem consideremus, manifestè apparet virium vnitatem facilius dissipari in ijs, qui sunt raro corporis habitu, & in ætate puerili constituti, cum in similibus habitibus, sicuti etiam in pueris contingit, citò vires laborent nulla alia de causa, nisi quia corpora hæc facilè distantur, & resoluuntur, nec virium substantia vnita manet.

Quid p viriū vnitatis distractionem intelligendum sit.

Quapropter ex istis, quæ omnibus nota sunt, colligere licet per virium vnitatis distractionem nil aliud intelligendum esse, nisi dissipationem, seu disgregationem quandam spirituum, & caloris, seu, vt vno verbo omnia complectar, tenuioris virium substantiæ portionis, quæ aut attracta, & foras euocata, aut impulsa, & dissoluta præsertim in pueris], & ijs, qui sunt rarò corporis habitu præditi, adeo dissipatur, & disgregatur, vt corpori, vel parti minimè vnita maneat, & subsequatur virium vnitatis distractio. Vnde ex altera parte videmus his opposita, vt adstringentia, & frigiditatem extrinsecam corpora robustiora, & vires validiores reddere, quia virium substantiam, seu calorem, & spiritus vniunt, atque concentrant.

Respōdetur primæ difficultati.

Quibus sic declaratis non est difficile soluere difficultates propositas aduersus prædictam opinionem. Nam quando dicebatur, indicationem hanc non posse pertinere ad motum calidi innati, quoniam cum implantatum sit, moueri nequit: respondeo hæc omnia verissima esse, sed dico calidum innatum posse considerari vel secundum se totum, vel respectu partium magis spirituosarum, & tenuiorum; si primo modo consideretur, nemini dubium calidum innatum esse substantiam ipsarummet partium, neque ab ijs vnquam separari, quandiu viuit animal: at nil prohibet, quin secundum partes quasdam tenuiores, & spirituosiores euocari, distrahi, & dissolui possit. Quocirca cum dicitur laxantibus, & discutientibus adstringentia miscenda esse, vt conseruetur calidi innati motus, rectè dicitur, quia ab ijsdem medicamentis eius vnitas distrahitur, nisi adstringentibus id prohibere tentemus.

Cum verò secundo loco addebatur, quòd, dum laxantibus, & digerentibus adstringentia miscemus, videmur potius satisfacere ei indicationi, quæ docet, vt prohibeantur illa, quæ virium substantiam vacuare possunt, quàm ei, quæ insinuat, vt vitemus ea, quæ virium substantiam alterare valent, inter quæ Galenus reponit ea, quæ virium vnitatem distrahunt. Profectò vt dicebam hoc mihi magnam difficultatem facit, & fateor hucusque non potuisse inuenire causam, cui intellectus meus ex toto acquiescat, cur Galenus ea, quæ virium vnitatem distrahunt, potius inter alterantia, quàm inter euacuantia comprehendere

dere

dere voluerit. Quid tamen dici poſſit, cum difficiliora Galeni loca declarare ſtatuerim, in medium adduco, & aliorum iudicio libenter ſubmitto.

Tollitur ſecũda, et tertia difficultas.

Exiſtimarem igitur Galenum virium vnitatem diſtrahentia repoſuiſſe inter alterantia, non autem inter ea, quæ earundem ſubſtantiam euacuant, quia virium ſubſtantiæ inanitio eſt quid diuerſum ab vnitatis diſtractione. Nam diſtractio pertinet ad caloris, ſpirituum, ſeu virium tenuioris ſubſtantiæ motum, inanitio ad ſubſtantiæ deperditionem. Et licet in vnitatis virium diſtractione, quicquam etiam de earundem ſubſtantia deperdi poſſit, & deperdatur, attamen id contingit, non quatenus eſt diſtractio, ſed quatenus accidit, vt, dum virium vnitas diſſoluitur, interdum id fiat, cum alicuius virium ſubſtantiæ deperditione. Quare ſi hæc ſunt inter ſe diuerſa, nec virium ſubſtantiæ inanitio, quatenus talis eſt, conſtituat earundem vnitatis diſtractionem: atque inſuper virium vnitatis diſtractio nil aliud importet niſi diſgregationem quandam, vt earundem vnio congregationem ſignificat, & hæc ſit frigiditatis, quæ omnia congregat, illa caliditatis, quæ heterogenia diſgregat, propria actio, atque rurſus quæ calefaciunt, & refrigerant inter alterantia connumerentur: quinimo omnium aliarum qualitatum maximè alterent caliditas, & frigiditas: ideo iure Galenus potius inter ea, quæ virium ſubſtantiam alterant, quàm inter ea, quæ eandem inaniunt, comprehendit illa, quæ virium vnitatem diſtrahere, aut ex aduerſo vires vnitas conſeruare poſſunt. Quocirca etiamſi contingat virium ſubſtantiam à laxantibus, & digerentibus medicamentis inaniri, id tamen pręſtant, quatenus calida ſunt, & diſgregandi facultatem habent, ita vt primò, & per ſe virium vnitatem diſtrahant, per conſecutionem autem quandam earundem etiam ſubſtantiam inaniant. Nam ſi diſgregarent abſque inanitione, ſemper tamen virium vnitatem diſtraherent.

Quenã ſint illa indicantia vitalia, quorum vnitas ſeruari debet.

Colligamus itaque indicantia vitalia, quorum vnitas ſeruanda eſt, talia eſſe debere, vt moueri, diſgregari, & foras euocari, & vniri, & concentrari rurſus poſſint, ſed huiuſmodi ſunt ſpiritus, & calor influens, necnon tenuior, & ſpirituoſior calidi innati ſubſtantia, ergo hæc tantummodo indicabunt motum ſuũ conſeruantia, & vt prohibeantur ea, quæ eorum vnitatem diſtrahere poſſunt. Reliqua verò indicantia vitalia, vt ſunt carnoſæ, & ſolidæ partes, & earum calidum innatum præſertim ſecundum ſuam, quam ſubſtantificam vocant, humiditatem, & qua à primo ſemine ſolidæ partes præditæ ſunt, conſideratum, cum moueri, diſgregari, & foras euocari, ac rurſus vniri, & concentrari nequeant, non egent iam dicta indicatione.

Obiectio.

Quòd ſi quis diceret Hippocr. ſententiam 1. aphor. 15. propoſitam, & à Galeno explicatam verificari præſertim de calido innato, quod à frigore ambientis validius redditur, cum dicat *etenim tunc calor innatus plurimus eſt*.

Reſponſio.

Reſponderem veriſſimum eſſe innatum calidum propter frigiditatem extrinſecus occurſantem roborari, ac validius reddi, non tamen id euenit, quia ipſum vniatur, & concentretur ſecundum ſe totum, cum ſit partibus implantatum, & ideo moueri nequeat, ſed ſolùm reſpectu eiuſdem partium ſpirituoſiorum, quæ à frigiditate extrinſeca vnitæ ſeruantur, nec diſperguntur, & quia etiam concentrantur ea, quæ calorem innatum fouent, augent, & conſeruant, ſpiritus videlicet & calor influens, quibus conſumptis, & foras euocatis ab ijs, quæ eorum vnitatem diſtrahere poſſunt, neceſſariò innatum calidum, cum non habeat, à quibus foueatur, & reſtauretur, debile redditur, & vires reſoluuntur. Exaduerſo ſi ſpiritus, & calor influens, atque eiuſdẽ innati calidi ſpirituoſiores

partes

partes contineantur, & cohibeantur, idem calidum innatum roboratur, & vires validiores efficiuntur.

Qua ratione virium vnitas seruetur.

Quare neque amplius difficile est nouisse, qua ratione ei indicationi, quæ docet virium vnitatem seruare, & prohibere ea, quæ eandem distrahunt, satisfaciendum sit. Nam cum vitalia indicantia, quorum vnitas seruari debet, considerari possint, aut respectu totius corporis, aut respectu alicuius determinatæ partis, non tamen cuiuslibet, sed vel principis, aut talis, quæ actionem habeat, vel vsum toti corpori communem; horum omnium ratio est habenda. Atque de indicatione a parte desumpta, cuius robur, seu caloris, & virium vnitas seruanda sunt adstringentibus medicamentis, nil est, quod amplius addamus, quando ex dictis nedum in huius capitis principio, sed etiam supra capite 9. & adhuc clarius lib.4.cap.52. id explicatum fuerit. At si virium vnitatem respectu totius corporis consideremus, clarum pariter est ex dictis, quòd hæc seruabitur tum ijs præsidijs, quæ spiritus, & calorem vnire possunt, tum præsertim prohibendo ea omnia, quæ tam intus administrata spiritus, & calorem dissoluere, & vi ad exteriora propellere, quàm externa, quæ eos euocare, & attrahere ad exteriora valent, vt præcipuè est nimia ambientis caliditas: vtraque tamen in hoc conueniunt, quòd disgregando virium vnitatem distrahere dicuntur. Verùm si horum quædam prohibere omnino impossibile fuerit, saltem per ea, quæ oppositum præstant, quæque videlicet extrinsecus refrigerando, & adstringendo calorem, & spiritus vniunt, atque concentrant, viribus imbecillibus, seu earum vnitatis distractioni occurrere tentandum erit.

De Consuetudine quid indicet pro virium custodia.
Cap. XIII.

Consuetudinem, quatenus est acquisititia, & altera natura, inter indicantia vitalia quodammodo connumerari posse, non videtur præter rationem, imò summè necessarium, cum Galenus, & Hippocrates tantùm consuetudini tribuant: dixi autem quodammodo, ne lis sit cum ijs, qui præter tria indicantia nulla alia admittunt. Attamen, etiamsi de se non indicet, sed de alio, nempe de virtute, multum roboris habet ad indicandum, quid agendum sit pro virium conseruatione: cum & ipsemet Hippocr. referente Gal. 3. de officina medici tex.20. secundas partes in indicando consuetudini tribuat. Habet (inquit Galenus) consuetudo præcipuam in medicina vim, ita vt à clarissimis medicis natura aduentitia nuncupetur: quam constat inter ea, quæ necessariò admodum spectantur, Hippocratem vbique numerasse in indicandi facultate tribuentem ei secundas, illa videlicet primas occupante, quæ à natura sumitur.

Quantùm Hipp. cõsuetudini tribuerit.

Quid indicet cõsuetudo sũpta pro temperie adscititia.

De hac eadem consuetudine loquentes lib.3. cap.12. diximus, si sumatur pro aduentitia natura, seu temperie eandem præstare indicationem in morborum curatione, quam præbet naturale temperamentum. Nunc autem si eandem sumpserimus pro acquisititia natura, seu temperie, eandem quoque pro virium conseruatione præbebit indicationem, quam carnosarum, & solidarum partium naturalem temperiem præscribere diximus, vt videlicet conseruetur per similia, & prohibeantur ea, quæ huiuscemodi temperaturam alterare possint. Nam à consuetudine semper est indicatio similium, quoad scilicet ægrotant homines 8.meth. cap.9. Quæcunque etenim temperies fuerit, siue

natura-

naturalis, siue adscititia, siue optima, siue vitiosa, eam in ægrotis semper seruandam esse docuit Gal. 11. meth. 3. ea videlicet ratione, quoniam maxima est à consuetudine indicatio, vt pote quæ vel temperamentum originale conseruat, vel adscititium inducit. De qua sanè indicatione nil aliud dicendum est, cum eadem sit cum illa, quæ à naturali temperamento desumitur, de qua supra cap. 8. satis diximus.

Secūdū quā significatio nē interī sumatur consuetudo.

Quare omissa ea consuetudinis significatione, secundum quam altera, & adscititia temperies dicitur, communiori significatione eam cõsideremus, prout videlicet sumitur ab Hippocr. 2. aphor. 50. dicente, quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solere: quæcunque deinde ea fuerint, vt interpretatur Galenus in commento, siue exercitationes, siue cibi, potus, balnea, lotiones, vigiliæ, somnus, calefactio, frigefactio, curæ, vitæ studia, & huiusmodi: adeo vt etiam miserijs ipsis assuescant homines. Nam, vt ait Seneca inter cætera bona hominibus à Dijs tributa, illud etiam est, quòd assuetudo ipsorum miserias minuit, & mitigat.

Quid sit cō suetudo.

Per consuetudinem itaque nil aliud intelligimus, nisi habitum quendam ex frequentatis actibus longo tempore acquisitum facilè operandi, & patiendi circa vnam, vel plures res. Quæ sanè consuetudo non paruam vim habet in indicando similia pro virium conseruatione: siue modò indicet tanquam signū virtutis non potentis sine molestia, & detrimento inassueta perferre: siue ipsamet consuetudo sumpta, non pro frequentatis actibus, qui non sunt amplius, sed pro habitu, ac potentia, seu virtute quadam (nominet quis quomodo libuerit) ab ijsdem introducta sit illa, quæ verè indicare dicatur, cum sit altera natura, hoc enim parùm refert.

Cur consuetudo magnā vim habeat

Id certum sanè est, & indubitatum in doctrina Hippocratis, & Galeni consuetudinem maximè posse, repentinamque ab ea digressionem corpora non parùm offendere. Gaudent enim naturæ consuetis semper, vt Hippocr. euidentissimis argumentis in lib. de acutorum victu adstruxit, vt vnusquisque apud ipsum videre potest, & præsertim 2. acutorum tex. 20. vbi à minori ad maius ita argumentatur. Nam si benè valentibus læsionem afferunt repentinæ victus ad contraria mutationes, multò magis ægrotantes ipsos lædent, & eos præsertim, qui acutis morbis laborant: quia quò quis imbecillior est, eò difficilius repentinas mutationes ad insueta sustinere potest, quoniam hæ viribus valde obsunt. Natura siquidem non patitur subitas mutationes.

Concludendum igitur multum posse consuetudinem ad virium robur seruandum, & medicum in medendi methodo à consuetudine similium indicationem desumere, & cauere debere ab ijs, quæ inassueta sunt, quoniam hæc magnam vim inferunt naturæ, & vires summopere prosternere possunt. Quod tamen non de omnibus ijs, quibus assueti sumus intelligi debet. Nam si quis exempli gratia sanitatis tempore assuetus fuerit se exercere, aut ijs vitæ studijs vti, quæ, dum homo ægrotat, exequi minimè possunt, ab istis, seu ab habitu ab ijsdem introducto non sumitur similium indicatio, quia plus potest morbus ad huiusmodi prohibenda, quàm illa ad indicandum: quinimo hæc eadem, si ægrotationis tempore fierent, vires labefactarent. Quare loquimur tantummodo de ijs, quibus in morborum curatione vti licet, vt præsertim est victus ratio, in qua instituenda aliquid consuetudini condonandum esse docuit Hippocr. 1. aphor. 17. & antecedenti aphorismo victum humidum febricitantibus omnibus conuenire asserit, maximè verò ijs, qui tali victu vti consueuerunt.

Non omnis consuetudo seruari potest in ægrotis, et quę sit seruanda.

Insuper

Insuper consuetudo etiam spectanda in euacuationibus moliendis, quoniam si quis ipsis non fuerit assuetus, eas difficilius perferre poterit, & vires imbecillæ reddentur, vt colligitur ex Gal. 1. ad Glauconem cap. 14. Hæc itaque, & similia illa sunt ad sex res non naturales præcipuè spectantia, in quorum vsu ad consuetudinem respicere debemus, vt eam semper, quantùm fieri potest, seruemus, atq; repentinam mutationem ad insueta, vtpote quæ viribus est inimica, timeamus.

Cur oportere ad insueta permutari dixerit Hippocr.

Illud denique consideratione dignum est, cur, si consuetudo tanti facienda est, quia ad insueta mutatio plurimum nocet, dixerit Hippocr. 2. aphor. citato oportere ad insueta permutari, & vtrum liceat aliquando in medendi methodo hanc regulam obseruare.

Ad primum dico eadem prorsus de causa oportere ad insueta permutari, quia consuetudo efficitur altera natura, adeo vt, si postea volumus à consuetis recedere, difficulter hanc mutationem repentinam natura tolerare possit. Cum etenim, vt inquit Galenus in commento omnes homines inopinatis rerum sortibus subijciantur, periculosa est omnis vniformis consuetudo. Ne igitur incidentes aliquandò repente in nobis insueta magnopere offendamur, satius esse inquit Hippocrates omnia temperare, & in eadem semper consuetudine non manere. Vnde etiam Cornelius Celsus suorum librorum initio sanos nullas leges seruare, seseque inassuetis quoque accommodare debere admonuit.

Prauæ consuetudines ægrotationis tempore non sunt corrigendæ.

Verùm quemadmodum sanitatis tempore prauas consuetudines, sed paulatim ad meliorem statum traducere licet: ita in medendi methodo à consuetudine semper est indicatio similium, quoad ægrotant homines, quia vno, eodemque tempore non possumus morbos curare, & naturæ, seu consuetudinis vitia corrigere: tum quia longum tempus requiritur ad mutandam prauã consuetudinem; tum quia tot mutationes simul natura sine maximo virium detrimento sustinere non posset.

Qua ratione ab ætate, corporis habitu, sexu, anni tempore, cæli statu, & huiusmodi desumantur indicationes pro virium conseruatione. Cap. XIV.

NOn quia ætas, anni tempus, & reliqua huius generis quicquam indicent de se, ab ijs vitales indicationes desumendas esse dico; sed solùm quatenus indicant de alio, siue tanquam signa virium statum ostendentia, siue tanquam causæ vires vel validas, vel debiles reddentes. Hac etenim ratione hæc omnia considerari debent, quemadmodum etiam à Galeno considerantur 1. acutorum 45. præcipuus (inquit) est virtutis scopus, sed ad notitiam eius cõfert etiam ætatis cognitio, citò quidem in pueris laborante propter copiam effluuij virtute, in ætate verò florentibus abundè sufficiente. Cœterùm quomodo in pueris corporis substantia tum mollis, tum humida, præcipua exolutionis virium causa efficitur, sic & in regionibus, & anni temporibus res habet, nempe horum caliditas velociter, confertimque virtutem vacuationis quantitate soluit. Patet igitur, quòd huiuscemodi concurrunt, aut tanquam signa, aut tanquam causæ.

Et licet Galenus loco nuper citato consideret ætatem, anni tempus, & reliqua tanquam ea, quæ virtute intermedia euacuationes vel prohibeant, vel per-

mittant, vt nos quoque libro antecedenti cap. 9. ostendimus: attamen hæc eadem etiam eodem prorsus modo, quatenus statum virium demonstrant, aut eas imbecillas, vel robustas reddere possunt, præbere indicationes dicimus pro virium tutela. Ibi igitur ea considerauimus euacuationum respectu; hic autem simpliciter virtutis custodiæ causa considerari debent.

Qua ratione ætas, anni tẽpus, & reliqua indicent pro virium custodia.

Quapropter cum communes indicationes, quæ virium custodiam respiciũt, sint, vt, quod de earum substantia inanitum, alteratumve est, corrigatur, atque vt prohibeantur ea, quæ earundem substantiam alterare, euacuareve possunt, comprehensis inter ea, quæ alterant, illis quoque quæ earundem vnitatem distrahunt. Ergo ætas, anni tempus, aer, cœli status, & reliqua interim nulla alia ratione concurrunt ad docendum quid agendum sit pro virium custodia, nisi quatenus aut signa sunt, parùm, vel multùm de virtutis substantia inaniri, aut alterari posse, vel inanitum, aut alteratum esse, vel quatenus sunt causæ, quæ aut prohibent, ne earum substantia vacuetur, altereturve, & vnitas distrahatur, aut ipsamet substantiam hanc alterare, vacuareve, aut eius vnitatem distrahere possunt.

Aetatẽ corporis habitũ & sexũ indicare tanquã signa, et causas.

Ætas itaque, quemadmodum & corporis habitus, & sexus concurrunt nedum veluti signa demonstrantia virium statum, tàm præsentem, quàm futurũ, sed etiam tanquam causæ, cum in pueris, & in mulieribus mollis, humidaque substantia, & pariter habitus corporis rarus præcipua virium exolutionis causa efficiatur. Si itaque puer fuerit, qui morbo laboret, ex ætate inferendum erit, multum esse, quod de virium substantia deperditur. Siquidem in pueris propter copiam effluuij, ratione eorundem substantiæ mollioris, & humidioris, quæ facilè à quouis euacuatur, & ratione calidi innati plurimi, quod continuò in humidum agit, & id consumit, virtus citò laborat: quare plurimo etiam alimento ei occurrendum erit, vt, quod de virium substantia inanitum est, corrigamus. Et rursus quia in simili ætate ob easdem causas virium vnitas facilè à quouis distrahitur, debemus etiam omni conatu prohibere ea, quæ virium vnitatem distrahere solent. Similiter citius, & facilius deficiunt vires in habitu corporis molli & raro, quàm in denso: in muliere, quàm in viro: & propterea in illis maior virium ratio est habenda, quàm in istis, & magis timenda sunt ea, quæ vires prosternere possunt.

Aerem, anni tẽpus, & huiusmodi concurrere tanquã causas iuuãtes, uel lædentes.

At si de reliquis sermo sit, vt de aere, anni tempore, cœli statu, & huiusmodi, dico hæc omnia considerari præsertim, quatenus sunt causæ, quæ substantiam virium alterare, aut inanire, aut eius vnitatem distrahere, aut oppositum agere possunt. Nam si hæc temperata fuerint, vires in suo statu conseruabunt præcipuè in temperatis corporibus: si autem excesserint, viribus non solum nocere, sed interdum etiam eis opem ferre poterunt, pro diuersa ægrotantis temperie, & pro diuerso excessu huius, vel illius qualitatis: quæ omnia paucis considerare oportet.

Vires in naturis intemperatis validiores esse ĩ tẽpestatibus contrarijs, quã similib.

Si itaque de ægrotantis temperie sit sermo, certum est, intemperatas naturas, (loquor interim de natiua, aut adscititia intemperie intra sanitatis limites constituta) melius se habere, & earum vires validiores conseruari in constitutionibus, anni temporibus, & regionibus contrarijs, quàm in similibus. Calidiores siquidem naturæ exempli gratia æstate, & calidis constitutionibus, ac regionibus summoperè exoluuntur: hyeme verò, & frigidis constitutionibus melius se habent, & robustiores sunt. Ex aduerso frigidiores naturæ hyeme, & frigidis locis, ac constitutionibus valdè offenduntur, quia earum calor debilis

bilis ab ambientis frigiditate, præsertim si excesserit adhuc debilior redditur, & nimis, quàm par sit, refrigeratur: ab æstate verò, & calidis constitutionibus iuuantur.

Quapropter ægrotationis tempore, (nam de medendi, non de tuendæ sanitatis methodo agitur) ab istis tanquam causis vires vel debiles, vel validas reddentibus desumendæ sunt indicationes, vt videlicet dum frigidiores naturæ laborant hyeme, vel constitutionibus, & regionibus frigidis, virium læsioni, quā aeris frigiditas infert, occurramus, tum per ea, quæ calefaciunt, & calorem innatum roborant, tum per ea, quæ aeris frigiditatem corrigere possunt. Similiter dum aeris nimia caliditas in naturis calidis ægrotantibus vires exoluit, hæc arte refrigeranda est, &, quod ab ea de virium substantia inanitum est, restaurandum, atque respectu vnitatis virium distractæ refrigerantibus, & adstringentibus vtendum ad caloris, & spirituum concentrationem, si necessitas vrgebit. Et quod de caliditate, & frigiditate ambientis dictum est, id etiam intelligendum de humiditate, & siccitate, vt scilicet ijs quoque occurramus per contraria pro virium conseruatione: licet huiusmodi qualitates cum sint passiuæ parùm, vel nihil viribus officiant. *Qua ratione occurrēdum viriū læsioni ab aere, & reliqs factæ.*

Quòd si aer, anni tempus, & prædicta per se, & absolutè considerentur, non autem diuersarum naturarum respectu, vires vel iuuare, vel lædere possunt pro diuerso qualitatis excessu. Vnde quemadmodùm in æstate, cœli statu, & regionibus calidis necessariò semper vires exoluuntur, & earum substantia multùm inanitur: ita ex aduerso in hyeme, constitutionibus, ac regionibus frigidis, nisi maximè frigiditas excesserit, (Nam omnes immoderatas aeris intemperantias damnat Hippocr. 3. aphor.) oppositum sequitur, & ideo vires validiores sunt, & calor innatus plurimus, vt docuit Hippocr. 1. aphor. 15. Refugit enim propter circunstantem extrinsecus frigiditatem, sicuti rursus æstate ad sibi affinem protenditur. Atque ita contingit dissolui quidem, ac dissipari eius substantiam tempore æstiuo, contineri autem, ac cohiberi, & in profundum secedere hyemali. *Aerem ambientē calidū vires exoluere, frigidū eas roborare.*

At ex dictis oritur difficultas non contemnenda circa indicationes à virium substantia deperdita desumptas. Nam si ex Galeni mente, vt supra cap 4. dictum fuit, quod de virium substantia inanitum est corrigere oportet, & æstas, & regiones, ac constitutiones cœli calidæ propter nimiam caliditatem velociter, confertimque virtutem vacuationis quantitate soluunt, ergo, vt, quod de virium substātia deperditum est, restauretur, cum multum sit id, quod effluit, tunc tēporis pluri alimento opus esset, vt virium substantiæ deperditam quantitatem resarcire possemus. Secus tamen sentire videtur Hipp. 1. aphor. 15. nuper citato, cum Vere, & Hyeme, non autē æstate copiosiora alimenta exhibenda esse doceat. Quæ difficultas corroboratur etiam à Galeno in commēto illius aphorismi, cum dicat. Atqui si parum defluit, ac difflat hyberno tempore ad exteriora, multum alimentum non est corporibus necessarium: siquidem nutritio est eius, quod euacuatur repletio: oportet igitur alimenti quantitatem esse eius, quod difflat, quantitati proportionalem. *Difficultas.*

Huic difficultati respondeo in alimentorum quantitate præscribenda, vt, quod de virium substantia inanitum est, resarciatur, ad duo præsertim nos respicere debere, nimirum ad deperditi quantitatem, & ad caloris innati robur. Verissimum itaque est æstiuo tempore, & calidis constitutionibus multum deperdi de virium substantia, cum calor circunfusus nedum superfluitates, sed *Solutio.*

Aestate pauciora alimēta cōueniūt ratione imbecillitatis caloris.

æqualiter omnia euacuet, materiam videlicet inutilem, & ea etiam, quæ in corpore secundum naturam continentur. Quare habito solùm respectu eius, quod deperditur, cum tunc temporis multum sit, quod euacuatur, copiosiora exhibenda essent alimēta ad deperditi restaurationem, sed quia oportet etiam alimenta esse innati caloris multitudini proportionalia, cum natura ex ambientis aeris caliditate imbecillis facta, & calor innatus debilis, & paucus redditus non possit tantam alimentorum copiam, quæ ad deperditi restaurationem necessaria foret, concoquere, necessariò alimenta subtrahere cogit.

Calor plurimus, vt conseruetur, plurimo eget alimento.

Hyberno verò tempore cum calor sit abundans, nisi, vt inquit Galenus in commento præcitati aphorismi habeat alimentum, quo fruatur, primus ipse à circunstante frigore superabitur, tam ab eo, quod extrinsecus ingruit, quàm ab illo, quod per inspirationem attrahitur, cum ipso verò & coctio ciborum debilitatur, & boni sanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & superfluitatum vacuatio. Si verò tantum abundè habuerit alimentum, quantum potest euincere, & ipse magis augebitur, & omnia naturæ opera circa corpus animalis perficiet. Quocirca hyeme magis nutrimus, quàm æstate, non ratione deperditi, sed quia calor innatus plurimus est, & ideo, vt conseruetur, plurimo opus habet alimento. Qua de causa, cum homines tunc temporis pluri cibo vtantur, & parùm de virium substantia deperdatur, magis etiam nutriuntur, & caro augetur, & plus boni sanguinis cumulant, nisi malo prorsus vtantur victu. Aestate verò, cum plus sit id, quod de virium substantia deperditur, quàm quod addi possit, cum ob caloris imbecillitatem, pauciora exhibenda sint alimenta, corpora potius contabescunt.



DANIE-

DANIELIS CARMENII
DE MEDENDI METHODO
Liber Sextus.

Cur de symptomatibus agendum. Caput Primum.


Enique vt huic operi finis imponatur, de symptomatibus etiam agendum est, & docendum, qua methodo procedere debeamus in eorum ablatione, seu correctione. Nam etiamsi, vt sequenti cap. ostendemus, per se non indicent, idest ratione propria, & quatenus symptomata sunt, attamen interdum, quatenus rationem causæ subeunt, adeo vrgent, vt curationem immutent, & sæpe eam ad se prorsus reuocent. Hinc acri iudicio opus habet medicus, vt quid in simili casu agendum sit, cognoscere valeat: & eò magis, quia dum aliquod symptoma vehemens superuenit, peruertitur curatio, & in longius spatium protrahitur, aut interdum aliquod etiam subsequi potest periculum non contemnendum.

Nam, vt inquit Gal. 11. meth. 11. quod ita interuenit, omnino vel contrarium est remedijs, quæ pro causarum, & affectuum curationis ordine necessaria sunt, vel omnino nihil saltem confert. Enimverò si eius, quod interuenit, sanatio antedicto præsidiorum ordini sit contraria, necesse est interim cuncta deteriora reddi; sin nihil originali affectui interuenientis obiter mali correctio nec officit, nec prodest, totius curationis celeritati in mora erit: si autem nocet, necesse est, aut vniuersam medicationem in longius spatium trahi, aut aliquod subsequi periculum, aut etiam fortè vtrunque. Ita Galenus scribit. Quod declarat exemplo syncopis febricitanti superuenientis, cui succurrere coacti cibum intempestiuè dederimus, ac vinum cum frigida. Ex horum enim vsu tum obstructionem, tum corporis coarctationem, tum putredinem auctas esse, necessum est, atque ex harum auctu ipsam etiam febrem. Insuper dum ad sedandum vehementem dolorem medicamēta opio referta exhibere sumus coacti, curationem in longius spatium protrahimus. Obsunt enim talia plurimùm affectui dolorem efficienti, & eum curationi contumacem reddunt. Ob hanc itaque causam, quanam methodo symptomatibus aut præsentibus, aut superuenientibus, dum valdè vrgent, & quicquam indicant pro sui ablatione, occurrendum sit, in præsenti libro dicendum est, præceptaque tradenda sunt, quibus diligenter obseruatis, id incōmodi euitare valeamus, vt, dum symptomatibus occurrere quærimus, alijs affectionibus aut non noceamus, aut saltem, quando aliter agere pro vitæ conseruatione impossibile sit, parùm noceamus. Siquidem hac ratione, vt dictum fuit lib. 1. cap. 15. incumbemus ei, quod magis vrget, & quod ægrotantis vitam in discrimen adducit, altero non neglecto. *Symptomata interdum curationem longiorē, vel periculosiorem reddūt.*

De symptomatibus autem hæc dicenda sunt; vtrum videlicet indicent, & sub quo nomine indicare dicantur: insuper quænam symptomata illa sint, quæ passim ex accidenti indicare solent: post hæc quid agendum indicet vnum. *Ordo seruādus.*

quod-

quodque symptoma, (quod ad præsentem pertinet tractationem,) dum adeo vrget; vt ad se curationem trahat: & quonam pacto agenda rectè sint administranda.

Qua ratione symptomata indicare dicantur.
Cap. II.

SVpposita itaque symptomatis essentia, quòd videlicet sit affectus præter naturam morbum consequens, in primis considerare oportet, an symptomata indicent, &, dum indicant, sub quo nomine indicare dicantur. Cum etenim indicantia sint tantùm tria, morbus, morbi causa, & virtus, neque sub vllo horum contineantur symptomata, (quatenus à morbo, & morbifica causa contradistincta sunt,) cum sequantur morbum tanquam vmbra corpus: necessarium est, si vnquam ab ijs indicationes desumendæ sunt, sicuti sæpe desumi contingit, vt per accidens, & alicuius alterius nomine, nusquam autem propria ratione indicent.

Symptomata non indicant ex Gal. mente.

Symptomata nullo pacto indicare posse pluribus in locis docuit Gal. Nam 12. meth. cap. 1. nullum symptoma, qua symptoma est, curationis rationem indicare affirmauit. Et lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 21. symptomata plerunque ea significare videri, quæ salutare auxilium patefacere valeant, sed ad docendam indicationem penitus superuacua esse arbitratus est. Insuper eiusdem libri cap. 18. curationem esse admotionem remediorum causis symptomata generantibus aduersari valentium scriptum reliquit: quoniam, vt ait 6. epid. 2. tex. 9. primariò nulli symptomati, sed ipsum creanti affectui curatio semper debetur. Clarum est igitur in Galeni doctrina symptoma, quà symptoma est, nullam præbere indicationem.

Symptomata indicare ostenditur 1. Ratione.

At ex altera parte si ex Galeni sententia lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 45. quodlibet indicans aut sui custodiam, aut sui ablationem indicat, cum symptomata sui ablationem interdum indicent, ergo inter indicantia connumerari debebunt. Quis enim negabit, dolorem, dum vrget, indicare sui ablationem? Indicat pariter fluxus sanguinis immodicus sui remotionem: indicant vigiliæ, si excesserint, somnum conciliantia. Quare symptomata quoque inter indicantia connumerari poterunt.

2. Ratione.

Vlterius eadem videtur esse ratio morbi, & symptomatum, quia sicuti morbi pendent à suis causis, & ijs remotis morbi quoque auferuntur, ita symptomata originem trahunt a morbis, & eos sequuntur, tanquam effectus suas causas. Ergo, si non solum à causis morbum producentibus, verùm etiam à morbis ipsis indicationes desumimus, quamvis ad causarum ablationem amoueantur: id quoque in symptomatibus obseruandum erit, vt videlicet non minus indicent sui ablationem per contraria, quam faciant morbi, a quibus dependent. Quòd si, quia ad morbi ablationem auferuntur, ea non indicare existimabit quispiam; neque igitur hac eadem de causa morbos indicare dicendum erit, cum ad causarum eos efficientium remotionẽ (loquor de ijs, qui non sunt in habitu,) auferantur. Quare, cum eadem sit ratio morborum, & symptomatum, aut vtrique affectus, aut neutri indicabunt, sed morbi indicant, ergo & symptomata quoque indicare iure quis dicere poterit.

Difficultatis determinatio.

Ex Gal. lib. 12. meth. cap. 1. soluitur hæc difficultas, quoniam nullum symptoma, quatenus symptoma est, indicare dicitur, & iure: propterea quod symptoma, quà tale est, sequitur tantummodo morbum, & ex propria ratione nul-

lam

iam læsionem affert, & ablato morbo statim cum eo cessat, ergo per se nihil indicabit, sed morbus, qui tale symptoma producit, & qui operationes lædit, erit ille, qui curationem præscribet: sicuti morbi causa prouidentiam expostulare dicitur.

Ex accidenti tamen nil vetat, quin symptomata quoque curandi rationem aliquando mutent, & indicent, causæ scilicet locum eo tempore habentia. Quapropter per se nihil indicant, ex accidenti verò, quatenus rationem causæ subeunt, curationem immutare, & indicare dicuntur. Et ratio redditur à Galeno, quia cum veluti causæ sunt, eorum omnium vnum caput est, idest omnia hoc vnico nomine indicant, quoniam videlicet læsionem afferunt: siue modò læsio ipsius virtutis sit, siue affectionis, cum verò nihil ijs officiunt, curationem non interpellant. Lædunt autem vires vigiliæ, dolor, & immodica euacuatio. Affectui verò eadem non vtique semper, cæterùm magna ex parte nocent, ac potissimùm cum fuerint immodica. Videmus etenim immoderatas vigilias, & dolores vehementes viribus summopere nocere, & sæpissimè febrem augere, atque alias quoque affectiones: quinimò nisi febris aderit, ex immodico dolore accendi potest. Quocirca, cum symptomata, aut lædunt vires, aut affectionem morbosam adaugent, curandi ratione, quam ab initio institueramus, ad præsens mutata, symptoma submouere primùm cogimur. Quæ doctrina collecta est ex Galeno loco nuper citato.

Symptomata indicare, dũ causæ rationem sustinent.

Porrò facilioris doctrinæ gratia sciendum est, indicans ex accidenti secundum Galeni mentem dupliciter sumi, vno quidem modo prout respicit finem, nimirum sanationem non per se, sed ex accidenti. Exemplum clarissimum habemus 11. meth. 9. vbi vires quandoque ex accidenti ad morborum sanationẽ facere docuit, quia roborata virtute, quicquid putrescentium veluti semiputrescens, semimalumque est, facilius alterare, concoquere, & vtile reddere possumus. Hoc pacto igitur per accidens virtus putrescentium sanationem indicare dicitur. Altero modo indicans ex accidenti, vt nonnulli rectè adnotarunt, vocatur illud, quod per se, & ratione propria nihil indicat, sed si natura quædam accidentalis ei superueniat, tunc ratione huius indicare poterit. Quod contingit symptomatibus ipsis, quę ex accidenti indicare docuit Gal. 12. meth. cap. 1. Hæc etenim per se, & ratione propria non indicant, ex accidenti autem, idest quatenus eis accidit, vt causæ rationem sustineant, vel vires lædentia, vel morbum augentia, indicare dicuntur. Vnde hac de causa indicatio ab eis desumpta ad præseruatorias pertinere videtur.

Indicans ex accidẽti dupliciter dicitur.

Ex quibus iam vnusquisque cognoscere potest Galenum rectè sensisse, dum pluribus in locis asseruit symptomata non indicare, quod intelligendum est per se, vt declaratum fuit. Nam ex accidenti considerata, & vt veluti causæ sunt, ea indicare fatetur.

Declarãtur Gal. auctoritates.

Quare quando etiam ratione ostensum fuit, symptomata indicare, cum sui ablationem interdum expostulent, quoniam vnunquodque indicans indicat vel sui custodiam, vel sui ablationem, dico verissimum esse ea, non quatenus talia sunt, & ratione propria, sed quatenus causæ rationem subeunt, dum vires lædunt, vel affectum adaugent, indicare sui ablationem.

Respõdetur 1. rationi.

Et rursus cum addebatur, eandem esse rationem morborum, & symptomatum, cum hæc à morbis, illi à suis causis pendeant, quare aut vtrique affectus, aut neutri indicabunt, respondeo minimè esse eandem rationem, quoniam morbi habent suam essentiam in facto esse, & verè subsistere dicuntur, mor-

Tollitur 2. ratio.

borum

borum autem actiones, seu offensas, quemadmodum eas in ipso, vt sic dicam, fieri esse dixeris, ita absolutè subsistere minimè dixeris, vt ait Gal. 11. meth. 12. Quocirca, cum morbi verè subsistant, & lædant actiones, primò, & per se indicant sui ablationem: symptomata verò, cum vmbræ ritu affectus comitentur, nec verè subsistant, hac ratione non indicabunt curationẽ, sed ad morborum amotionem ipsa quoque amouebuntur. At si contingat, vt propter sui vehementiam vires lædant, aut affectus adaugeant, tunc indicabunt, non quatenus symptomata sunt, sed veluti causæ lædentes.

Quænam sint illa symptomata, quæ indicant.
Cap. III.

SYmptomatum primæ differentiæ sunt tres, aut enim in actionum offensa consistunt, aut in retentorum, vacuatorumve immodico excessu, aut corporum ipsorum affectu. Quartum namque genus numerandum inter symptomata non est. Ex prædictis verò tribus actionumquidem offensæ, si contristant, solicitudinem medici ad se conuertunt, affectumque deserere cogunt: idem faciunt & eorum, quæ retinentur, vel expelluntur, excessus. At genus symptomatum, quod in affectibus consistit, alterius quidem, quem curare oportet, affectus est signum, ipsum tamen nullam seorsum curationem exigit, vt pote cum affectu, vnde nascitur, vna cessans. Atque hæc est Galeni doctrina 12. meth. cap. 1. ex qua colligimus, ex tribus symptomatũ generibus duo tantùm indicare, quando rationem causæ sustinent, & sunt actiones læsæ, & excreta mutata: tertium verò genus, nimirum qualitas mutata, seu affectus corporis nullo pacto indicare dicitur.

Cur qualitas mutata nusquã indicet.

1. Difficultas.

At oritur difficultas ex Galeni dictis. Nam si tertium symptomatũ genus, nempe qualitatem mutatam nullo pacto indicare, nullamq; curationem seorsum expostulare docuit, ea ratione, quia est alterius affectus signum, & cum affectu, vnde nascitur, vnà cessat, cum hoc commune sit omnibus symptomatibus, ergo hac de causa vel omnia, vel nulla indicabunt.

2. Difficultas.

Addunt nonnulli alij Galeni dictum videri præter rationem, quia actio læsa est in fieri, qualitas mutata, verbi gratia color in icteritia est in facto esse, ergo si actio est in fieri, & qualitas in facto esse, quomodo actio indicat, qualitas non indicat, quia cessat vnà cum morbo? Hoc falsum esse videtur, imò actio cessat vnà cum affectu, quia pendet ab eo, non qualitas.

Soluitur prior difficultas.

Priori difficultati respondeo non ideo dixisse Galenum tertium symptomatum genus, nimirum corporis affectum non indicare, quia cesset vnà cum morbo, non etenim hæc est causa, cur non indicet, cum hoc omnibus symptomatibus commune sit, sed quia nullam læsionem aut virtuti, aut affectui affert, sicuti faciunt actiones læsæ, & excreta mutata. Quocirca cum symptomatum omnium, quatenus symptomata sunt, proprium sit, esse signa morborum, & cessare vnà cum morbo, ideo sub hac ratione communi nulla symptomata indicant. Ad quod respiciens Galenus cum dixisset genus symptomatum, quod in corporis affectibus consistit, morbi quidem, quem curare oportet, esse signum, & vnà cum morbo cessare, quare nullam seorsim curationem exigere, statim subdit. Vt enim in summa dicam, nullum symptoma, quà symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat. At cum lædunt

vires,

vires, aut morbum adaugent, tunc indicant, non quidem sub ratione symptomatum, sed sub ratione causæ. Quod cum non contingat qualitati mutatæ, quæ nusquam lædit, sed solùm symptomatis vicem gerit, ideo hæc non indicat, reliqua verò symptomata indicare dicuntur, eo, quo declaratum fuit, modo, dum videlicet vel viribus, vel morbis obsunt. Quinimò neque hæc indicabunt, nisi læserint, qua de causa eorum plurima, vt visus obscuritates, deprauationes, obauditiones, & huiusmodi nihil indicant, sed solùm sunt morborum signa, & vnà cum ipsis cessant.

Respōdetur alteri difficultati.

Posteriori difficultati respondent, actionem læsam secundum suam essentiā esse in fieri, at secundum perseuerantiam læsionis, vi cuius patiens affligitur, dici potest in facto esse, & habet vim indicandi, quia perseuerat, & perseuerando cruciat. Non itaque indicant symptomata simpliciter ratione perseuerantiæ, sed ratione læsionis, quam afferunt. Nam nisi læderent, quantumvis perseuerarent, nihil indicarent. Tunc igitur solùm curationem exigunt, & indicant, quando lædunt, & summè lædunt vires vel prosternentia, vel morbum adaugentia.

Quid indicent symptomata in genere, & præsidia ab eis indicata esse diuersa ab illis, quæ expostulant morbi.

Cap. IV.

CErtum est in affectibus omnibus præter naturam, dum amouentur perpetuum manere illud præceptum, quòd contraria contrariorum sunt remedia, vt Gal. docuit 11. meth. cap. 12. Quapropter præceptum hoc verum erit etiam in symptomatum amotione, siue modò ad morbi ablationem auferantur, siue ipsa curationem seorsim expostulent.

Cōtrarietatem de symptomatibus, dum cū morbo sanātur, abusiuè dici

Id tamen discriminis interest, quòd si primo modo considerentur, nec contrarietas, nec curatio per se, & propriè de ipsis dicuntur, sed, vt ait Gal. loco nuper citato, curatio simul quidem cum affectibus ex accidenti; contrarietas verò, lucidioris scilicet, breuiorisque doctrinæ causa loquentibus, abusiuè: quippe, cum affectus, quos symptomata sequuntur, sanamus, symptomata nimirum ipsa in contrarium statum perducimus.

Symptomata, dū lædūt, indicāt præsidia sibi opposita.

At dum symptomata considerantur, quatenus lædunt, & sunt veluti causæ, tunc curationem seorsim expostulant, & præsidia sibi contraria indicant. Vt per exemplum dolor anodyna (quasi indolentia dixeris) præsidia requirit: facultas sopita, seu actio animalis facultatis abolita, vt in apoplexia, & epilepsia, facultatem excitantia remedia expostulat: vigiliæ somnum conciliantia: fluxus immodici ea, quæ adstringunt, indicant. Atque vt summatim dicam, vnunquodque symptoma, siue fuerit actio læsa, siue excretum mutatum, aut videlicet præter naturam retentum, aut immoderatè fluens, dum vrget, & valdè lædit, adeo vt ad se curationem reuocet, indicat præsidium oppositum, quocunque modo ei opponatur, quo tolli, & auferri, seu saltem mitigari possit, vt ex dicendis manifestum fiet.

Remedia symptomata respicientia morbi curationem īterturbant.

Porrò sciendum est, remedia à symptomatibus indicata, vt dictum fuit ab initio huius libri, peruertere curationem, & eam vel longiorem, vel etiam interdum periculosiorem reddere, quia tantùm abest, vt faciant ad morbi, à quo symptomata illa dependent, ablationem, quòd potius totum oppositum sequa-

tur, quoniam etiamsi aliquando morbo non aduersentur, nihil tamen ei conferunt, & curationem interturbant: si autem nocent, necesse est cuncta deteriora reddi. Quapropter, vt docet Gal. 12.meth.1. si vno remedio tum symptoma leniri, tum morbus curari queat, id vtique non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis causa remedia sumere; sed omnis eiusmodi auxiliorum species planè morbi curatio est. Quare remedia, quæ solius symptomatum curationis gratia adhibentur, aut nihil conferunt morbo, aut ei aduersantur, & ideo concludere licet præsidia à symptomatibus indicata, nedum esse diuersa ab ijs, quæ requirit morbus, sed interdum contraria: sicuti versa vice remedia, quæ morborum curationem respiciunt, etiam si sæpe vnà cum morbo symptoma quoque auferant, nonnunquam tamen symptomatibus nocent, & ea adaugent. Res est manifestanda exemplis.

Remedia, q̃ vnà cũ morbo symptoma sanant, non sunt remedia symptomatum.

Laboret aliquis pleuritide, dum misso sanguine, vel corpore purgato dolorem sanamus, id non est contra symptoma pugnare, sed aduersus morbum: similiter cum abscessum distentum, & cum dolore pulsantem diuidimus, ac pus dimittimus, eiusmodi curatio non est symptomatis. Ad hæc dum Hippocr. 6. aphor. 31. ait, dolorem oculorum, meri potionem, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectionem, aut medicamentum epotum soluere, non proponit remedia à dolore indicata, sed à causa dolorem efficiente.

Remedia symptomatũ interdum morbũ augere, exemplo dysenteriæ.

At tunc dicimus contra symptoma pugnare, quando remedia nil faciunt ad morbi curationem, sed eum etiam interdum adaugent, vt dum in dysenteria ad sedandum dolorem vtimur vel lacte, vel succo tragi, vel seuo hircino, vel simili medicamento per inferius indito. Nam huiusmodi præsidijs ipsa intestinorum exulceratio non sanatur, maximè si putredinosi aliquid habeat, sed potius adaugetur, vires tamen interim conquiescunt, & dolor sedatur: atque id est contra symptoma instare, morbo ad id tempus neglecto.

Exẽplo dolorosæ affectionis.

Amplius stupefacientia medicamenta, quæ præsertim opio sunt referta dolorem respiciunt, & sedant, attamen causæ dolorem efficienti aduersantur, maximè si ex frigida causa dolor sit excitatus, quia eiuscemodi medicamenta impensè refrigerantia affectum doloris causam curationi contumaciorem reddunt, & sæpe, vt docuit Gal. 8. localium 3. ad immedicabilem frigiditatem perducunt.

Aliquando curationem impedire exemplo febris cui colicus superueniat dolor.

Nonnunquam verò remedia symptoma aliquod respicientia etiam si morbo nil officiant, neque ei contraria sint, cum tamen ei nihil conferant, saltem curationem ipsam impediunt, & longiorem reddunt. Vt exempli gratia si quis febre laborans corripiatur dolore colico, tunc medicus coactus erit derelicta febre dolorem curare. Vnde etiamsi remedia huic symptomati opportuna talia sint, vt febri minimè aduersentur, sed neque ei conferant, necessariò interturbabitur febris curatio, & longior reddetur.

Morborũ remedia interdũ symptomata exacerbant.

Ex altera parte præsidia, quibus morbis occurrimus, interdum symptomata ipsa exacerbant, vt quando ad dysenteriæ curationem, præcipuè cum grauissima est, vtimur medicamentis maximè mordentibus, sicuti exempli gratia est muria. Hæc enim putredinosum intestinorum vlcus sanat, sed dolorẽ auget.

Dubitatio aduersus prædicta.

Cœterùm occurrit difficultas. Nam si dantur præsidia symptomatibus occurrentia, quæ morborum curationi aut nihil conferunt, aut aduersantur: & rursus si dantur remedia, quæ quidem morbum curant, sed interdum symptomata exacerbant: & denique reperiuntur præsidia, quæ morbis quidem præcipuè, sed symptomatibus etiam vno, & codẽ tempore opitulantur, vt hucvsq; allata

allata exempla luce meridiana clarius oſtendunt. Ergo rationi conſentaneum eſſe videtur, vt reperiantur remedia, quæ etiamſi ſymptomata præſertim reſpiciant, morboſam quoque affectionem adiuuent. Non erit igitur ſemper verũ, quòd remedia à ſymptomatibus indicata diuerſa ſint, aut contraria illis, quæ morbo auxiliantur, ſeu quòd morbis, aut nihil conferant, aut contraria ſint. Exemplo res manifeſtetur. Certum eſt medicamenta opio referta ſymptomatum gratia inuenta fuiſſe, ſiue ad conciliandum ſomnum, ſiue ad fluxiones ſiſtendas, ſiue præſertim ad ſedandum dolorem. Hoc ſuppoſito, habemus Gal. doctrinam 12.meth.8. medicamenta, quæ ex papaueris ſucco, & alterco, & eo modo frigidis compoſita ſunt, ſimul omnino & refrigerare, & ſiccare, qua ratione non ſolum vt ſenſui torporem inducentia ſalutaria ſunt, ſed etiam vt humorum tenuitatem cogentia, atque craſſantia, præterea vehementem calorẽ refrigerantia. Quare ex his Galeni verbis colligere licet, ſi dolor pendeat ab intemperie calida, & humorum tenuitate, remedia opio referta, quæ à dolore indicantur, nedum ſymptoma reſpicere, ſed etiam efficientem doloris cauſam iuuare.

Huic difficultati reſpondeo diuerſa indicantia omnino diuerſa remedia indicare, quare, cum ſymptomata, dum rationem cauſæ ſuſtinent, inter indicantia connumerentur, & diuerſa ſint ab affectibus, à quibus pendent, neceſſarium eſt, vt non ſolum diuerſa, ſed etiam ſæpe contraria remedia indicent, vt oſtenſum fuit. Siquidem vnum ab vno tantùm indicatur. Quocirca quando dicitur, quemadmodum dantur remedia, quæ morbum ſanant, ſed vnà etiam ſymptoma curant, vt miſſio ſanguinis in pleuritide, ita rationi conſentaneum eſt, quòd reperiantur remedia, quæ ſymptoma præſertim curent, ab eo indicata, ſed interdum etiam morboſæ affectioni opitulentur, vt opiata præſidia in dolore pendente ab intemperie calida, & humorum tenuitate. Reſpondeo vtrunque eſſe per accidens: vnum etenim præſidium à duobus indicari nequit primò, & per ſe, ſed ab vno per ſe indicatur, ab altero per accidens. Ita ſentiebat Gal. 11.meth. 12. ſymptomata per accidens curari ab ijs præſidijs, quæ à morbo per ſe indicantur. Ita ex altera parte ſentiendum eſt de præſidijs à ſymptomatibus indicatis, dum morboſum affectum iuuant, quòd videlicet id præſtent per accidens. Cum etenim accidat, medicamenta opio referta frigida eſſe, & ſicca, ideo intemperiem calidam refrigerantia, & humorum tenuitatem cogentia cauſæ dolorem efficienti occurrunt. Sic etiam docuit Gal. 3.localium per papaueris ſuccum mitigari ſolùm dolorem, nihilque iuuari affectiones: attamen per accidens, non primariò, etiam affectiones inde opem ſentire, quis dicere poſſit. Sedato enim dolore, & ſomno conſequente, natura affectiones dolorem efficientes concoquit.

Solutio.

Clarum eſt igitur indicationes à ſymptomatibus deſumptas diuerſas eſſe, & ſæpe contrarias illis, quæ à morbis deſumuntur, & remedia, quæ ſymptomatibus occurrunt, aut nil conferre morborum curationi, aut etiam ei aduerſari, niſi quandoque per accidens auxilium ferre dicantur. Cum autem præſidia tum morbum, tum ſymptoma vnà curant, hæc non à ſymptomatibus, ſed ab affectu ſymptomata producenti indicantur, & ideo huiuſmodi præſidijs non pugnamus aduerſus ſymptomata, ſed aduerſus morbum, aut morbificam cauſam, de quibus lib. 3.& 4. abundè actum fuit. Nunc autem ea tantùm contemplamur, quæ ſymptomata ipſa reſpiciunt, quando ſeorſim curationem expoſtulant.

Indicationes à ſymptomatibus deſũptæ aut diuerſæ, aut cõtrariæ sũt illis, quæ ab affectib. capiuntur.

Enumerantur symptomata, de quibus interim est agendum. *Cap. V.*

Non omnia symptomata sunt consideranda.

DIctum fuit supra cap. 3. ex tribus symptomatum generibus duo esse, quæ interdum indicant, & curationem seorsim exigunt, quando videlicet sunt veluti causæ lædentes, quia vel vires labefactant, vel morbosam affectionem adaugent: sunt autem actiones læsæ, & excreta vel retenta, vel immodicè fluentia. Porrò nimis generica sunt isthæc, nec ex ipsis colligere possumus, quid sit agendum, nisi prius ea in suas species diuiserimus, & quæ interim consideranda, quæve prætermittenda sint, dixerimus. Non enim omnia considerare debet, qui de medendi methodo pertractat, sed illa tantùm, quæ vniuersalibus præceptis, & vniuersali quadam methodo egent, quæ omnibus particularibus communis sit.

Actiones naturales læsæ excludūtur ab hoc tractatu.

Actiones itaque læsæ aut naturales sunt, aut animales, aut vitales. Naturales, attractio, retentio, concoctio, excrementorum expulsio, nutritio dicuntur, quæ omnes læduntur, vel quia non fiunt, vel vix, vel deprauatè. De quibus ne verbum quidem addere licet, quia huiusmodi symptomata nullam seorsim curationem exigunt, sed ad causarum ea efficientium amotionem auferuntur, de quibus proprijs tractatibus agitur.

Animales verò actiones sunt, vel sensitrices, vel motrices, vel principes, quæ pariter vel non fiunt, vel vix, vel deprauatè. Hinc plura oriuntur symptomata, conuulsiones, deliria, vigiliæ, somnus immoderatus, dolores, cæcitates, visus obscuritates, eiusdem deprauationes, surditates, obauditiones quædam, & alia quamplurima. Horum, & similium nonnulla sunt tantùm signa affectionum, & vnà cum ipsis cessant, & hæc nihil indicant, cum neque vires prosternant, neque affectus adaugeant, vt sunt visus obscuritates, deprauationes, surditates, conuulsiones, & similia, præterquamquod proprijs tractatibus considerantur. Alia verò interdum etiam vires debilitant, & ideo curationē aliquam ab affectu, à quo dependent, diuersam expostulant, vt sunt præsertim vigiliæ, & dolor vehemens. De vigilijs nihil dicendum, cum peculiarem tractationem requirant.

Ex animalibus actionibus læsis dolor considerandus est.

Cōsiderāda pariter animalis facultas sopita.

De dolore autem cum sit symptoma quoddam omnibus sentientibus partibus commune, interim agendum est: atque docendū, quid in vniuersali indicet dolor, & qua ratione præsidia dolorem respicientia rectè administrari debeant. Rursus cū ad animales actiones pertineat quoque symptoma illud, quando videlicet facultates animales nihil operantur, & sopitæ sunt: ita vt omnes actiones, aut saltem sensitrices, & principes abolitæ sint, ideo de hoc quoque symptomate aliquid in genere dicemus, vt habeamus vniuersalem quandam methodum, qua, quid agendum sit ad sopitam facultatem excitandam, nouisse possimus.

De syncope etiā agendū.

Vitales actiones sunt respiratio, & pulsus, de quarum læsione non est hic agendi locus. Verùm ad vitales actiones læsas pertinet etiam syncope, seu animi deliquiū, seu virium dissolutio: sub quo symptomate etiamsi præter actiones vitales lædantur quoque animales, vt ideo dicatur præceps omnium viriū lapsus: attamen quia vitales primò afficiuntur, animales verò secundario, ideo ad vitales potius, quàm ad animales reduci debet, & de hoc quoque agere oportet.

Alterum symptomatum genus consistit in immodico vacuatorum, aut retentorum excessu: de quibus duobus symptomatibus similiter pauca quædam dicere decreui, & docere vniuersaliter quibus præsidijs, tum immoderatis euacuationibus, quæ summopere vires prosternunt, tum excrementorum retentionibus, quæ præsertim affectiones morbificas adaugent, occurrere liceat.

Excreta quoque mutata considerãda sunt.

Quapropter quinque occurrunt symptomata, de quibus interim agendum esse operæ precium esse duxi, nimirum dolor; syncope, seu animi defectus; actiones animales, aut saltem principes, & sensitrices simul omnes abolitæ: immodicæ euacuationes: & eorum, quæ excerni deberent, suppressiones.

Enumerantur symptomata, de quibus agẽdum est.

De dolore, & à quibus desumendæ sint indicationes, vt mitigetur.

Cap. VI.

Dolor inter symptomata, quæ vires lædere, & morbosas etiam affectiones augere possunt, non vltimum sibi vendicat locum. Nam dolores si vehementes, & longi fuerint, summopere vires debilitant, vt Gal. placuit 1. ad Glauc. cap. 14. & 3. acutorum tex. 33. id quod experientia docet, cum videamus interdum nonnullos ob doloris vehementiam mori. Insuper morbosas dispositiones adauget, quia ex dolore febris, si adest, augetur, si non adest, sæpe accenditur; augentur pariter inflammationes, & humorum fluxiones. Ideo de doloris curatione quædam dicenda sunt, non tamẽ de vera curatione, quoniam hæc efficitur per medicamenta respicientia causas doloris, de qua in præsenti non est agendi locus: sed interim ea tantum doloris curatio consideranda est, quam coactam curationem passim medicorũ vulgus appellat, quęq; dirigitur ad huiusmodi symptoma, non autem ad illius causas, ad quarũ ablationem verè sanatur, quotiescunque scilicet adeo grauis, & vehemens est dolor, vt vires debilitans, vel affectum adaugens rationem causæ lædentis sustineat, & totam ad se curationem reuocet.

Qua ratione autem dolori occurrendum sit, cognosci nequit, nisi prius supposuerimus, quid sit dolor: propterea quod indicationes desumuntur à natura rei. Dolor itaque, vt colligere licet ex Gal. 2. acutorum tex. 1. & 2. de loc. aff. 2. est tristis sensus excitatus in corporibus sensibilibus mutationem multam, & subitam in id, quod præter naturã est suscipientibus. Quocirca in dolore duo considerantur, quorum vnum pertinet ad eius causam formalem, alterum ad efficientem. Causa formalis est, quòd sit tristis sensatio, quæ vt fiat, rursus duo requiruntur, nimirũ receptio obiecti contristantis, & iudicium: nisi enim sensibile egerit in sensorium, & sensorium senserit se sentire, idest animaduerterit se affici, & pati à sensibilibus, profectò nullus sequetur sensus: quare cum hæc duo necessariò requirantur in sensatione secundum naturam se habente, aderunt etiam in tristi, & dolorosa sensatione. Vnde Gal. 1. de elementis cap. 2. dicebat, vt aliquid doleat, duo simul concurrere necesse esse, alterationem inquam, & sensum. Et Hippocr. 2. aphor. 6. scribebat, quicunque dolentes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt, ijs mentem ægrotare. Duo itaque erunt ex parte causæ formalis doloris, quæ indicant, quid agendum sit, vt mitigetur, nimirum facultas sentiens, & organum sensus tactus, à quo debet fieri receptio obiecti contristantis, seu in quod obiectum dolorificum agit.

Quid sit dolor.

Vt fiat dolor, requiritur obiecti receptio, & iudicium.

Indicationes à causis doloris non omnes faciũt ad ueram curationem.

Quatenus verò pertinet ad efficientes causas doloris, hæ multæ esse possunt, quarum nonnullæ ita dispositæ sunt, vt ad earum ablationem omnino sanetur, & auferatur dolor, (quæ est vera dolorosæ dispositionis curatio.) Nam remedia, quæ has respiciunt, dicuntur non anodyna, cum ad dolorem non referantur, vt inquit Gal. 5. simpl. 19. sed curantia affectum, quem dolor sequitur, de quibus interim non est sermo. Aliæ verò causæ reperiuntur, quæ quidem ad dolorem efficiendum concurrunt, sed ad earum ablationem dolor non sanatur, sed tantummodo mitigatur, & istæ præsertim sunt duæ, nimirum partis dolentis continuitatis solutio, & materia quædam siue humorosa, siue vaporosa in dolente parte existens, de quibus causis pauca quædam dicenda sunt.

Quot sint illa, quæ indicant in dolore.

Quapropter ea, quæ indicant præsidia aliqua dolorem ipsum respicientia, quatuor erunt, nimirum facultas sentiens: organum ipsius sensus tactus, quatenus ab obiecto contristante afficitur, & eius actionem recipit: amplius dolentis partis continuitatis solutio: & denique materia quædam, quæ in parte dolente reperitur. Quid horum vnumquodque indicet, vt mitigetur dolor, dum induit rationem causæ vel prosternentis vires, vel augentis affectionem, declarare oportet.

Quid indicet facultas sentiens. Cap. VII.

IN primis itaque occurrit facultas sentiens, seu cognoscens obiectum contristans, quæ indicat sui distractionem ab hoc obiecto contristante ad obiectum vel iucundum, vel molestius. Nam distracta facultate sentiente absq; dubio mitigabitur dolor.

Distrahitur, (vt dicunt) facultas ab obiecto molesto ad iucundum, quando exempli gratia cantu, musicorum instrumentorum sono, amicorum colloquijs, fabulis, & huiusmodi animum ægrotantis distrahere, & ita dolorem demulcire quærimus. Sed leuiora sunt isthæc, & penè risu digniora, quàm quòd possint acerbum mitigare dolorem.

Qua ratione intelligendus sit Hipp. dum ait dolorẽ sedare dolorẽ, ex Gal. mente.

Distrahitur verò facultas ab obiecto molesto ad molestius, cum alius dolor inducitur. Vnde illud Hippocr. 6. epid. 2. tex. 9. Dolor dolorem sedat. Quæ sanè sententia dupliciter intelligi potest. Vno modo, vt interpretatur Gal. in commento, nempe per accidens, vt quando exempli gratia in coxendicis morbo coxa adusta dolorem dolore sanamus. Neque enim à dolore, sed ab exustione, cui fortè dolor adiunctus erat, partem illam calefaciente, & exsiccante humorem illum mucosum, & frigidum, qui doloris causa erat, quiq; ob vlcus inductum educitur, ægritudo sanata fuit. Quo pacto si intelligatur illa Hippocr. sententia, quomodo cum Gal. intelligendam esse existimo, non facit ad rem propositam. Siquidem in præsenti loquimur de vehementiori dolore distrahente facultatem ipsam ab obiecto molesto ad molestius.

Aliorum interpretatio.

Quare nonnulli aliter sententiam hanc interpretantur dicentes, id sibi voluisse Hippocr. quod similiter dixit 2. aphor. 46. duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus vehementiorem alterum obscurare. Rationem reddit Gal. in commento, quoniam vis sensibilis tota ad vehementiorem ducitur, ac distrahitur. Nam & hoc nobis in mœroribus solet accidere, qui sunt & ipsi veluti dolores quidam solius animi sine corpore. Horum etenim qui sunt vehementiores occultant minores, modò non eadem è re ortum habeant:

alioqui

alioqui & illi se ipsos mutuè augent: sicuti etiam duo dolores eandem corporis partem infestantes augent loci afflictionem: quoniam si quis eundem exquisitè locum intelligat, nunquam duo possunt in eodem fieri dolores, si quis verò latè possibile est.

Reijcitur prædicta interpretatio.

Veruntamen hæc curatio doloris, vt ego arbitror, omnino præter rationem videtur. Dolor enim non suapte natura dolorem sedare, sed contra omnino irritare idoneus est, vt rectè dixit Gal. 6. epid. citato. Et absurdum prorsus esset, vehementiorem excitare dolorem, vt minor sedaretur, aut non sentiretur.

Respondetur obiectioni.

Quòd si quis diceret nonnunquam vesicatoria parti non dolenti adhiberi, quibus excitatur vlcus, & dolor, qui est in causa, vt prior dolor leniatur, & auferatur. Ego versa vice responderem id contingere non ratione facultatis distractæ ab obiecto molesto ad molestius, de qua distractione in præsenti loquuntur: sed quia à dolore, & vlcere à vesicantibus inducto attrahitur, & attracta educitur causa dolorem efficiens, vnde prior dolor sedatur. Qua ratione intelligi debet Hipp. sententia 6. epid. citato, vt rectè interpretatur Gal. in commento, sicuti dictum fuit, quoniam dolorosa illa curatio dirigitur non ad dolorem, sed ad doloris causam auferendam.

Declaratur alia Hippoc. auctoritas de dolore vehementiori obscurante minorem.

Et si Hipp. 2. aphor. 46. dixit, duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus vehementiorem alterum obscurare: non tamen ita intelligi debet eius sententia, vt voluerit quandoque in curatione doloris vehementiorem dolorem excitandum esse, quo solùm distraheretur facultas ab obiecto molesto ad molestius. Nam hoc Hippocr. dogma non fuit traditum gratia curationis: sed est purum præceptum physicum, fortasse vt admoneret medicos, ne, si quando duo dolores infestarent, & horum vnus vehementior esset, medicus paruipendens minorem maiori tantùm intentus esset. Siquidem neque minor negligendus est, vterque enim adest, cum à maiori non tollatur minor, sed solùm obscuretur, vt inquit Hippocr.

Quid indicet pars, quatenus sensibilis est, & de stupefacientibus præsidijs. Cap. VIII.

AD dolorosum sensum efficiendum duo concurrere dicebamus alterationem videlicet, seu receptionem obiecti contristantis ab organo sensu prædito, & iudicium, quod est facultatis sentientis munus, dum animaduertit, & iudicat se sentire. Quid facultas indicet ex aliorum mente declaratum fuit, nunc quam indicationem præbeat pars sensu tactus prædita, ratione cuius dolet, dicendum, quia vt dicebat Gal. 12. meth. 7. manifestum est partes, quà prorsus sunt insensibiles, eas non dolituras, quoniam sensibus duntaxat dolor accidit. Quare si ferè insensibiles reddantur partes, earum profectò dolor mitigabitur, redduntur autem tales à medicamentis, quæ habent vim stupefaciendi. Est etenim stupor, vt ait Gal. 5. simpl. 19. paulò minus quàm insensibilitas, sensusve priuatio.

Stupefacientia medicamenta, à quibus indicentur.

Quapropter stupefacientia medicamenta indicantur ab organo, quatenus est sensu præditum, vt ijs mediantibus quasi insensibile, & stupidum redditum, pauca fiat in ipso alteratio ab obiecto contristante, & ita mitigetur dolor. Quæ sanè remedia, cum sint summè frigida, &, vt ait Gal. 5. simpl. citato, absoluto vtentia frigore partem obstupefaciant: ideo nonnulli dicunt ea indica-

ri à calido, quod est organum tactus: nam quo pars calidior, eò etiam sensum habet magis exquisitum. An hoc sit verum, nolo interim disputare, id certũ sanè est, membranas esse frigidas, & exquisitissimo sensu tactus præditas. Vtcunque se res habeat, opiata, seu stupefacientia medicamenta, vt docuit Gal.3.meth.cap.2. nulla alia re sublati ad præsens doloris speciem præstant, quàm quòd ipsum sensum enecant. Quare à sentiente parte, quatenus à sensibilibus dolorificis, cum sensibilis sit, pati potest, indicabuntur similia præsidia, vt ijs mediantibus ferè insensibilis reddita parùm patiatur, & doleat. Atque hæc est causa, cur medicamenta hæc impropriè anodyna vocentur, veluti si quisquam, vt ait Gal.5.simpl. hominem mortuum dicat anodynon, quia dolore vacet. Considerantur itaque interim quatenus stupefacientia sunt, quia stupefaciendo sensum ferè extinguunt, & dolorem mitigant. Nam si considerentur, quatenus incrassantia sunt, & cogentia tenuitatem humorum, tunc non amplius ad dolorem referuntur, sed ad humores fluentes, & gerunt vicem intercipientium, de quibus lib.4.cap.49. actum fuit. Rursus si considerentur similia medicamenta ea ratione, qua somnum concilient, tunc à vigilijs præter naturam indicantur. Non etenim inconueniens est, remedium aliquod à diuersis indicari posse, quatenus diuersis facultatibus est præditum.

Difficultas, an stupefacientia conueniant.

Sed difficultas est, an conueniant huiuscemodi remedia, propterea quod sua frigiditate valdè debilitant calorem innatum, & sæpe, vt docuit Gal.8.local.3. ad immedicabilem frigiditatem corpora perducunt.

Difficultatis determinatio ex Gal.

Existimo cum Gal.12.meth.1. nec omnino fugiendum esse vsum stupefacientium medicamentorum, nec inconsultò, & temerè ijs vtendum. Nam si fas est ijs remedijs, quæ morbum sanent, vtendi, quod optamus efficere, abstinendum à sopientibus medicamentis est: sin ex vigilijs, & viribus resoluendis ad mortis discrimen æger tendat, tùm profectò tempestiuè ijs medicamentis vtare, scilicet non ignarus, corporis habitum nonnihil ex his lædendum, læsionem tamen, quàm mortem, potius eligendam. Nam si hæc admodum magna non sit, saltem postea spatio longiore eam sarcire licebit: sin ita est immodica, vt nec prolixo spatio persanari queat: ac certè hanc ipsam eligendam potius remur, quàm vt homo pereat. Hæc Gal. Vnde damnat, tum medicos illos, qui omnino fugiunt vsum horum medicamẽtorum, tum illos, qui in eorundem vsu modum excedunt: priores quidem, quoniam crudelis hominis officium faciunt, qui, dum intempestiuè animosi videri volunt, & prorsus horum medicamentorum vsum refugiunt, doloribus ægros iugulant, & vnà cum morbo vitam quoque homini auferunt in affectum destruentibus auxilijs perseuerantes: posteriores verò, quia adulatoris vicem gerunt, quoties in horum medicamentorum vsu modum excedunt, vt ægris gratificentur: ita enim voluptatem, non sanitatem pro meta gerendorum habent.

Medici interdum crudelis, interdum adulatoris officiũ faciunt.

Stupefacientibus nõ esse indiscriminatim vtendum.

Illud quoque circa medicamenta præsertim intensè stupefacientia adnotãdum est, quod docuit Gal.12.meth.8. ijs videlicet indiscriminatim non esse vtendum in dolore à quacunque causa producto. Nam quæ ex papaueris succo, & alterco, & eo modo frigidis composita medicamenta sunt, simul omnino & efrigerant, & siccant, qua ratione non solum vt sensui torporem inducentia salutaria sunt, sed etiam vt humorum tenuitatem cogentia, atque crassantia præterea vehementem calorem refrigerantia. Vbi verò crassi, glutinosiq; humores exuperant, alienissima sunt, quæ torporem inducunt, cauendusque magnopere in eiusmodi affectibus eorum vsus est.

Non tamen ex hoc quis absolutè colligat, vbi crassi, glutinosique humores exuperant, semper ab huiuscemodi medicamentis stupefacientibus abstinendum esse. Non enim id sibi voluit Galenus, sed solùm quòd summè vereri debemus horum medicamentorum vsum in affectibus ab humoribus crassis, glutinosis, & frigidis prouenientibus: Quia ab eorum vsu interdum etiam mors necessariò consequitur, vt docuit Gal. 12. meth. 8. nuper citato exemplo eorũ, qui laborant dolore colico propter humores crassos, glutinosos, & frigidos inter intestinorum tunicas contentos. Hi enim dum calfiunt, flatuosum spiritum gignere solent, qui tunicas distendens vehementẽ causat dolorem, adeo vt coacti sint medici vti torporem inducentibus remedijs ad dolorem sedandum. Cœterùm affectus omnino fit maior. Nam intestinorum tunicæ medicamentorũ frigiditate densiores, minusque flatui transmittendo habiles redduntur, & humor ipse tum crassior, tum ad motum ineptior euadit. Itaque & spatio longiore ad ægri curationem, & medico, qui egregiè in arte sit exercitatus, est opus. Nisi enim certa ratione postmodum curationem aggredietur, verendum erit, ne succi secundo in flatuosum spiritum versi eundem dolorem renouent: vnde rursus stupefacientium aliquid medicamentorum exhiberi sit opus, eadem scilicet necessitate vrgente: ac pari modo tertio, & quarto, & sæpe deinceps, quoad homo insanabilis effectus in malum totius corporis habitum perueniat, & post longa tandem tædia pereat. Hæc Gal. Vbi igitur à frigida causa dolor est excitatus, semper formidare debemus vsum remediorum stupefacientium, & ijs cautè admodum, & nisi magna cogente necessitate vtendum, quando videlicet summum vitæ periculum imminet. Magna etenim potius læsio, quæ nec etiã amplius persanari queat, eligenda est, quàm mors ipsa. Id itaque in similibus affectibus obseruandum est, vt opportunis præsidijs doloris causam respicientibus rectè curetur affectio ipsa, ne sæpius torporem inducentibus vti coacti simus; & si quando necessitas vrgeat, vt huiusmodi stupefacientia minus sopientium medicamentorum, plurimum verò calefacientium sibi admistorum admittant, quia hac ratione frigidæ causæ dolorem efficienti minus nocua erunt.

Stupefacientia ĩ affectibus frigidis magis timẽda.

Vbi verò humores dolorem facientes calidiores, & tenues sunt, & intemperies impensè calida, audaciùs ijs vti possumus, quia nedum symptoma respiciunt, sed ex accidenti etiam, quatenus videlicet frigida, & sicca sunt, affectui dolorem efficienti aliquo pacto prosunt.

In affectib. calidis audacius stupefacientibus uti licet.

Concludendum igitur ex dictis non omnino cùm dolor valdè vrget, abstinendum esse à sopientibus medicamentis, sed cautè tantùm esse administranda. Atque eò magis interdum ipsis vtendum, quia licet per stuporem inducentia remedia, mitigetur solùm dolor, nihilque iuuentur affectiones: attamen per accidens non primariò, etiam affectiones inde opem sentire, quis dicere possit: sedato enim dolore, & somno consequente, natura affectiones dolorem efficientes concoquit. Atque hæc est Gal. doctrina 3. localium.

Stupefacientia per accidẽs affectiones dolorem efficiẽtes iuuant.

Si itaque ob propositas rationes cautè admodum stupefacientibus remedijs vtendum est, cum eorum intempestiuum, & immoderatum vsum insanabilia damna sæpe consequi soleant, quia præsertim corpora intensiùs, quàm par sit, refrigerant. Ideo præter iam dicta, tria etiam summè necessaria obiter adnotanda sunt, vt tutò huiuscemodi præsidijs dolori occurrere possimus, & minor inde læsio sequatur. Vnum spectat ad eorum compositionem: alterum ad eorundem ætatem: & tertium ad noxæ ab eis illatæ correctionem.

Tria notãda summè necessaria.

Primũ pertinet ad stupefacientium cōpositionē.

Circa compositionem ex Gal. 9. localium 4. noto stupefacientibus, sicuti sunt opium, mandragoræ radix, hyoscyamus albus, ea admiscenda esse, quæ aut concoquere, aut mitigare dolorosam affectionem, aut humores affectionem efficientes discutere, aut secare, aut attenuare, aut iuxta totam substantiam alterare queant. Quare concludit eum optimum esse compositionis scopum, qui trium coniectationi sit intentus, nimirum vt & sensus stupefaciat; & nullum in posterum circa particulam detrimentum permaneat: ampliusq; vt affectio ipsa maximè inde iuuetur. Quod probat exemplo philonis, vt vnusquisque apud ipsum videre potest. Vnde, sicuti docuit 12. meth. cap. 1. quæ plurimum sopientium in se habent, ea ad præsens quidem magis sunt efficacia, cœterum valentem, & remedijs rebellem in ægrotantis corpore frigiditatem relinquunt: quæ horum in se habent minus, calfacientium verò sibi admistorum plurimum, ea quantò sunt ad præsens minus efficacia, tantò in futurum minus sunt noxia.

2. ad ætatē.

Quoad ætatem sciendum est ex Gal. 12. meth. citato omnia sopientia remedia magis salubria esse, si post annum à compositione sumantur. Ergo, sicut cauendus est, quantùm fieri potest, eiusmodi medicamentorum vsus, ita, si necessitas vrget, nec admodũ noua sunt offerenda, quòd frigida, quæ in his sunt, præualentes vires adhuc habeant, nec ita antiqua, vt spem nostram illudant: sed tandiu dimittenda sunt, quousque violentia refrigerantium, ab eorum, quę calefaciunt, vi mitigetur.

3. ad noxæ correctionē.

Denique, si fieri potest, corrigenda est noxa, quæ sequi solet vsum horum præsidiorum. Quod præcipuè obseruatur in medicamentis extrinsecus alicui dolenti parti adhibitis, post quorum vsum in hũc finem sanitatis tempore particulas ipsas excalfacere debemus. Hoc etenim est Gal. dogma 12. meth. cap. 8. vbi in vehementibus doloribus oculorum, & aurium, vt saluti hominum in præsens prospiciat, ipsam futuram noxam, quam huiusmodi præsidia inferre solent, posthabens, ijs vtendum esse docet, sed postea ad offensæ correctionem iubet, vt postmodum in sanitatis tempore particulas ipsas excalfaciamus. Adeovt illa eademmet pars, quæ prius vehementi dolore affecta ratione sensus indicabat stupefacientia ad dolorem leniendum, nunc ratione imbecillitatis caloris ab eorundem medicamentorum vsu contractæ indicet calefacientia, vt noxa, quam passa fuit, corrigatur.

Stupefacientium quædā intensè, quædam remissè stupefaciunt.

Porrò stupefacientium medicamentorum quædam intensè stupefaciunt, quædam verò remissè, quod pertinet ad quantum agendum, hæc à minori dolore, illa à vehementiori indicantur. Veruntamen præter doloris vehementiam, vt sciamus, an validis, an potius mitioribus stupefacientibus vtendum sit, respicere etiam oportet ea, quę horum remediorum vsum si non prohibere, dum necessitas valdè vrget, saltem valdè suspectum reddere possunt. Vt sunt ætas, sexus, temperamentum, virium, & caloris imbecillitas, frigidæ affectiones ab humoribus crassis, & viscidis prouenientes. Nam in ætate puerili, & decrepita, in mulieribus, temperamentis frigidioribus, caloris languore, & affectionibus frigidis, si ratione vehementiæ doloris ad stupefacientia recurrendum sit, abstinere debemus ab ijs, quæ intensè stupefaciunt, & mitiora eligenda, vt minor inde noxa sequatur.

De recta stupefacientium administratione, & primò de vtendi modo. Cap. IX.

Vbi agẽdum à quo indicetur.

AD vtendi modum pertinet, tum vbi, tum quomodo agẽdum. Vbi agendum, indicatur à subsistentia doloris: hinc medicamenta hæc vel intrò assumuntur, vel extra administrantur: si extrinseca fuerint, parti affectæ dolenti admoueri debebunt: si verò interna erunt, tunc vel per os assumũtur, vel per clysteres in ventrem inijciuntur, aut etiam in vesicam, vel vterum, si dolor eas partes infestauerit.

Quomodo agendum pluribus perficitur. Siquidem diuersis formulis administrantur huiuscemodi præsidia, de quibus interim nil dicere oportet. Amplius ad id pertinet nouisse, an pluribus vicibus, & sæpe, an rarò ipsis vti debeamus. Rursus an calida actu, frigidave conueniant. Et denique an semper à leuioribus sit inchoandum.

An stupefacientibus sæpe, an rarò vtẽdum sit.

De primo quæsito ita statuo, quantùm fieri potest, vitandum esse horum medicamentorum vsum, quare rarò ijs vti debemus. Nosse enim oportet, vt inquit Gal. 8. localium cap. 3. corpora viuentium mortificationi simile quippiam perpeti ab omnium ex opio, & hyoscyamo, & mandragora compositorum pharmacorum vsu, nimirum causis dolorem infligentibus insensibilibus factis, & multi sanè, qui assiduè talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. Rarò itaque vtendum est sopientibus medicamentis, cum innatum calorem, tum corporis vniuersi, tum vniuscuiusque partis imbecillum reddant.

An actu frigidis vtendũ ad dolorẽ mitigandum. Quid Hipp. senserit.

Verum autẽ medicamenta frigida actu ad dolores sedandos adhibenda sint, docuerunt Hippocr. & Gal. qui quandoque præsidijs actu frigidis ad demulcendos dolores vtendum esse scripserunt. Hippocr. quidem 5. aphor. 25. dicens, tumores articulorum, atque dolores absque vlcere, & podagricos quoq; atque conuulsa, horum plurima frigidam aquam largè effusam leuare, & extenuare, soluereque dolorem. Nam modicus torpor dolorem soluit. Cuius effectus causam vt cognoscamus, sciendum est ex Gal. in commento Hipp. non loqui de tumoribus, & doloribus quibuscunque, sed de ijs tantùm, qui fiunt propter inflammationem, aut reliquas accensiones cum rubedine à recenti sanguine factas, idest ob inflammationes incipientes, & à calidioribus humoribus ortum trahentes: tunc enim aqua frigida largè effusa duplici de causa iuuat, primò quia cohibet humorum influxum, & hac ratione corpora euacuat, propterea & dolorem in talibus soluit, quia eius causam abscindit. Secunda causa ab Hippocr. & Gal. reddita est, quia refrigeratio partium largior affert torporem mediocrem, qui dolorem soluit sensum hebetando.

Quid Gal.

Pariter Gal 6. epid. 6. tex. 5. docet, quando medicamentis actu frigidis ad dolorem sedandum vti liceat. Refrigeratione, ait, rariùs sedandis doloribus vtimur, membrorum quidem exteriorem superficiem densante, & propterea difflationes impediente, distenta verò magis intendente. Solas igitur calidas intemperies sine materiæ multitudine factas refrigeratio discutiet: sicut in capitis dolore ob solis æstum, aut febrium ardorem, caput oleo rosaceo frigido perfundentes symptoma curamus, & erysipelata ob excellentem calorem dolorem inferentia, necnon & podagras, in quibus biliosa, calidave fluxio est.

Patet igitur, ni fallor, ex Gal. & Hippocr. sententia, quando ad dolores sedandos vtendum sit medicamentis actu frigidis.

Notandum.

Verùm notandum est huiusmodi præsidia actu frigida ab Hippocr. & Gal. proposita habere vim stuporem aliquem inducendi, non ratione propria, sed ratione frigiditatis, quam actu habent. Vnde medicamenta, quæ per se prædita sunt stupefaciendi facultate, non ratione frigiditatis actu, sed ratione propria stupefacere dicuntur. Quinimò (de externis loquor) si actu frigida adhibeantur, non adeo facilè ad actum à calore natiuo partis deducentur, & operabuntur.

An semper à leuiorib. stupefaciẽtibus sit inchoandum.

Tandem ad vtendi modum pertinet etiam cognoscere, an semper à leuioribus sit inchoandum, & prius externa tentanda, deinde ad fortiora, & interna deueniendum, vt nonnulli existimarunt. Ego credo vehementiam doloris illam esse, quæ nos doceat, an prius leuiora vsurpanda sint, an fortiora. Nam si dolor sit vehemens, & valdè vrgeat, atque vires maximopere prosternat, frustra leuiora vsurpantur, sed statim ad valentiora deueniendum, quoniam periculum est in mora. Quod colligo ex Gal. 5. meth. cap. 15. vbi loquens de sanguinis reiectione è pectore, aut pulmonibus, damnat medicos illos, qui semper à leuioribus medicamentis inchoandum esse existimant. Minimè, inquit, (sicuti medicorum nonnulli censent) à paruis incipiendum auxilijs est: nec, sicuti illi dicunt, sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda, mox, si nihil profecerint, aggredienda maiora. Nam in morbis, in quibus periculum non impendent, vera ea opinio est. At vbi moriendum ægro prorsus est, si phthoe semel exceptus sit, alienissimum à ratione est, à minoribus inchoasse. Nam sicuti reliqua omnia ab Hippocr. tradita, ita illa quoque sententia rectè est dicta, nempe ad vltimos morbos vltima prorsus remedia maximè valere. Ita ego in præsenti de dolore loquens dico, si dolor adeo vrgeat, vt vires vehementer lædat, & vitæ periculum immineat, alienissimum à ratione esse, tẽtare prius medicamenta stupefacientia leuiora, sed statim ad fortiora recurrendum. At si dolor non ita sæuus sit, non erit præter rationem prius experiri leuiora, deinde, si opus erit, ad validiora ascendere.

Non semper prius leuiora præsidia tentanda, ex Gal. mente.

De opportuno tempore, quo stupefacientibus vti licet.

Cap. X.

AD rectam administrationem medicamentorum stupefacientium non sat est nouisse vtendi modum, sed præsertim etiam temporis occasio opportunè est arripienda. Certum itaque est tunc temporis conuenire medicamenta anodyna, quando dolor vrget, & præsens est, neque adsint prohibẽtia. Nam ex Gal. lib. de opt. secta ad Thrasyb. cap. 35. tunc auxiliorum tempora idonea sunt, quando remedium postulantia adsunt, prohibens verò nullum. Ergo id quoque obseruandum in stupefacientibus, vt videlicet ijs vtamur, cùm prohibentia non impediunt, & dolor præsens est. Inter prohibentia verò connumero humorum copiam, eorundem naturam, atque imbecillas vires. Vtrum autem in humorum fluxionibus prius dolor sedandus sit, & postea reuellendum, vt voluit Auicẽna, iam id lib. 4. cap. 39. determinatum fuit, quare in præsenti nihil dicendum.

Quando stupefaciẽtibus vtendum.

An igitur, quatenus ad primum pertinet, fortasse prohibebit medicamenta

stupefa-

ſtupefacientia humorum, quicunque fuerint, multitudo, adeo vt prius euacuatio facienda, deinde anodyna hæc vſurpanda ſint? Res hæc ita ex omnium conſenſu determinatur. Si euacuatio molienda auferat doloris immediatam cauſam, ita vt dolorem etiam ſimul tollat, debemus, prætermiſſis ſtupefacientibus medicamentis, euacuationem aggredi, ſiue per venæ ſectionem, ſiue per medicamentum purgans, vt colligitur ex Gal. 12. meth. cap. 1. Quippe ſi licet ægrum doloribus obnitentem valentibus remedijs vno die perſanare, qui tota neglecta curatione dolori tantùm eſt intentus, non id ex artis ratione, ſed in ægrotantis gratiam facit.

Quãdo euacuatio ſtupe facientibus præferenda ſit.

Sin autem, (quod ſæpe contingit, quando coniecturalis ſit hæc ars) ſuſpicio ſit, ne ab euacuatione ſubleuetur dolor, vrgeatque vtraque indicatio tum euacuandi, tum ſedandi dolorem, reſpiciendum eſt ad indicationem eam, quæ magis vrget. Nam ſi maiorem vim habuerit euacuandi indicatio, prius euacuandum, & poſtea, ſi opus erit, dolor ſtupefacientibus ſedandus: cum minori ſiquidem periculo poſt euacuationem vſurpantur ſimilia remedia. Qua de cauſa Gal. 12. meth. vlt. dicebat, ſi mordens humor eſt, qui moleſtat, poſtulat affectus is, ſi modo curandus eſt, vt ea, quæ contriſtant, euacuentur, ſi id omnino fieri nequeat, vt per epicraſim ſanetur: ſin id quoque fieri non poſſit, quæ torporem inferant, medicamenta exhibeantur. Et ratio eſt in promptu, quia ſtuporem inducentia remedia ſemper euacuationi magis ineptos reddunt humores. At ſi ex altera parte dolor ſit adeo vehemens, vt vires proſternat, & inde vitæ periculum immineat, neglecta curatione ei omnino incumbendum erit.

Poſt euacuationẽ tutior eſt ſopientiũ vſus.

Cœterùm humorum etiam infeſtantium naturam conſiderare oportet. Propterea quòd ſi hi calidiores, & tenuiores fuerint, minor erit noxa, quæ inde proueniet à ſtupefacientibus remedijs, & ideo ea non prohibebunt. Quòd ſi craſſiores, frigidiores, & glutinoſiores extiterint, cum quanto diſcrimine ſopientia medicamẽta exhibeantur, docet Gal. loco nuper citato, & ſupra etiam cap. 8. dictum fuit. Quocirca cum huiuſmodi glutinoſi, craſſi, & frigidi humores prohibeant ſtuporem inducentia remedia, & ea præſertim, quæ validam ſtupefaciendi vim habent, niſi maxima adſit neceſſitas, ijs prædominantibus prætermittenda ſunt.

Humorũ natura interdũ ſtupefacientia prohibet.

Denique virium quoque maxima ratio eſt habenda, ne videlicet, dum ijs occurrere quærimus leniendo dolorem medicamentis ſtupefacientibus, eaſdẽ, ſi valdè imbecillæ fuerint, ex toto horum refrigerantium medicamentorũ vſu extinguamus. Vnde non ſunt laudandi medici illi, qui, priuſquàm ad ſopientia præſidia deueniant, expectant vires à doloris vehementia reſolutas eſſe, & deinde huiuſmodi remedijs vtuntur. Non etenim id eſt ſecundum rationem, quia requiritur aliquod virium robur ad ſimilium medicamentorum vſum. Siquidem, cum imbecillæ admodum ſunt, ab ijſdem ex toto extinguuntur: ſtupefacientia enim, cum intenſè frigida ſint, calori innato, & viribus nocua ſunt. Quare etiamſi dolorem mitigent, & hac ratione viribus quodammodo auxiliari videantur, ijſdem tamen non per ſe, ſed ex accidenti opem ferunt. Neceſſarium eſt igitur, vt vires adhuc robuſtæ ſint, vt horum præſidiorum vſum permittere poſſint. Ad quod reſpiciens Gal. 12. meth. cap. 1. toties citato dicebat, ſi ex dolore vires reſoluuntur, atque ex eo periculum impendet, & mitigari dolor, & roborari vires debebunt, quò & morbo reſiſtere, & curationis ſpatio ſufficere valeant. Non itaque ait, cum vires reſolutæ iam ſunt, ſed cum

Vires debiles medicamenta ſtupe faciẽtia prohibent.

reſol-

resoluuntur, vtendum esse huiusmodi præsidijs. Quinimò sciens vires noxam pati à stupefacientibus, & solùm, vt dixi, per accidens ab ijsdem iuuari, ad virium tutelam, cui maximopere incumbendum est, non vnicam tantùm indicationem proposuit à dolore desumptam, sed alteram quoque addidit ab ipsis viribus captam, dum inquit, & mitigari dolorem, & roborari vires debere.

Quid indicet partis dolentis continuitatis solutio.

Cap. XI.

QVatuor dicebamus esse indicantia, quæ aliquid nobis insinuant, vt dolor mitigetur, quorum duo erant facultas sentiens, seu indicans, & organum recipiens, de quibus actum fuit. Reliqua duo supersunt, nimirum doloris immediata causa, quæ est continui solutio, & materia siue humorosa, siue vaporosa in parte dolente existens, de quibus agendum: atque in hoc capite, quam indicationem præbeat partis continuitatis diuisio, paucis declarare oportet. Nam etiamsi id primo aspectu videatur præter rationem, cum interim de dolore agatur, quatenus curatio ad eum, non autem ad eiusdem causas dirigitur: attamen cum solutio continui sit immediata, & continens causa doloris, atque semper ab alijs originem trahat, vt puta ab intemperie inæquali, ab humorum multitudine, & qualitate, & huiusmodi, vera curatio respicit non continui solutionem, sed causas soluentes ipsam partium continuitatem. Quapropter respicere continui solutionem est potius respicere ipsum symptoma, quàm causas eas, quibus vera curatio debetur. Quantumuis etenim opportunis præsidijs continuitatis solutioni occurramus, & ideo dolor mitigetur, nusquam tamen dolorosa dispositio sanabitur, nisi curatio ad causas continuitatem soluentes dirigatur.

Respõdetur tacitæ obiectioni de solutione continuitatis partis.

Solutio itaque continuitatis partis indicat præsidia vnientia, seu emplastica dicta, quoniam hæc ea ratione præcipuè iuuare dicuntur, quia sua viscididitate, & lentore solutionem continuitatis partis corrigunt. Omnium enim medicamentorum, quæ emplasticam facultatem habent, ratio in hoc consistit, vt meatus obducant, illiniant, obturent, atque adstringant, vt docuit Gal. 4. localiũ cap. 1. & 4. simpl. 6. Qua de causa 13. meth. cap. 22. dicebat, lentum, cum absq; morsu est, dolorem maximè lenire.

Continui solutionẽ indicare emplastica remedia.

Illud tamen notandum est, emplastica medicamenta nonsolum ea ratione, qua solutionem continuitatis partium corrigunt, dolorem demulcere, sed etiã nonnunquam id præstare, humorum acredinem temperando, & calorem innatum partis per accidens augendo. Quòd dolori quandoque occurrant, eò quia humorum acredinem attemperent, docuit Gal. 1. simpl. 12. exemplo adipis anserini: pariter 12. meth. cap. 1. ad leniendum dolorem in dysentericis, quoniam humores vehementer rodunt, proponit seuum hircinum, & ceratum rosaceum iniectum: nos autem passim vtimur clysteribus factis ex lacte, & iure pingui. Quòd verò dolorem etiam lenire possint, calorem innatum adaugendo, colligitur ex Gal. 5. simpl. 9. & ratio etiam id suadet, quoniam emplastica medicamenta poros cutis obstruendo substantiam innati caloris augent, qui deinde roboratus causis dolorem efficientibus aliquo pacto occurrere potest. Quibus tamen modis si considerentur præsidia hæc non solum symptoma, nempe dolorem, sed eius quoque causas respicere videntur. Sed de emplasticis præsidijs hæc pauca sufficiant.

Notandũ emplastica alia ratione iuuare.

Quid indicet materia in partibus dolore vexatis existens; & de veris anodynis. Cap. XII.

Quaenam sit vera anodyna ex Gal. sẽtentia.

GAl. 5. simpl. 19. ea vocauit vera anodyna, quæ primo ordine excalfaciunt, & sunt tenuium partium, quia hæc euacuant, digerunt, rarefaciunt, extenuant, concoquunt, & æquabile reddunt, quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut crassorum, aut multorũ, tenuibus spiramentis infarctorum: aut etiam vaporosi, aut crassi, aut admodũ frigidi spiritus, exitum commodum non inuenientis, inhæsit, atque inclusum est. Itaque nihil prorsum adstrictionis habeant, oportet, ne si pars quidem, aut etiam affectus exposcant. Ex quibus liquet, quòd interdum affectionem non iuuabunt, sed dolorem tantummodo mitigabunt, quando videlicet reuera dicentur anodyna: interdum verò etiam affectum ipsum adiuuabunt, & facultatem habebunt duplicem, nempe anodynam, & sanantem. Veruntamẽ, vt clarior euadat Galeni sententia de ijs, quæ vera anodyna dicuntur, quærenda in primis causa est, cur illa, quæ primo ordine excalfaciunt, & sunt tenuiũ partium propriè anodyna à Galeno vocentur: secundo declarandum, cur huiusmodi præsidia interdum gerant vicem mitigãtium dolorem ipsum, ita vt solummodo anodyna sint, aliquando verò dicantur habere duplicem facultatem anodynam videlicet, & sanantem.

Cur moderatè calida, & tenuiũ partiũ dicantur propriè anodyna, & æquantia sensũ.

Vocantur, vt arbitror, à Galeno remedia hæc verè, & propriè anodyna ad differentiam stupefacientium, quæ impropriè talia dicuntur, quia sensum enecant, ista autem eum æquant, dicuntur etenim à nonnullis æquantia sensum; & licet Galenus non dixerit ea æquare sensum, sed solùm concoquere, digerere, & æquabile reddere, quicquid in partibus dolore vexatis, siue humorũ, siue vaporum reperitur: attamen vnum est alterius causa. Nam æquare sensum nil aliud significat, nisi sensum ad naturalem statum traducere. Siquidem dolor est tristis sensus excitatus in corporibus sentientibus, cum mutationẽ multam, & subitam in id, quod est præter naturam suscipiunt: ergo quando versa vice in id, quod est secundum naturam, mutantur, eorum sensus ad propriam naturam reuertitur, aut non amplius ita dolorosus est, & tristis. Id autem præstant huiuscemodi remedia æquabilem reddendo, & moderatè digerendo, ac resoluendo materiam, qualiscunque ea fuerit, siue humorosa, siue vaporosa, quæ in partium dolore affectarum tenuibus spiramentis inhæret: & dolorosam earundem dispositionem fouet.

Argenterius putauit stupefacientia esse anodyna propriè dicta

At exaduerso Argenterius libello de cõsultandi ratione existimauit ea, quæ stupefaciendo doloribus medentur, esse anodyna propriè dicta, non autem ea, quæ moderatè calefaciunt cum partium tenuitate. Rationem addit, quia si ea censenda sunt anodyna, quæ causis efficiẽtibus dolorem nequaquam aduersantur, nemo profectò ea, quæ eo modo calida, & tenuia sunt, credet vnquam verè anodyna vocanda esse, vt pote quæ non aliter dolores mulceant, quàm humorem, vaporemque digerendo, qui dolorem efficiebant.

1. Ratio id ostendens.

2. Ratio.

Adde, quòd communis nequit esse ea anodynorum ratio, & vis omnibus doloribus. Neque enim huiusmodi medicamenta dolorem, quem pariunt vulnerantia, pungentia, mitigare suntapta, stupefacientium verò natura huiusmodi est, vt relictis causis efficientibus, vniuersis doloribus opitulentur. Quapropter hæc, & non illa verè anodyna sunt, & vocari debent.

Pro

Quomodo tã ſtupefacien tia, quã moderatè digerentia dolori occurrant.

Pro ſolutione huius non leuis difficultatis ab Argenterio propoſitæ, ſciendum eſt medicamenta reſpicientia ſymptoma nempe dolorem, & eum mitigantia, abſque dubio id præſtare aliquid agendo: non agunt autem in dolorem, neque dolor ab iiſdem patitur, cum ſit accidens, ſed neceſſariò agunt in partem dolore affectam, quæ ſanè dolet, tum quia ſenſu prædita eſt, tum quia eius vnitas ſoluitur, & præſertim ab humoribus, aut vaporibus, qui partium dolentium tenuibus ſpiramentis inhærentes, & incluſi exitum commodũ non inueniunt. Quocirca ad dolorem demulcendum, aut pars ſtupefacientibus inſenſibilis reddenda, aut humores, vel vapores in tenuibus ſpiramentis eiuſdem incluſi moderatè digerendi, reſoluendi, & æquabiles reddendi ſunt. Priori modo à ſtupefacientibus medicamentis ſenſus partis enecatur, & pars quodammodo ab vno ad alterum extremum, nimirũ à triſti, & doloroſo ſenſu ad inſenſibilitatẽ deducitur. Poſteriori modo mediocriter degerentibus prauam illam partis diſpoſitionem, ratione cuius dolet, ad meliorem ſtatum traducimus, & eius ſenſum æquamus. Quare moderatè calefaciẽtia, & tenuium partium, cum ſenſum æquent, a Galeno verè anodyna iure dicuntur, ſtupefacientia verò, cum ſenſum auferant, impropriè talia appellantur.

Ad Argenterij rationes.

Et cum ait Argenterius illa non eſſe cenſenda anodyna, quæ cauſas dolorẽ efficientes reſpiciunt cuiuſmodi ſunt illa, quæ moderatè digerunt, vt pote quæ non aliter dolores mulceant, quàm humores, vaporeſque digerendo, qui dolorem producunt. Quod nos quoque ex Galeni ſententia ſupra cap. 4. docuimus, præſidia videlicet, quæ ad ſymptomatum correctionem diriguntur, affectibus, à quibus pendent, aut nihil conferre, aut eos interdũ etiam adaugere: quare moderatè digerentia, & reſoluentia, cum cauſæ occurrant, verè anodyna vocanda non erunt, ſed ea ſolùm, quæ ſtupefaciunt, cũ hæc dolorem reſpiciant, doloris cauſa prorſus neglecta, imò ab iiſdem nonnunquam adaucta.

Soluitur prima Argenterij ratio.

Huic difficultati reſpondeo moderatè digerentia, & tenuium partium, dum gerunt vicem mitigantium dolorem, minimè principalem doloris cauſam reſpicere, qua ablata remouetur, & ſanatur doloroſa diſpoſitio, quod requiritur in vera doloris curatione, ſed ſolùm cauſam eam proximam, humores videlicet, & vapores dolenti parti inhærentes reſpiciunt, quibus dum occurrunt, mitigatur quidem dolor, ſed non ſanatur, quia adhuc remanet cauſa principalis, & doloroſa affectio, vt mox exemplo doloris articularis oſtendemus. Quare cum hac ratione dolorem ſolummodo demulceant, neque cauſam principalẽ, qua poſita ponitur, & qua ablata aufertur dolor, amoueant, vera anodyna vocari poſſunt, ob rationem adductam, quia videlicet partis ſenſum æquant, minimè verò ſtupefacientia talia dici mœrentur, cum ſenſum enecent.

Tollitur altera ratio.

Dum addit præterea communem eſſe anodynorum rationem, vt doloribus à quacunque cauſa pendentibus occurrant, quod non contingit moderatè digerentibus, cum dolorem, quem pariunt vulnerantia, & pungentia, mitigare non ſint apta, quod ſtupefacientia præſtare poſſunt. Reſpondeo hoc falſum eſſe. Nam quacunque de cauſa doleat pars, ſemper ratione doloris, cuius proprium eſt atttahere, ad eam confluit materia ſiue humoroſa, ſiue vaporoſa, quæ dolorem adauget, cui ſanè materiæ meatibus partis inhærenti occurrunt moderatè digerentia eo, quo diximus, modo, & dolorem ſedant.

Cur autem (& erat ſecundum quæſitum) quæ moderatè calefaciunt, & ſunt tenuium partium aliquando anodynam facultatem ſolummodo habere dicantur, interdum verò vtranque anodynam videlicet, & ſanantem, obſcurè docuit

Gal. 5. ſimpl. citato: dum ait, debere eſſe calida primi ordinis, & tenuium partium, ſed nulla prorſus facultate adſtringente prædita, ne ſi pars quidem, aut etiam affectus expoſcant. Ex quibus deinde colligit, ea interdum eſſe ſolùm anodyna, interdum verò nedum anodyna, ſed etiam ſanantia ſimul; nec quicquam aliud addit. Quod itaque nonnunquam anodynam facultatem tantummodo habeant, oſtendi poteſt exemplo doloris articularis à fluxione ſuborti. Nam ſi cui doleat articulus aliquis ob humores ad eum fluentes, & patienti parti admoueantur moderatè calefacientia, & tenuium partium, vt eſt per exēplum oleum anethinum, vel chamęmelinum, reſoluetur, & moderatè digeretur, quiſquis fuerit humor, & vapor dolentis particulæ meatibus inhærens, & mitigabitur dolor, non tamen ſanabitur, quia hæc præſidia nullo pacto in hoc caſu reſpiciunt cauſas principales, quæ ſunt humorum fluxio, & partis imbecillitas, quibus nulla ratione occurrunt, cum nulla adſtrictoria facultate prædita ſint. Quapropter ſolùm anodyna non autem ſanantia dicentur.

Moderatè digerentia interdum ſolū anodyna dicuntur.

Sed quod mihi maiorem difficultatem facit eſt, quomodo poſſint habere duplicem facultatem, anodynam videlicet, & ſanantem, & eò magis, quia Galenus ſibi contradicere videtur. Quandoquidem 5. ſimpl. citato hæc medicamenta ea ratione anodyna vocat, quatenus euacuant, & digerunt, quicquid humoroſi, vel vaporoſi affectæ parti inhæret. At ex altera parte 13. meth. 8. ait, quæ moderatè calefaciunt, dolorem ſedare, & quod contentum in laborante particula eſt, digerere. Quippe dolorem mitigando augeri phlegmonas vetant, digerendo, quod earum iam conceptum eſt, ſanant. Quare ſi ex Galeni ſententia, dum digerunt, ſanant, ergo ea ratione, qua digerunt, non poterunt dici anodyna, cum facultates iſtæ inter ſe diuerſæ ſint, & ſæpe vna alteri opponatur.

Difficultas, quomodo moderatè digerētia anodynam ſimul, & ſanātem facultatem habere poſſint.

Non adeo facilè ſolui poteſt hæc difficultas, niſi fortaſſe dixerimus ſimilia præſidia vocari anodyna, & ſanantia, ſeu duplicem facultatem habere reſpectu diuerſorum temporum, quoniam videlicet in principio fluxionum, & inflammationum anodynam, in fine ſanantem facultatem poſſideant. In principio quidem anodyna dicitur illorum facultas, quia doloris principalem cauſam non reſpiciunt, cum fluxioni minimè opitulentur, niſi per accidens mitigando ſcilicet dolorem, cuius proprium eſt attrahere. In fine verò ſanantia dici poſſunt, quia cum nulla amplius cauſa ſit, quæ dolorem efficiat, ſedata iam fluxione, niſi quicquid humoris dolenti parti inhærens relictum eſt, id digerendo curationem perficiunt. Quod ſenſiſſe viſus eſt Gal. dum 13. meth. 8. citato ait, quæ moderatè calefaciunt dolorem mitigando prohibere ne inflammationes augeantur, digerendo verò, quod earum iam conceptum eſt, ſanare. Hæc ſunt, quæ habui pro huius difficultatis ſolutione, quæ à nemine, quem viderim, animaduerſa fuit.

Difficultatis ſolutio.

Noto anodyna propriè dicta moderatè calefacere, & digerere debere, vt ſolùm quicquid humoroſi, vel vaporoſi dolentium partiū tenuibus ſpiramentis inhæret, attenuare, digerere, & reſoluere poſſint. Nam ſi valentius calefacerent, plus eſſet id, quod attraherent, quàm quod reſoluerent: qua ratione dolor augeretur.

Notandum.

Quòd verò ſpectat ad horum præſidiorum rectam adminiſtrationem, hæc pauca tantummodo de opportunitate temporis dicenda: tunc videlicet huiuſmodi medicamentis vtendum eſſe, quādo dolor præſens eſt, prohibens autem nullum adeſt, vt dictum fuit de ſtupefacientibus. Tutius tamen eſt corpus

Quo tēpore conueniant moderatè digerentia.

euacuare, ſi fuerit aliqua humorum abundantia, antequam huiuſmodi medicamentis vtamur, quoniam cum ſint aliquatenus calida, & tenuium partium poſſunt trahere materiam ad partem affectam, quod ſtupefacientia præſtare nequeunt. Et propterea Gal.3.epid.3.tex.76. dicebat, nec calefacere quidē, nec lenire ante corporis vacuationem partes dolentes licere. Nam ſæpe ad partem affectam omnino ob ea remedia allicitur humorum affluentia.

Quid indicet animi defectio. *Cap.* XIII.

Nomina varia ſignificātia animi defectum.

NVllum ſymptoma eſt magis verendum, & cui omnibus alijs prorſus neglectis, dum maximè vrget, magis incumbere debeat medicus, quàm ſit virium diſſolutio, ſeu animi defectus, deliquium, ſiue lipothimia, aut lipopſychia, ſeu ſyncope, & ſi alia huiuſcemodi nomina reperiuntur, quæ vitalium præſertim virium diſſolutionem denotent. Quæ tamen nomina, vt ego arbitror, inter ſe nulla alia ratione differunt, niſi ſecundum magis, & minus, prout à cauſis maioris, vel minoris efficaciæ produci ſolent ſimiles affectus, vt colligere licet ex Gal.1.ad Glauc.cap.14. Hos itaque omnes affectus ſub hoc cōmuni nomine animi defectus amplector, quia de hoc tam graui ſymptomate in vniuerſali agere, & methodū quandam tradere decreui, qua mediante nullo habito particularium cauſarum reſpectu (niſi quatenus prohibentium rationem induunt) à quibus dependere ſolet, quæ multæ ſunt, quæque propriam curationem deſiderant, huic ſymptomati repente ingruenti occurrere opportunis præſidijs liceat.

Difficultas.

Sed, antequam vlterius progrediamur, remouenda eſt difficultas. Nam ſi interim ſymptomata contemplamur, quatenus vel vires lædunt, vel affectionem morbificam adaugent, profectò non rectè dicimus, ſymptoma hoc, nempe virium, ſeu animi defectum lædere vires, cum ipſummet nil aliud ſit, niſi virium deiectio. Siquidem quæ lædunt vires, diuerſa eſſe debent à viribus: nihil enim ſemetipſum lædit. Quare docere qua ratione, & methodo virium defectui occurrendum ſit, pertinet potius ad vitales indicationes, & præſertim ad eas, quæ deſumuntur à ſpiritibus, cum ij in lipothimia, & ſyncope præcipuè afficiantur, quàm ad illas, quæ à ſymptomatibus deſumuntur.

Difficultatis ſolutio.

Reſpondendum exiſtimo in animi defectu, & ſyncope ad duo nos poſſe reſpicere, nimirum ad ſpiritus, qui patiuntur, ſeu mauis dicere ad cor, quod tamen ratione ſpirituum præſertim in ſimili ſymptomate afficitur, atque ad eorundem ſpirituum defectum, & repentinum motum ad cor: tunc etenim ſyncope, aut lipothimia ſuboritur, quando ſpiritus deficiunt, & repente ad cor confugiunt. Si reſpexerimus ſpiritus ipſos, abſque dubio indicatio, quæ ab ijs deſumitur, vitalis erit. At ſi ex altera parte ſpirituum, ſeu virium defectum conſiderauerimus, cum defectio hæc ſit præter naturam, & immediata cauſa huius ſymptomatis, nimirum actionis vitalis ferè abolitæ, tunc indicatio ab hoc ſymptomate deſumpta, quatenus induit rationem cauſæ potentis, quod virium reliquum eſt deijcere, & vitam ex toto adimere, non eſt vitalis, ſed ad hoc ſymptoma dirigitur, ſeu ab eodem deſumitur. Prior antecedenti libro conſiderata fuit: poſterior ad præſentem pertinet. Et quia vtraque indicatio conſpirat in eundem finem, propterea miſta quodammodo videtur ex vitali, & curatoria, ſeu præſeruatoria, vt notatum fuit cap.4. antecedentis libri.

Quid ſit ſyncope.

Verùm quid indicat animi defectus? Supponendum eſt ſyncopem eſſe præ-

cipitem virium lapſum propter ſpirituum imminutionem,& eorundem ad cor repentinam aggregationem. Quod ad ſpirituum imminutionem pertinet, à quibus cauſis fiat, interim nihil dicendum, quoniam non eſt hic agendi locus de vera ſyncopis curatione, quæ conſiſtit in cauſarum remotione,ſed ſolùm de ea, quæ ad hoc ſymptoma adeo periculoſum remouendum dirigitur, dum præſens eſt. Quocirca cum animi defectus pendeat à ſubita, & confertim facta ſpirituum imminutione, abſq; dubio reſpectu huius imminutionis indicat ea, quæ citò ſpiritus regenerare poſſint, vt quemadmodum citò defecerunt, citò etiam reſtaurentur.

Quid indicet animi defectus.

At dubitari contingit, an ex ſola ſpirituum defectione ſuboriatur animi deliquium, cum Gal.12.meth.cap.5. videatur etiam proponere eorundem alterationem, cum dicat, ægrotantes animo linqui, tum viribus reſolui,tum etiã nonnullos mori, ſcilicet aliàs ſpiritu ipſo deperdito, aliàs alterato, aliàs ex parte digeſto, non rarò hæc vtraque perpeſſo.

An ſpirituũ alteratio ſyncopẽ producat.

Reſpondendum alterationem ſpirituum,quatenus ſimpliciter alteratio eſt, non eſſe ſufficientem cauſam animi defectus, niſi tanta fuerit,vt eius cauſa ſpiritus alterati deficiant, & imminuantur, hinc immodicè calefacientia ſpiritus reſoluunt, ſummè refrigerantia eos extinguunt. Quare dico Galenum non ſimpliciter de quacunque alteratione locutum fuiſſe, ſed ſolùm de ea, qua ſpiritus ſummè alterati neceſſariò etiam deficiunt. Vnde idem Gal.9.meth.cap. 13. non quãcunque alterationem ad vires proſternendas idoneam eſſe voluit, ſed eam tantùm, quæ corruptioni eſt propinqua, vt libro antecedenti cap.4. adnotauimus.

Soluitur quæſitum.

De ſpirituum verò ad cor repentina aggregatione, quam etiam inter animi defectus cauſas reponunt, dico cum quibuſdam eam neceſſariã eſſe, quia hoc eſt ipſius naturæ proprium, vt ea, quæ principaliora, & nobiliora ſunt, membra omni conatu tueatur. Propterea cum cor ſit vitalis facultatis ſedes, mirũ non eſt, ſi, cogente neceſſitate, ſpiritus, & calor ad cor confertim confluant ad illius, & vitæ tutelam, atque vt ab ipſo conſeruentur. Quod contingit in viriũ repentina diſſolutione. Ex quibus colligere licet, hunc ſubitum ſpirituum ad cor recurſum factum quidem eſſe à natura, ſed coacta à cauſa violenta: etiamſi Auicenna lib.3.fen.11.tract.2.cap.6. aliter fortaſſe ſentire videatur, cum dicat ſyncopem oriri propter cauſam mouentem ſpiritum ad interiora. Vtcunq; tamen certum eſt in animi deliquio ſpiritus, & calorem ad cor confugere in eius ſubſidium: & ita membra ijs deſtituta concidere, & omnes vires collabi neceſſarium eſt. Quòd ſi motus iſte eſt à natura, licet coacta, factus, ergo non erit præter naturam, neque quicquam indicabit pro huius ſymptomatis ablatione.

In ſyncope requiritur etiam ſpirituum ad cor repẽtina aggregatio.

Cœterùm ſi hoc verum eſt,& ab animi deliquio non ſubleuentur patientes, niſi rurſus calor, & ſpiritus à corde ad cœtera membra cõfluant, vt, priuſquàm ſyncope corriperentur, faciebant, ergo etiam hæc ſpirituum repentina ad cor aggregatio indicabit ea, quæ ſpiritus, & calorem ad externa reuocare poſſunt. Hinc Gal. 1.ad Glauc. 14. iubet, vt ſyncope laborantium nares apprehendantur, manus, & crura alligentur, artuſq; quamplurimum fricentur,& calfiant, quæ omnia reuocare poſſunt ſpiritus, & calorem ad exteriora. Quinimò grauiſſimi medici capillos, & barbam trahendam, & alta voce proprium laborantium nomen vocandum, & ſimilia facienda eſſe præcipiunt.

An ſpirituũ ad cor repentina aggregatio quicquã indicet.

Ex altera parte ſæpe totum oppoſitum facere videmur, quando aquam fri-

gidam cum impetu in laborantis faciem proijciamus, vt Galenus etiam admonet. Quò sanè præsidio spiritus, & calor ad interiora adhuc concitatiori motu pelluntur.

Difficultatis determinatio.

Dicendum arbitror hunc repentinum spirituum recursum ad cor esse quidem à natura factum, non tamen simpliciter secundũ naturam: propterea quod secundum naturæ leges oppositum fieri solet, vt videlicet calor, & spiritus à corde continuò confluant ad singulas totius corporis partes, quò earum calor innatus foueatur, & conseruetur. Est autem à natura facta illa spirituum ad cor aggregatio in animi deliquio in cordis, & vitæ subsidium: vnde non est necessarium, vt ad exteriora reuocentur: sed facultas excitari, cor roborari, & spiritus regenerari debent, quia deinde excitata facultas, & roboratum cor regeneratos spiritus transmittent ad corporis partes, & sic ad propria munia redibunt.

Respõdetur rationibus ostendentib. spiritus reuocãdos esse

Quòd si Galenus, & alij præcipiunt, vt nares, capilli, & barba trahantur, manus, & crura ligentur, & similia exequantur. Respondeo hæc duplici de causa præsertim proposita fuisse. Prima est, vt facultas sopita excitetur ad aggredienda vitæ munia, non autem vt simpliciter calor, & spiritus ad exteriora reuocentur. Secunda causa est, vt animi deliquij causis occurramus: vnde si fiat ab immoderatis euacuationibus, vt eas compescamus iubet Galenus, vt oppositæ partes arctè ligentur ad reuulsionem: si verò fiat à multitudine opprimente artus quamplurimum fricare oportere docuit, & calefacere, atque alligare, vt reuellatur multitudo ab interioribus ad exteriora, & à nobilioribus ad ignobiliores partes.

Cur aqua frigida ĩ faciẽ proiecta subleuet ab animi deliquio.

De frigidæ autem aquæ subita aspersione ita sentio, eam pariter duplici de causa syncope affectis succurrere. Prima est, quia ab externa illa frigiditate confertim irruente magis vniuntur spiritus, & calor, atque ad interiora refugiunt, & roborantur, ac ita subleuantur ægrotantes à symptomate. Secundariò gelidæ ex improuiso in faciem proiectio suscitat, & excitat facultatem sopitam, & eam quodammodo cogit ad proprias functiones redire.

Quare hæc, & similia, quæ videntur reuocare spiritus ad exteriora potius ad facultatem excitandam, aut ad reuulsionem materiæ, quàm ad reuocandos spiritus adhibentur. Licet non negauerim, hanc quoque indicationem reuocandi spiritus, & calorem ad exteriora habere posse aliquem vsum, dum præsertim à copia, aut frigiditate materiæ sunt oppressi.

Quænam sit præcipua indicatio in animi defectu.

Indicatio itaque, quæ in animi deliquio summoperè vrget, illa est, quæ docet cor roborandum, & deficientes spiritus regenerandos esse. Roboratur cor per ea medicamenta, quæ passim cardiaca nuncupantur: regenerantur autem spiritus ex ijs, quæ similia sunt, calida videlicet, & tenuium partium, seu aereæ substantiæ. Vnde Gal. 12. meth. cap. 4. omnibus, quos syncope malè habet, vinum offerre conuenire docuit, & ex vinis ea eligenda esse dixit, quæ & flauo sint colore, & substantia tenui, & ætate vetera: talia nimirum boni odoris continuò fuerint. Ratio est, quoniam huiusmodi vina habent summã vim regenerandi spiritus. Et præter vinum, quamplura alia tum alimenta, tum medicamenta, quæ simili facultate prædita sunt, occurrunt, quibus vti possumus, quorum tamen materiæ interim non sunt proponendæ.

Verùm cum præsidia symptoma respicientia, quatenus ad id diriguntur, aut nihil conferant affectui à quo dependet, aut interdũ etiam eum adaugeant, idcirco quid præstare possint, considerandũ. Nam si affectui animi deliquium

efficienti nihil conferant similia præsidia, quia summè vrget indicatio ab hoc symptomate desumpta, morbo, seu causa neglectis, omnino symptomati huic erit prius incumbendum, postea verò eiusdem vera curatio aggredienda, quæ fit per causæ amotionem. At si huiusmodi remedia causam, à qua syncope prouenit, adaugere possint, ita vt indicationes, quæ desumuntur à symptomate, & à causa id efficiente prorsus contrariæ sint, cautè magis agendum, quoniam periculum est, ne dum animi defectui occurrere quærimus, causam eiusdem augendo ægrotantem interficiamus. Quare vni quidem incumbendum, altero tamen minimè neglecto. Res est declaranda exemplis, vt aliquod lumen huic doctrinæ afferatur.

In cõtrarietate indicationum quid agendum sit declaratur exemplis.

Laboret aliquis animi deliquio ob immoderatum sanguinis profluuium, in hoc casu vitanda sunt ea, quæ etiamsi spiritus citò regenerare, & huic symptomati occurrere possunt, sanguinis tamen profluuium augere valent, ex quo manifestum vitæ periculum subsequitur; vt est per exemplum, vinũ ipsum, quod inter cætera summoperè vires restaurat, at sanguinis profluuium promouet. Vnde Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. in hoc casu proponit vinum crassum, nigrum, & acerbum: vinum quidem ad spirituum regenerationem, & virium restaurationem, crassum verò, nigrum, & acerbum ratione fluxus sanguinis, quia adstringit, & roborat.

1. Exemplũ syncopis, pẽdentis à sanguinis profluuio.

Insuper ex eodem Galeno loco nuper citato vinum aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus, dissolutiones, & tunc præsertim, quando ad ventriculum fluunt humores; causam arbitror, quia vinum ventriculum roborat, & vires adauget, aqua verò frigida potius occurrit causæ nimirum humorum caliditati, & mordacitati, refrigerando, & temperando. Sed animaduertendũ est, an aliquid sit, quod prohibeat huiuscemodi exhibitionem: veluti si vnum ex visceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementer doluerit: aut passio aliqua, quæ delirare cogat, affuerit: aut febris incendens in morbo crudo: magna enim & quasi insanabilia ex potu vini in huiusmodi affectibus nocumenta proueniunt. Quocirca aut vinum summè dilutum, aut eo prorsus derelicto, aliud remedium, quod viribus subuenire possit, adhibendum, tale tamen, vt vel nihil, si fieri potest, aut saltem parùm noceat affectibus prohibentibus.

2. Exemplũ.

Quinimò si cui ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem, animi defectus superueniat in principijs accessionum, & refrigeretur, cibi, & potus omnimodam abstinentiam præcipere oportet, quia in principio similium accessionum recurrente sanguine, & spiritibus ad interiora, & ad inflammatam partem, si cibus aut potus offeratur, natura ex toto succumbet, aut saltem in maximum vitæ discrimen ægrotans adducetur. Huic igitur artus oportet fricare fortiter, & calefacere, cruraque, & manus alligare, & vigilias præcipere. Neque remedia ea, quæ syncopi occurrere possunt, prætermitti debent, dummodo non prohibeant regressum caloris, & spirituũ ad exteriora, sed potius adiuuent.

3. Exemplũ.

Quapropter summa prudentia eget medicus, quando indicationes sibi inuicem aduersantur in re tanti momenti, vbi videlicet agitur de ægrotantium vita, quæ ex minimo errore commisso in similibus casibus manifestè periclitari solet. Ita vt ex præsidijs, quæ animi defectui occurrere possunt, illa eligat, siue interna, siue externa fuerint, quæ viribus quidem deficientibus opem ferant, sed morbum, aut causam non adeo adaugeant, vt ægrotantem interficiant.

Medicũ valdè prudentẽ esse debere ĩ curãda syncope.

Seduloque

Seduloque perpendere debet, an præsidia, quæ virium defectus causam respiciunt, vno & eodem tempore tum causæ, tum symptomati occurrere valeant, atque si cognouerit id fieri posse, audacter ijs vtatur (licet id non sit aduersus symptoma pugnare) sin id fieri nequeat, & summè vrgeat symptoma, & agatur de vitæ discrimine, quibuscunque modis viribus subuenire oportet, omnibus alijs neglectis. Quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ vnica videtur, ea dubia est, necessum, arbitror, his est, aduersos periculis ire. Ita sentiebat Gal. 10. meth. 10. laudans Thucididis consilium, qui agentes aliquid periclitari opus esse docuit, exemplo eorum, qui hectica febre laborant, quos sanare non licet, nisi balneo aquæ frigidæ, quod tamen summè periculosum est, propter corporis horum gracilitatem. Quod sanè Thucididis consilium in omnibus affectibus, in quibus adest indicationum contrarietas obseruari debet, prius tamen facto prognostico, ne ars, & remedia infamentur.

De præsidiorum animi deliquium respicientium recta administratione. Cap. XIV.

AD tria capita rectam præsidiorum, quæ animi dissolutionem respiciunt, administrationem reduco, nimirum ad vbi agendum, ad vtendi modũ, & ad temporis occasionem, de quibus tamen pauca admodum dici possunt, tum quia rectus vsus, vt aliâs dictum fuit, materias remediorum respicit; tum quia hæc, quæ dicturus sum, consentiunt cum ijs, quæ libri antecedentis cap. 6. allata fuerunt, vbi de spiritus deperditos regenerantium, aut eosdem alterantium vsu actum fuit.

Vbi agẽdum à quo indicetur.

Vbi agendum itaque indicatur à parte affecta, nimirum à corde, quatenus videlicet ab ipso regenerari debent deperditi spiritus, & quatenus ad ipsum, qui reliqui sunt, confugierunt. Quare remedia spiritus regenerantia, & corroborantia si externa fuerint, aut regioni cordis admouenda erunt, aut ijs partibus, quæ cum corde, & spiritualibus membris consensum habent, vt ijs mediantibus virtutem suam cordi communicare possint. Hinc partes, in quibus pulsus sentitur, sicuti sunt tempora, & superior carpi manuum pars, aut illiniuntur, aut fouentur per exemplum aceto rosato, seu vino maluatico, vel similibus, quæ vim, quam habent, regenerandi spiritus, per arterias à corde enascentes eidem communicant. Qua de causa etiam testes foueri solent, quoniã habent magnum cum corde, & spiritualibus partibus consensum. Internis autem ea, quæ cor respiciunt, admiscenda erunt, nisi talia fuerint ex propria natura.

Vtendi modus varius.

Vtendi modus multiplex est: siquidem indicationi ab animi deliquio, quatenus à spirituum imminutione efficitur, desumptæ pluribus præsidiorum modis in eundem finem conspirantibus occurrere possumus, per alimenta videlicet, per potiones, per odores, per medicamenta tum interna, tum externa, quorum variæ sunt formulæ, quoniam per exemplum administrantur, vel in forma potionum, boli, (dummodo tamen fieri possit,) si interna fuerint; si verò externa erunt, occurrunt fotus, inunctiones, epithemata, linimenta, & huiusmodi.

Alimentum humidum citissimè nutrire.

De alimento noto ex Hippocr. lib. de alimento propè finem, in similibus casibus id debere esse humidum. Quicunque (inquit) veloci appositione

opus

opus habent, his humidum ad reficiendas vires optimum. Qua de causa Gal. 3. de caus. pul. 17. & 2. aphor. 11. vt ostenderet vinum celerem nutritionem facere, adduxit hunc Hippocr. locum. Cœterùm, an vinum nutriat, non est adeo clarum, sed summè controuersum, & eò magis cum Hippocr. loco citato dicat, humiditatem esse alimenti vehiculum. Vtcunque se res habeat, hoc nō facit ad rem nostram. Nam solùm sat est nouisse, humida alimenta citius renutrire, & vires reficere, quàm solida, & inter cætera vinum etiamsi non verè nutriat, attamen ad restaurandos spiritus (non est enim hæc vera nutritio) omnium aptissimum iudicari.

Odores citissimè regenerare spiritus.

Noto insuper de odoribus ex eodem Hippocr. loco citato, hos velocissimè regenerare spiritus: cum etenim dicat, quicunque adhuc velociori appositione indigent, eam per olfactum fieri, credendum est eius sententiam verificari non de nutritione propriè dicta, sed simpliciter de spirituum regeneratione.

Odores ī mulieribus sūt suspecti.

Noto præterea odores bonos (isti enim sunt, qui spiritus reficiunt) suspectos esse in mulieribus, quas syncope apprehendit per consensum ab vtero. Nam ijs fœtida, & graueolentia naribus potius sunt admouenda, odorata verò pudibundis.

Animi deliquio præsēti quocunq; tēpore occurrēdum.

Occurrit denique temporis occasio, circa quam nemo sanæ mentis dubitabit vnquam, quando huiusmodi præsidia conueniant. Nam quocunque tempore animi defectio præsens erit, quibuscunque alijs prorsus neglectis, opportunis præsidijs omni conatu ei subuenire oportebit. Quodnam etenim prohibens excogitari potest, quod tantum vim habeat, vt possit retrahere medicum ab hoc opere, cum nisi quamprimum huic symptomati occurramus, ægro omnino moriendum sit? Atque hæc sunt illa vniuersalia præcepta, quæ de præsidijs animi defectum respicientibus afferri possunt.

Quid indicet facultas sopita. Cap. XV.

PEr facultatem sopitam intelligimus interim illud symptoma quod pertinet ad actiones animales abolitas, vt contingit in apoplexia, & caro, atque huiusmodi affectibus, in quibus videlicet, quicunque ij fuerint, omnes animales actiones abolitæ sunt, ita vt homo iaceat veluti mortuus. Nam etiāsi in syncope id quoque contingat: attamen in illa vitales præsertim actiones, & per consecutionem quandam animales, sub istis animales præcipuè, & secundariò vitales etiam abolitæ apparent. De vitalibus, quæ in animi dissolutionibus patiuntur, actum fuit, nunc de animalibus pauca dicenda sunt. Quod sanè symptoma ea de causa indicare dicitur, quatenus induit rationem causæ prosternentis vires nedum animales, sed vitales etiam: nonsolum quia vt ait Gal. 5. de loc. aff cap. 1. cor respiratione priuetur, & illicò homo pereat: sed etiam quia impossibile est læsa vna facultate principe alias quoque in consensum non trahi.

Quid indicet facultas sopita.

Porrò symptoma hoc indicat ea præsidia, quæ illud amouere, idest sopitam facultatem excitare possint, quæ id præstant sub hac communi ratione, quatenus sunt obiecta sensibilia excellentia omnium quidem sensuum præter visum, sed præcipuè ipsius tactus. Vnde occurrunt illa omnia, quæ dolorem excitāt, vt sunt frictiones dolorosæ, ligaturæ arctæ, punctiones, euulsiones pilorum barbæ, & capillorum, digitorum contorsiones, cucurbiculæ affixę, & cum magno impetu auulsæ, vesicantia, inustiones, & huiusmodi. Item ratione gustus

actia,

acria, & mordacia, ac summè ingrata: ratione auditus vociferationes; & denique ratione odoratus graues, & fœtidi odores. Et iure merito. Nam cum facultas sopita sit, nulla alia aptiori via excitari, & ad opus suum reuocari potest, quàm per ea, quæ instrumentis, quibus operari solet, tristem, & dolorosum sensum inferunt.

Valentiora remedia à cõtumaciori affectu indicantur.

Cumque horum præsidiorum alia alijs efficaciora sint, hinc indicantur ab affectu magis, aut minus contumaci. Proptereaquod facultas summè sopita non potest excitari nisi ab ijs, quæ vehementius cæteris organa sensuum afficiunt: sicuti si non adeo oppressa sit, nec affectus sit adeo contumax, ab ijs, quæ minus efficacia sunt, & minorem dolorem incutiunt, suscitari poterit.

Notandum.

Noto tamen inter enarrata præsidia, & ijs similia, quædã esse, quæ nedum symptoma, sed eius quoque causam respiciant, & sunt illa omnia, quæ reuellendi ab affecta parte facultatem habent: & ea insuper quæ cerebrum roborare, materiam in eo contentam exsiccare, & eam ad exteriora trahere valent, vt sunt per exemplum inustiones in syncipite, & occipite. Vtcunque tamen se res habeat, nos interim hæc omnia consideramus ea ratione, qua sopitam facultatem excitare, & ad propria munia reuocare possunt.

Agendorum opportunitas.

De agendorum opportunitate ita statuo, ea, quæ, ne dum sopitam facultatem excitant, sed reuellendi simul vim habent, posse quocunque tempore administrari: at illa, quæ capiti adhibentur, vt sunt inustiones, supponunt prius totius euacuationem, dummodo fieri possit: sin minus, neque cætera excitantia prosint, ad ea quoque deuenire licet. Melius etenim est anceps experiri remedium, quàm sinere hominem mori.

Quid indicent immoderatæ euacuationes. Cap. XVI.

A Nemine in dubium vertitur immoderatas euacuationes esse ex genere eorum symptomatum, quæ vires adeo prosternere possunt, vt ad eas interdum sequatur, aut mors, aut saltem tam praua corporis dispositio, quæ vel amplius in pristinum restitui nequeat, aut magna cum difficultate, ac temporis diuturnitate, & præsertim si fuerit immodica sanguinis euacuatio, cum sit à toto genere præter naturam. Quare huic etiam symptomati occurrere coacti sunt medici, omnibus alijs omnino neglectis, vt vires tueantur, & à vitæ discrimine ægrotantes ipsos vendicent.

Quibus præsidijs immoderatæ euacuationes sistantur.

Quid itaque in genere indicet hoc symptoma, dum rationem causæ lædentis vires sustinet, omnibus etiam plebeis notum est, vt videlicet supprimatur immodica euacuatio: at quibus præsidijs deinde id præstare liceat, solùm medici norunt. Porrò multa sunt, quæ immoderatis humorum euacuationibus occurrere possunt, nimirum reuellentia, repellentia, & intercipientia, de quibus omnibus lib. 4. abundè actum fuit. Cum etenim huiusmodi præsidijs occurramus humorum motibus præter naturam: atque in immodica eorundem euacuatione secundum motum similiter peccare dicantur, ergo reuulsione, repulsu, & interceptione, (deriuationem enim interim omitto, vt pote quæ non adeo citò, prout opus est, immoderatis euacuationibus mederi possit) nonsolum alijs humorum fluxionibus opem ferimus, sed etiam eorundem immoderatis euacuationibus auxiliari possumus. Quocirca cum de istis præsidijs iam actum fuerit, prout in vniuersum respiciunt quancunque humorum præternaturalem fluxionem; nunc pauca quædam ex iam dictis, tam ad horum præsidiorum

diorum naturam, quàm ad rectam administrationem pertinentia, in memoriam reuocanda sunt, & pauca insuper addenda, non amplius quatenus hæc quencunque humorum motum in vniuersali respiciunt, sed quatenus ad immoderatas vacuationes sistendas diriguntur.

Reuellentium itaque præsidiorum vsum ad euacuationes immoderatas corrigendas proposuit Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. dicens, oportere nexus fieri plures, ac fortiores circa manus, quando per inferiores partes fiunt euacuationes, quemadmodum quando per ora venarum hæmorrhoidum sanguis profluit, aut ventris profluuia adsunt, aut cũ per vteros exeunt in mulieribus menstrua: nam si tunc crura fortius ligentur, sæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur. Contra autem in fluxibus sanguinis factis per nares, atque vomitibus, in quibus crura sunt vehementius alliganda. Et quidem quibuscunque in vulneribus sanguis emanat, eodem modo si ex superioribus partibus accidit, inferiores: si ex inferioribus, superiores vinculis sunt adstringendæ. Ex quibus concludit, in vniuersum aut ad communia membris patientibus in aduersum retrahere oportere, aut ad ea, in quibus est euacuationis origo. Et quia hucvsque allata exempla docent ad partes, quæ communiter oppositæ sunt, faciendam esse reuulsionem, vt immoderatæ euacuationes sistantur, aut saltem moderentur: vt cognoscamus etiam interdum ad fluxionis originem reuulsionem fieri debere addit alia exempla dicens, vehementes euacuationes, quæ ex vteris fiunt, cucurbitulas iuxta mammas appositas statim sedare: quæ verò ex naribus hepati, & spleni secundum narem patientem: quòd si ex ambabus naribus subitò, ac multus sanguis efflueret, vtrique visceri sunt adijciendæ.

Reuellentia excretis immodicè exeũtibus occurrere docuit Galenus.

Præterea sciendum est, reuellentium præsidiorum quædam simpliciter reuellere sine vlla sensibili euacuatione, vt ostendunt nunc allata exempla; quædam verò id præstare euacuando, quæ absque dubio maiorem euacuationes superfluas sistendi vim habent, quàm prædicta. Vnde Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 11. validum sanguinis fluxum missione sanguinis tanquam præsidio reuulsorio se curasse gloriatur. Id quod naturam sæpe facere vidimus, vt ait Hippocr. 5. aphor. 32. cum mulieri sanguinem vomenti menses superuenientes remedio sint. Quare non solum immodicas sanguinis fluxiones missione sanguinis, sed etiam vacuationes eas immoderatas, quæ per aluum fiunt, vomitu, & quæ per vomitum, ijs quæ aluum subducunt sistere licet.

Quæ euacuãdo reuellũt magnã vim habent sistẽdi immoderatos excretorum excessus.

Ex quibus non possum laudare eorum medicorum timorem, qui in vehementibus sanguinis euacuationibus non audent, vt illas firment, venam secare, aut in humorum à sanguine diuersorum immoderatis fluxionibus per aluũ purgare, aut vomitum excitare, seruatis reuulsionis legibus lib. 4. diffusè declaratis, verentes, ne vires symptomaticas illas euacuationes, & simul eas, quæ ab arte fiunt, perferre possint. Nam fateor, vires omnium primas custodiendas esse, sed tamen dico eas sæpe collabi, quia dum medici ambigunt, an hoc, vel illud generosum præsidium administrari debeat, fugit agendorum præceps occasio, & ita virium lapsus, quẽ ab opportuno remedio præter rationem timebant, symptomatum vehementiam sequitur. In nullo etenim casu adeo præceps est, & momentanea agendorum occasio, quæ semel elapsa amplius arripi nequeat, quàm in symptomatum grauiorum, & citò vires prosternentium, cuiusmodi inter alia sunt immodici excretorum excessus, curatione, in qua non à leuioribus præsidijs incipiendum, & prius hæc tentanda, mox si nihil

Reprehenditur quorundam medicorum timiditas.

In quib. valdè p̄ceps sit agendorum occasio.

hil

hil profecerint, aggredienda maiora, sed statim ab initio, antequam vires resoluantur, vehementioribus remedijs vtendum, quia periculum est in mora.

Repellentia immodicis euacuationibus auxiliãtur.

Quòd si ad repellentia præsidia orationem conuertamus, certum est hæc quoque immoderatos excretorum excessus iuuare posse. Cum etenim repellentia ex propria natura frigida, & sicca sint, & adstrictoria facultate prædita, ideo cogunt, adstringunt, & roborant partes, per quas immoderatè excernuntur humores, eosdemque etiam sua frigiditate repellunt, & retrocedere faciunt. De quibus sanè præsidijs quædam interim solùm noto ad rectam administrationem pertinentia.

Quatuor adnotãtur circa rectũ repellentium vsum.

1. Primum itaque noto partibus ijs, per quas sanguis fluit, non esse admouenda repellentia, sed circa ipsas, vt docuit Hippoc. 5. aphor. 23. licet tunc potius intercipientium, quàm repellentium vicem sustineant. Ratio autem, cur circa partes affectas, non autem ipsis, à quibus sanguis emanat, admoueri debeant, adducta fuit lib. 4. cap. 46. quare, qui plura cupit, adeat hunc locum.

2. Secundum, quod noto est, in fluxionibus immoderatis per vomitum, aut per aluum repellentia adhibenda esse ventriculi, & intestinorum regioni, vt partes istæ roboratæ non admittant humores ad ipsas fluentes.

3. Tertium pertinet ad sudorem, ex quo, si immoderatus, & symptomaticus fuerit, etiam ij, qui magis robusto sunt corpore, vt docuit Gal. 1. ad Glauc. 14. in animi defectum incidunt, tantam vires resoluendi vim habet. Hic itaque sisti potest per ea etiam, quæ repellunt, & quia sudor à toto corpore emanat, ideo isthæc vniuersam cutim adstringere, & refrigerare debent, vt inquit Gal. loco citato. Quare iubet, vt ventis refrigerantibus aditus præparetur, atque aer frigida, & adstringente qualitate alteretur, myrtorum folijs, vitium capreolis, ac rosis pauimentum consternendo.

4. Vltimum deinde, quod noto, spectat ad agendorum opportunitatem, quæ semper præsens est, quia in immoderatis euacuationibus quocunque tempore vrget repercutiendi indicatio: adeo vt illa, quæ reprimendi facultatem habent, quæque in fluxionibus ad aliquam partem decumbentibus non conueniunt, nisi in principio, & augumento earum, vt lib. 4. cap. 48. ostensum fuit, in excretionibus immoderatis quocunque tempore adhiberi debeant, quia semper in ipsis adest repellendi scopus.

Cœterùm hæc satis sint, & tanquam exempla quædam obiter nos doceant, qua ratione repellentia immoderatis, tum sanguinis, tum aliorum humorum, siue per vomitum, siue per aluum, siue per sudorem excretionibus in vniuersum auxilientur. Requirunt etenim immodici excretorum excessus isti exactiores, & particulares tractationes, de quibus suo loco, vbi proponuntur ea præsidia, quæ non solum symptoma hoc, sed eius quoque causas respiciunt.

Intercipientia qua ratione immodicis euacuationibus occurrant.

Tandem occurrerent intercipientia, quæ ipsa quoque superfluis, & symptomaticis euacuationibus opem non mediocrem ferre possunt; at non habeo quod addam. Cum etenim intercipientia duplici de causa fluxionibus auxilientur, aut quia vias, per quas humores fluunt, adstringunt, & angustant: aut quia fluentium humorum tenuitatem incrassant, ita vt eos veluti immobiles reddant, inter quæ illa præsertim id præstant, quæ stupefaciunt: iam de his omnibus abundè actum fuit, tum lib. 4. cap. 49. & 50. vbi præsertim intercipientia quatenus refrigerant, adstringunt, & incrassant, considerata fuere: tum in præsenti libro cap. videlicet 9. & 10. in quibus de stupefacientium natura, & recta administratione pertractatum fuit. Siquidem stupefa-

cientia indicantur à pluribus, quatenus plurium rationem sustinent, & præcipuè à tribus, nimirum à dolore, à vigilijs, & ab humorum fluxionibus: à doloribus quidem, quatenus partes sensu quodammodo priuant: à vigilijs ea ratione, qua somnum conciliant: & demum ab humorum fluxionibus, quatenus eos cogunt, incrassant, & ad motum ineptos reddunt, adeo vt illos in medio cursu sistant, & prohibeant, ne eò perueniant, quò destinati fuerunt.

Omnino vitāda esse ea, quę euacuationes immodicas promouere possūt.

Illud etiam, quod non est parui momenti, coronidis loco addere licet, tanti videlicet æstimandos esse immoderatos excretorum excessus, cum vires summoperè lædant, vt nonsolum, quando præsentes sunt, omni conatu eis occurrere oporteat, sed ea insuper omninò vitanda sint, quę illos promouere possint. Quod sanè præceptum colligitur ex Hippocr. 5. aph. 19. quæcunque (inquit) refrigerata sunt excalfacere oportet, exceptis his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est: vbi adeo formidat Hippocr. ipse immoderatum sanguinis profluuium, à quo maximum imminet vitæ periculum, vt tutius arbitretur, derelicta calefaciendi indicatione, quæ à corporis refrigeratione desumitur, alteri, quæ magis vrget, incumbendum esse, quando inuicem sibi sint contrariæ. Nam ea, quæ calefaciunt, & quæ corporibus refrigeratis necessaria forent; si præsens fuerit sanguinis fluxus, illum augere, si immineat, excitare possunt. Insuper nonnulli sunt ita dispositi, vt modico assumpto pharmaco copiosè, & plus quàm par sit, purgentur, ex quo vires summè debiles euadunt, in quibus purgantia pharmaca vereri, neque ijs, nisi magna cum præmeditatione, vti debemus.

Quæ indicationes à suppreßis euacuationibus desumi debeant.

Cap. XVII.

Contrarium est hoc symptoma prædicto, quia immodici excretorum excessus opponuntur consuetis euacuationibus suppressis: atque quemadmodum illi ea ratione indicare dicuntur, quia præsertim vires prosternunt, ita suppressæ, quæ consuetæ erant, euacuationes indicant, quia morbos præcipuè producunt, aut iam genitos adaugent. Quamuis vtrunque symptoma vtroque modo lædere possit, & vires imbecillas reddendo, & morbosas affectiones augendo, aut de nouo gignendo. Ad vtrunque symptoma respiciens Hippocr. 5. aphor. 57. dicebat, si menstrua plura fiant, accidere morbos: & si non fiant ex vtero morbos contingere. Id quod docuit etiam Gal. 4. aph. 25. de hæmorrhoidibus dicens, non esse assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoides, euacuationi, vt quæ periculosam habeat vtranque immoderantiam, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur.

Porrò cum interim sermo sit de altero excessu, qui in excretorum, quæ euacuari consueta erant, retentione consistit, sciendum est, euacuationum, quas consuetas vocamus, alias à natura, alias ab arte fieri consueuisse. Et rursus quæ à natura fiunt, quædam nonsolum à natura efficiuntur, sed etiam secundum naturæ leges: quædam verò etiamsi à natura factæ videantur, non tamen sunt secundum naturam. A natura, & secundum naturam factas euacuationes voco vrinæ, & fœcum excretiones, necnon in mulieribus mensium statutis temporibus eruptiones: à natura verò, non autem secundum naturam illas dico, quæ à principio quidem intrinseco ortum habuerunt, sed non fiunt se-

Consuetæ euacuationes aliæ ab arte, aliæ à natura fiunt, & hæc duplices sunt.

cundum naturæ leges, vt per exemplum sunt illæ, quæ fieri solent per hæmorrhoides, per fluxum sanguinis è naribus: aut interdum per aliquas fistulas; aut per aures, à quibus emanat nonnunquam saniosa quædam materia. Illæ autem euacuationes dicuntur esse ab arte factæ, vt si cui inustum fuerit cauterium in aliqua corporis parte.

Quenā suppressæ euacuationes inter symptomata sīt cōnumerāda.

Ex istis colligo omnem quidem suppressam euacuationem à natura, & secundum naturam prius fieri solitam esse symptoma, cui necessariò occurrere debet medicus; at non omnis suppressa euacuatio à natura, non tamen secundum naturæ leges, aut ab arte facta symptoma vocari poterit, nisi per longum tempus assueta fuerit natura ei euacuationi quocunque modo factæ. Quapropter dum interim loquimur de euacuationibus suppressis, eas intelligimus, quæ vel à natura, & secundum naturam fiebant, aut quibus natura iam assueta erat per longum tempus, adeo vt si supprimanutr, illas necessariò sequantur morbi: iuxta illud Hippocr. 6. aphor. 12. à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est, aquam intercutem, vel tabem aduenire. Qua ratione autem id contingat, & quomodo intelligi debeat Hippocr. sententia, interim declarandum non est, quia non facit ad rem nostram. Hoc solùm nouisse sufficiat, consuetas euacuationes suppressas parere morbos, & propterea, cum hoc pacto induant rationem causæ, aliquid, quod sit ex vsu, indicare possunt.

Quid indicēt suppressæ euacuationes.

Quid itaque in genere indicent euacuationes suppressæ, neminem ignorare arbitror: siquidem ea præsidia requirunt, quæ eas denuo recludant. Id autem præstant remedia illa, quæ vel earum causas remouent, vel solùm symptomati huic occurrunt; de prioribus nunc non est sermo, sed de posterioribus, quoniam in præsenti loquimur tantummodo de præsidijs respicientibus symptomata, quando videlicet adeo vrgent, vel vires lædendo, vel morbosas affectiones augendo, vt ad se curationem reuocent. Hinc per exemplum vrinæ suppressio, si vrgeat, neque tempus suppetat, quo suppressionis causas opportunis medicamentis auferre valeamus, indicat præsidia illa, quæ ad hoc symptoma diriguntur, & vias vrinæ aperire possunt, adeo vt exeat, vt est catheteris immissio. Similiter si menstruæ purgationes suppressæ fuerint, & grauiora mala produxerint, eas quidem citò, vt opus esset, sicuti vrinam prouocare non possumus, sed quicquam aliud, quod tantundem valeat facimus, & poplitis, vel malleolorum venas secamus. Cœterùm hæc pro exemplo sufficiant, quoniam particulares præsidiorum materiæ proprijs tractatibus proponuntur: & interim hoc vniuersale præceptum sufficiat, omnes videlicet suppressas, easque prius fieri consuetas euacuationes, dum graue aliquod malum producunt, statim recludendas esse ijs præsidijs, quæ vnicuique retentæ euacuationi opportuna iudicantur.

Per quæ loca suppressæ euacuationes sint recludendæ.

Per quamnam verò partem (quod pertinet ad vbi agendum) recludendæ sint suppressæ euacuationes, vnicuique manifestum esse potest. Nam per easdem prorsus partes, per quas prius, quæ retenta sunt excrementa, ferri consueuerant, rursus educi debent. Quemadmodum etenim humores præter naturam fluentes ad oppositam partem ei, ad quam fluunt, aut per quam immodicè euacuantur, retrahimus: ita illos, qui per aliquam partem expurgari consueuerant, si consueta hæc euacuatio suppressa fuerit, per eandem partem, per quam prius euacuabantur, rursus educere debemus. Quod clarè docuit Hippocr. 6. epid. 2. tex. 29. reuellere, (inquit) si, quò non oportet, vergat: sin au-

tem quò oportet, his oportet aperire, quemadmodum ſingula vergunt. Vnde Galenus in commento explicans, quid intellexerit Hippocr. per vocem illam, *aperire*, ait non eſſe accipiendam, vt in abſceſſibus dicere conſueuimus, pro eo, quod ſcalpro diuidere; ſed in communiori ſignificato accipitur, ſub quo, & recludere continetur, & venas nobis in mariſcis, & venas naſi, atque vteri, cum per hæc itinera euacuamus, recludentibus, & fiſtulas aliquas ſatis longo tempore patere conſuetas, ſed aliqua de cauſa obſtructas. Et aliquo per aures cerebri purgamenta eijcere ſolito, ſi repentè euacuatio ſuppreſſa ſit, ac proinde vertigo, oculorumque tenebræ ſuperuenerint, ſi ad aures materiam per aperientia medicamenta incitemus, ſtatim hominem ſubleuatum nouerimus. Manifeſtum igitur eſt ex Hippocr. & Gal. mente retentos humores, quicunque ij fuerint, per eaſdem partes educendos eſſe, ad quas vergunt, & per quas prius euacuari ſoliti erant.

Cur varij ſint modi, quibus ſuppreſſis euacuationibus occurrimus.

De vtendi modo, non eſt, vt quicquam dicamus, quoniam non habet vnũ commune genus, ratione cuius tradi poſſint vniuerſalia præcepta ad eum pertinentia. Nam quatenus diuerſorum humorum ſunt ſuppreſſæ, quæ prius conſuetæ erant, euacuationes, & quatenus diuerſæ ſunt partes, per quas fiebant, eatenus diuerſi prorſus ſunt modi, diuerſaque præſidia, quibus vnaquæque recludi debet. Hinc exempli gratia aluus adſtricta clyſteribus præſertim, aut ijs, quæ per os aſſumpta aluum ſoluunt, vrinæ ſuppreſſio cathetere, hæmorrhoides hyrudinibus, menſtruæ purgationes poplitis, vel tali venæ ſectione recludendæ ſunt. Id igitur ſolùm ſat ſit nouiſſe, eam præſidiorum materiam ex vſu eſſe poſſe, quæ ad retentam hanc, vel illam euacuationem promouendam idonea cenſetur.

Circa agendorum opportunitatem.

1. Notatu dignum.

Denique circa agendorum occaſionem duo præſertim obſeruo. Vnum eſt, quòd in euacuationibus illis ſuppreſſis, quæ à natura ſtatutis quibuſdam, & certis circuitibus fieri ſolebant, vt per exemplum ſunt menſtruæ purgationes, niſi adeo vrgeat hoc ſymptoma, vt præſentaneum requirat remedium, quod tantũdem valeat, ac conſueta illa naturæ euacuatio, cuiuſmodi eſt venæ ſectio in pede, expectare debemus tempus, quo natura mouere ſolita erat, & illud aliquantulum anteuertere, quia hoc pacto habebimus naturam auxiliatricem, & opportuniori occaſione adhibitum remedium magis proderit. Ita Galen. ſenſit lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 18. loquens enim de euacuationibus ex cruribus, quæ menſes promouent, ait, vbi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus tribus, quatuorve diebus antevertens, aut vena inciſa, aut ſcarificatis malleolis cruris vnius, pauculum euacuato: deinde poſtero die ſimiliter facito in crure altero.

2. Notandũ, an ſuppreſſa euacuatio recludenda ſit, antequã toti corpori prouiſum fuerit.

Alterum, quod obſeruo, eſt, an plenitudine, aut cacochymia præſente, ſiue ſpuria, ſiue exquiſita, huic ſymptomati occurrere liceat, priuſquam toti corpori prouiſum fuerit. Hoc autem cognoſcemus, ſi conſiderauerimus à quanam cauſa plenitudo, aut cacochymia originem duxerit. Nam fieri poteſt, quòd hæc humorũ abundantia ortum traxerit à ſuppreſſa ea euacuatione, cui opem ferre, & quam recludere intendimus: fieri etiam poteſt, quòd cauſam ab ea diuerſam habuerit. Si ſuborta ſit à cauſa diuerſa, dummodo ſuppreſſa euacuatio non adeo vrgeat, vt ei ſtatim occurrere coacti ſimus, quod interdum contingere ſolet in menſium ſuppreſſione, tutius eſſe exiſtimo, prius toti corpori prouidere, & deinde euacuationem ſuppreſſam recludere, quia rationi conſentaneum eſſe videtur, eam præternaturalem humorum redundantiam

poſſe

posse etiã esse suppressæ euacuationis causam. At si plenitudo, siue cacochymia producta sit à consueta euacuatione retenta, tunc considerare oportet, an per eam partem, per quam suppressa euacuatio fieri solebat, si rursus recludatur, vniuersum corpus tutò expurgari possit: an verò id fieri nequeat. Nam hoc cognito, cognoscemus etiam, an prius toti corpori prouidendum sit, an potius euacuatio suppressa aperienda. Id autem notum fiet ex natura abundantiæ humorum euacuandorum, atque ex natura recludendæ euacuationis, quatenus videlicet per eam hi, vel illi humores euacuantur, & quatenus ea mediante vniuersum corpus, vel vna tantùm pars determinata expurgatur.

In plenitudine quid agendum.

Si etenim sanguis in toto abundauerit, siue solus, siue etiam cũ alijs humoribus, & per eam partem euacuari possit, per quam prius euacuari solitus erat, suppressam euacuationem aperientes omnibus indicationibus satisfaciemus, & ei videlicet, quæ à multitudine desumitur, & illi similiter, quæ à symptomate, nempe à retenta euacuatione capitur. Hoc clarè docuit Gal. lib. de curat. per sang. miss. cap. 11. plenitudines (inquit) à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis, siue venã secare oporteat, siue scarificare. Sectæ enim in cubito venæ mulierum reuellere purgationem assolent. Et rursus 4. de san. tuen. 4. loquens de curatione lassitudinis vlcerosæ, si fuerit nonsolum cum vitiosis humoribus, sed etiam cum sanguinis copia, ait venam incidendã esse, aut aliquid, quod tantundem valeat agendum. Sanè tantundem possunt hæc, quibus hæmorrhoides sunt retentæ, si has aperueris, si mulieri menstrua consuetudo cessauit, hanc si prouoces: deinde aluus eo medicamento deijcienda est, quod maximè accommodatum malo succo sit. Quod nos quoque facere poterimus, si vnà cum sanguine adsint etiam praui succi.

In cacochymia prius toti corpori prouidendum esse.

At si fuerit cacochymia, & præsertim exquisita, prius toti corpori prouidendum erit per medicamenta purgantia, & postmodum suppresæ solitæ euacuationi occurrendum. Non etenim tutum est, vniuersi corporis cacochymiam euacuare per eas partes, per quas solus sanguis enacuari solet, vt puta per hæmorrhoides, vel vterum. Et multò minus id efficere licet, reclusa alia euacuatione suppresa, per quam determinata aliqua pars expurgari solita erat: quia ad eam partem fiet maior peccantium humorum attractio, quàm sint illi, qui educentur. Quocirca in hoc casu quacunque humorum abundantia præsente, prius toti corpori prouidendum.

FINIS

AD GLORIAM DEI OMNIPOTENTIS, ET B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS.

V. D. Octau. Finatius Pœn. pro Eminentiss. ac Reuerẽdiss. D. Card. Archiepisc.

Imprimatur

Fr. Hieron. Onuphr. pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

[illegible]

FINIS

AD GLORIAM DEI OMNIPOTENTIS,

ET B. MARIAE SEMPER VIRGINIS.

INDEX RERVM,

& verborum memorabilium, quæ in toto Opere continentur.

Prior numerus folium, posterior lineam signat.

A

INDEX.

Argen-

INDEX.

B

C

sanita-

Euacua-

INDEX.

Exem-

L

M

INDEX.

Methodus

Q

INDEX.

S

T

V

Vbi

FINIS.



BONONIÆ, M. DC. XXXVI.

Apud Nicolaum Tebaldinum.

Superiorum Permissu.

